




1
2
3
311









DVBIORVM EVANGELICORVM

Pars Secunda:

IN QVA

CL. DVBIA *partim* ἐξηγητικά, *partim* ἐλεγκτικά *discussa & vindicata à cavillis & corruptelis Atheorum, Paganorum, Judæorum, Samosatenianorum, Anabaptistarum, Pontificiorum, & Sectariorum aliorum*

OPERA

FRIDERICI SPANHEMII

Pastoris & S. Theologiæ Professoris in Ecclesiâ & Academiâ Genevensi.


CVM INDICIBVS NECESSARIIS.



GENEVÆ,

Sumptibus Iacobi Chouët.

Anno CIↃ IↃ CXXXIX.





Generosiß. Nobilißimis, Splendidißimis,
Excellentißimisq; Viris

DN. FRANCISCO LVDOVICO AB ERLACH,
Libero Baroni in Spietz,

DN. NICOLAO DACHSELHOFFERO
Illustrissimæ BERNATVM Reipublicæ COSS. Amplissimis,

Cæterisq; eiusdem Reipublicæ QVÆSTORIBVS & TRIBVNIS,

Totiq; SENATVI *pio, felici, inclyto,*

Dominis gratiosissimis, constantem & perennaturam felicitatem precatur

FRIDERICVS SPANHEMIVS.

ACCEDO *ad Vos*, Illustrissimæ Reipublicæ PROCERES Splendidissimi, *cum munere, & sacro quidem. Instituti mei causas nec anxiè reddendas aliis, nec Vobis prolixè probandas censeo. Argumentum quod Vobis offero, sacrum est, & quod Vos secundùm Deum vindices habet, qui jus suum*

veritati diuinæ integrum esse vultis, vbicunque vestro locus est. Est verò in amplissima ditione, Maiorum vestrorum virtute partâ, qui causam suam bonis omnibus, fortitudinem etiam hostibus probauêre. Et sanè tota gens vestra iam olim acerrima & maxima *meritò Romanis dicta, quæ non tantùm à contemptu se vindicauit, sed & admirationem sui populo terrarum victori, et qui inter instrumenta seruitutis Reges etiam habebat, iam olim expressit. Accessit priscæ isti laudi pietas, maxima virtutum, ex quo singulari Dei beneficio Maiores Vestri, Viri inclyti, veritatem Orthodoxam profiteri cœpêre, & Deo suam gloriam, sibi illius fructum vindicare. Quantæ molis id opus fuerit, illi nôrunt, qui res vestras nôrunt, & superiorum temporum Historiam. Quæ ibi Maiorum vestrorum prudentia fuerit, qui Zelus, quod animi robur rebus adversis, Annales vestri testantur. Hanc laudem non illorum tantùm, sed et Vestram esse voluistis,* PROCERES Illustrissimi, *& eandem constanter Ecclesiæ Vestræ faciem esse, eandem Reipublicæ. Non mirum ergo Nomen vestrum, qui veritatis vindicias inter prima decora Vestra numeratis, eiusmodi Operi præscribi, cuius argumentum non calamo tantùm, sed & sanguine multorum è gente Vestrâ propugnatum fuit. Accedunt verò causæ aliæ quæ me ad Vos trahunt. Vel hoc satis esset, me Geneuæ in ciuitate Vobis fœderatâ alteram patriam habere, vt inter eos nomen meum profitear, qui cultum vobis debent & obsequium. Publicus hic affectus noster est in Potentissimam Rempublicam vestram & Amplissimos illius Proceres. Nec immeritò, quippe qui primum Vrbis nostræ decus, post Deum, Vestræ debe-*

mus,

*mus,*Lucem *nimirum* tenebris *nostris illatam, quæ ex agro vestro primò se in ciuitatem nostram intulit, & noctem illam pepulit, quæ huic etiam Cœlo densa admodum, et vix luminis capax, incubabat. Quantum Ciuibus nostris fiduciæ accesserit ab affectu Reipublicæ vestræ, quantum ab Oratorum vestrorum firmitate roboris, Historia nostra nec dissimulat, nec in transcursu notat. Adstrictum ex eo tempore fœdus mutuum, & omni animorum, officiorum & studiorum contesseratione firmatum. Et reuera nullum vinculum firmum esse potest quod non in Deo coit, nec pietatis consensu roboratur.*

Sed hæc nomina publica sunt, quibus Geneua vobis deuincta, & Geneuenses, inter quos vt affectu & officio nulli ciuium erga alteram patriam, sic nulli obseruantiâ erga Vos et Rempublicam vestram concesserim. Alia verò causa mihi peculiaris est, cur curis vestris publicis intercedam, & admissionem petam in Illustrissimo Senatu vestro. Nec enim observantiam Vobis tantùm debeo & cultum, sed & animum accepti memorem. Beneficium vestrum est, & ingens quidem, quo me vobis abhinc aliquot annis vadatum obstrictumq; attinetis. Quum enim Vir Cl. Iacobus ad Portum *in Illustri Scholâ vestrâ Lausannensi Theologi munus sustinere, & juventuti vestræ ac publicis commodis operari desiisset, haud indignus ego Vobis visus sum, qui in vestigium defuncti succederem, & prouinciam Theologicam illius loco administrarem. Quod propensum vestrum de me iudicium, quum per Rev. & Cl. Virum D.*Christophorum Lüthardum *Lycéi vestri Theologum meritissimum ad me perscribi, & me ad Cathedram illam cum*

singulari testificatione affectus Vestri inuitari curassetis, dici non potest, quàm me tam insperata beneuolentia Vestra affecerit. Quanuis verò illius fructu mihi carendum ob causas graves fuerit, quippe qui nec stationem, in quâ singulari Dei munere, & Amplissimi Senatus nostri bonitate versor, excutere sine crimine potui, nec me illi subducere debui, ex eo tamen tempore non sine singulari gaudio tam beneuoli Vestri de me iudicij sensum circunferre cœpi. Et quanuis Vester ipso opere haudquaquam esse potuerim, eo tamen affectu Vester esse cœpi, quem homo summè obnoxius Vobis debere potest. Hærebit ille semper in animo meo, & illum apud me cultum Vestri fouebit, quem vel in ciue probaretis. Non una itaque causa est, PROCERES Illustrissimi, *cur me Vobis sistam, & cur nomina Vestra huic Operi præscribenda duxerim. Non ego hîc potentiam Vestram, non prudentiam, non fortitudinem in rebus creperis & arduis, non Senatus Vestri Maiestatem, non amplissimæ ditionis imperium, non agri Vestri vber, non legum Vestrarum sanctitatem, non Vestram in extorres & miseros liberalitatem, non robur & Martiam pubem, non alia decora Vestra publica vel priuata commemorabo, quibus Illustrissima Respublica Vestra caput cœlo effert, & se bonis omnibus commendat. Nota illa in vulgus, & talia quæ non splendoris tantùm Vestri & diuini muneris argumenta sunt, sed & fomenta simultatum apud illos, quibus aliena commoda ægrum jecur vlcerant & vrunt.*

Vos verò sigillatim mihi compellandos censui, COSS. Splendi-


Splendidiſſimi, *qui Reipublicæ Veſtræ Maieſtatem vultu, ore, animo, munere refertis, & tantam dignitatem ſummâ cum dignitate & immortali gloriâ veſtrâ ſuſtinetis. Quantum Veſtro iudicio, prudentiæ, vigilantiæ, & curis continuis debeat non Bernenſis tantùm, ſed & Helveticus Orbis, nemo ignorat niſi ſtupidus, nemo diffitetur niſi malus. Tua gens,* BARO Generoſiſſime, *Maiorum tuorum imagines, nomina inclyta, & antiquiſſimæ* ERLACHIORVM *familiæ decora, quæ multos Helvetiæ, multos Principibus & Rebuſpublicis Heroas dedit, Annalibus Veſtris & publicis tabulis ita inſerta ſunt, vt nec refigi poſſint, nec oblitterari. Vt verò Nobilitatem auitam Maioribus tuis debes, ſic illi tibi ſingularem gloriæ acceſſionem, quam inſignita illa ſapièntia tua genti Tuæ conciliat, & quam in te Fœderatus, Ciuis, ſubditus, peregrinus, omnis ætas, ſtatus omnis demiratur. In eo verò gloria Reipublicæ Veſtræ integra eſt, quod Collegam tibi adiunxerit, non muneris magis quàm virtutis ſocietate nulli ſimiliorem præterquam tibi, & quod Te,* DACHSELHOFFERE Ampliſſime, *alterum Atlantem habeat Orbis Veſter. Quantam tu iudicio, integritate, Senatoriis omnibus virtutibus, &, quod caput eſt, pietatis laude famam paucis annis conſequutus ſis, nec Ciues tui ignorant, nec Fœderati. Eo ipſo ſanè maior tuâ purpurâ es, quòd non tantùm ſine ambitu & prenſatione, peſſimis artibus, ſed & penè inuitus ad tantam dignitatem euectus fueris, immò conſpirantibus Ciuium tuorum ſuffragiis fermè pertractus.*

Felix sanè Respublica vestra tantis Consulibus, felix toto illo Augusto Senatu, qui amorem sui bonis, venerationem etiam malis extorquet, & qui publicas curas tantâ cum gravitate & felicitate apud Vos curat. Stetit Respublica vestra hactenus inconcussa in decumanâ illâ totius penè Europæ succussatione, & stabit unà cum Florentissimis Rebuspublicis Vobis fœderatis, cum bono Deo, Helvetici & Christiani orbis bono, quandiu pietas & integritas, vernaculæ genti Vestræ virtutes, in Senatu Vestro, in Ecclesia, in Consiliis & Comitiis Vestris, inter Ciues, Socios, & Subditos vestros sibi constabunt, & quandiu Ciues Vestri vestris auspiciis illum supremo Numini cultum exhibebunt, illum sacro Dei Verbo honorem, illam veritati cœlesti fidem, illam obsequii sanctitatem, quæ singulis debentur. Nos certè in votorum partem venimus, qui in salute Vestra nostram verti videmus. Quæ rata habeat ille, penes quem summum votorum & rerum omnium arbitrium. Valete, Illustrissimi PROCERES, *& Opus hoc, cui ab argumento commendatio accedere potest, divinæ Veritati vindicandæ unicè destinatum, vel eo nomine gratum habete, quod id ab homine effusissimi in Vos animi & cultus profectum, & Vestro beneficio expressum sit, & Geneuensem Rempublicam, Ecclesiam, Ciues, & me inter illos nomini Vestro deuotissimum, eo affectu prosequi pergite, quem Potentissimæ Reipublicæ Vestræ boni omnes cum cultu & voto se debere profitentur. Perscripsi Geneuæ* Kalend. Octob. *Anno Æræ Dionysianæ* CIↃ IↃCXXXVIII.

LECTO-



LECTORI CANDIDO S.





ENTVM nomen ſum, Lector, dum me tibi poſt aliquot annorum moram demum ſiſto. Nihil attinet varia cauſari, quæ ſufflaminârunt inſtitutum meum, valetudinem querulam, occupationes publicas & privatas, Operarum impedimenta, librorum etiam interſtitionem hoc ſeculo, quod arma ſibi totum vindicant. Sanguine hodie ſcribitur, non atramento, nec *parietes* ſolùm *palmati* videntur, ſed & regiones, provinciæ, regna, immò tota penè Europa. Quæ ſtrages quum non hominum amplius ſit, ſed generis humani, & funus commune humanitatis, ſcribere hac tempeſtate, & de controverſiis diſceptare, quæ enſe deciduntur, videtur eſſe hominis ignari, in quo orbe vivat. Sanè ſi fatale iſtud generis humani excidium graſſari pergat, & de litteris actum erit, & de litteratis, nec ſcribendi tantùm finis erit, ſed & legendi. Hac rerum omnium perturbatione fateor me ſegnem admodum fuiſſe in cœpto opere perſequendo, dum publici luctus, quem præſens Europæ calamitas bonis omnibus extorquet, argumentum paginam utramque facit.

Quia tamen primus hujus operis conatus summâ Præclarissimorum virorum benevolentiâ supra meritum exceptus fuit, & à primæ notæ Theologis Britannis, Gallis, Belgis, Germanis cœptæ scriptionis continuatio efflagitata, quorum omnium documenta luculenta penes me habeo, haudquaquam mihi committendum duxi, ut malum nomen viderer qui lentum fui. Operi itaque isti denuò manum admovi, & moram auctario redimendam censui, productis pro CLXVI. Dubiis, quorum adhuc reliquator eram, ducentis & quinquaginta Nec numerum tamen ambitiosè à me auctum videbunt illi, qui animadvertent uno sæpè Dubio complura excussa, & exhibitorum summam facilè duplicari posse, si singula numerum faciant, quæ seorsum sive proponi poterant sive decidi. Hinc nata Dissertationum quarundam prolixitas, in quibus Dubiorum variorum sæpe manipuli integri, contractâ tamen acie, non explicatâ, producti.

Facile verò animo præcipio, non defuturos qui in operam hanc Dei verbo vindicando destinatam incurrant. Ærugo Epidemicus hodie morbus est, nec remedij capax. Nemo promptius in aliena invadit, quàm qui vel aliud agit, vel nihil. Et qui aliter non possunt, contemptu hîc sæpè ulciscuntur illos, qui student prodesse publico, famæque alienæ intercedunt, ut tueantur suam. Quoties etiam hîc ignaviæ velum obducitur & desidia purgatur obtentu modestiæ. Non dubito quoq;, quin quæstiones aliquot à me motas querantur homines morosi, quæ proletariæ videantur, alias, quæ vel curiosæ, vel satis jam ante decisæ, inutilem itaque hîc operam positam, nec novum Orbem detectum. Prolixitatem etiam

castiga-

caſtigabunt alii, & contractius agi debuiſſe judicabunt. Addent, paucorum Matthæi capitum cenſum à me initum, & producendum fuiſſe corpus integrum, non truncum & lacerum.

Næ ego & ſeculi ignarus fuiſſem, & moris multorum, ſi manu operi admotâ eas mihi ſpes feciſſem, futurum ut non niſi propitios lectores haberem. Non his moribus vivitur hoc tempore, nec hactenus rudis ſum judiciorum, nec ita mei plenus, quin omnia iſta & plura quidem maturâ cogitatione jam pridem antevertерim. Non excuſabo illa anxiè, quæ candido & æquo Lectori ſe ſatis excuſant. Si quæſtiones quaſdam non neglexiſſe videbor, quas proletarias vocant homines ipſi ſæpe proletariæ eruditionis, nôrint illi me prodeſſe ſtuduiſſe non eruditis, quibus nec ſcripſi, nec ſcribendum eſſe cenſeo, ſed illis qui erudiri volunt, quorum inſtitutioni ut vocem in Academia commodamus, ſic & ſtylum commodare debemus. Reperient forte & illi & alii in ſolutione Quæſtionum etiam levium, quæ non levia omnino videbuntur hominibus æquis, & qui aliena ſcripta eodem oculo intuentur, quo ſua ſolent. Quàm præſtat etiam ſæpè humi repere, vel oram legere, quàm nonniſi ad caſum ſurgere, vel ad naufragium.

Curioſarum etiam quæſtionum dicam mihi ſcriptum iri conjicio, ſed ab illis qui ſatis habebunt oculo limo Indicem propoſitorum ſtrinxiſſe, contempto ſolutionis examine, nec perſpectâ cauſâ, cur talia quandoque mota. Videbit Lector candidus quædam profanorum cavillis & intempeſtivâ ſubtilitate nobis extorta fuiſſe, quæ negligenda non erant, ne crucem figerent hominibus minus ſubactis in argutiarum variarum

enodatione. Sæpe etiam ſub hoc cortice aliquid boni ſucci reperiet Lector æquus. Conferatur hoc ſcriptionis genus cum Quodlibeticis Academicorum Veterum & Novorum inter Scholaſticos commentationibus, è quibus *Thomæ Aquinatis* & *Alphonſi Toſtati*, vulgò *Abulenſis*, opera familiam ducunt, & videbit, quâ modeſtiâ à me innumera declinata fuerint, & quâ ſobrietate deciſa, quæ deciſa. Si quædam etiam jam ſatis ab aliis excuſſa videantur, & inutilis opera poſita, id unum à Lectore peto, quod non niſi ab iniquiſſimis negatur, ut judicium ſuum tantiſper ſuſtineat, donec à nobis ſcripta exegerit ad illa quæ alii in hoc genere ſunt commentati. Si eadem duntaxat à me repoſita, nec ullâ acceſſione vel obſervatione aucta, quæ ſacro Dei Verbo ſive illuſtrando ſive vindicando opportuna videatur, cauſam non dico, quin hanc ſupinitatem luam. Adde, nullam in argumento ſacro ſcriptionem commendabiliorem, vel probioris notæ cenſendam, quàm quæ minus novitatum habet. Vetera hîc optima & quæ ad primam antiquitatem exacta. Nec parum ſæpè aberrant à via, qui notos hîc calles ſpernunt, & conſectantur novos. Quoties etiam non indicta aliis ab iis ſæpe extruduntur, qui hoc unum ſibi vindicant, & non niſi nova vel jactant, vel pollicentur. Prolixitatem multarum Diatribarum non excuſo, quam neceſſariam ſæpe judicavi, ne vel ignoraſſe viderer, vel diſſimulaſſe, quæ aſſertis opponi poſſent. Et ſanè ſic ſemper apud me ſtatui, præſtare argumenti ſuſcepti abdita cum curâ eruere, quàm ſuperficiariâ operâ defungi, & Lectorem ibi deſtituere, ubi ductore

potiſſimùm

potiſſimùm opus habet. Hunc ob finem objecta ab aliis à me ſæpe roborata, exceptiones etiam variæ interſertæ, quæ vel motæ fuêre, vel moveri poſſunt ab iis, qui in talia penitius inquirunt. Quâ in re non inutilem equidem operam mihi poſuiſſe videor, & hîc ſterilitate & ariditate intempeſtivâ ſæpe à multis peccari cenſeo, quæ Lectorem & argumentum ſtrangulat. Qui ſecum experietur, quàm arduum ſit argumentum aliquod τεχνολογεῖν, & viſcera ac fibras illius imas rimari, haudquaquam equidem invidebit illis, qui hanc operam aliis præſtant. Si eo etiam nomine reus peragar, quod paucorum duntaxat Capitum vindicias proponam, præterquam quod totum iſtud penſum arbitrarium eſt, nec ſub exactoris ferulâ, tale eſt quod ubíque præcidi poteſt. Nec magna hîc exempla mihi deſunt, ſive vetera, ſive recentia, quibus me tueri poſſim. Nemini impingi debet, quod non plura dederit, ſi ſponte dedit, ſatis, talia dederit, quæ non omnino mali commatis, & quæ dediſſe præſtet quàm non dediſſe. Nec operoſum mihi foret pertexere telam quam hactenus exorſus fui, cùm eâdem planè methodo totum Matthæi Evangelium collatum cum Evangeliſtis reliquis, Marco & Lucâ præſertim, prælectionibus Academicis abſolutum domi habeam. Adde, adeò me non hæſiſſe paucis illis Matthæi capitibus, ut pluſquam ſexcenta dicta Biblica, è Veteri partim, partim è Novo Inſtrumento vel expoſita dederim vel vindicata. Equidem facilius mihi fuiſſet curſim ſtrictímque totum Matthæi Evangelium adnotare, quàm pauciora capita eviſcerare.

Quod ſi opera mea non inutilis omnino videatur veritati vindicandæ, pertexi poteſt, quod contextum hactenus. Et ſanè ſi hoc opus eandem publici judicii faventiam experiatur, quam Operis exordium hactenus Dei benignitate à candore Summorum Virorum impetravit, acceſſio illi cum tempore fieri poterit: Sin publicis commodis intercedere videatur, vel ſterilis operæ eſſe & inutilis, primus mihi ſilentium indicam, nec protrudam mercem, quæ nec Domino gravis eſt, nec perit ſub clave. Si quid etiam hactenus à me peccatum vel in ſacroſanctum Dei Verbum, vel in conſenſum Eccleſiarum Reformatarum, ſpongiam & obelum primus parabo, nec committam, ut ullius hominis æqui judicium vel ſpreviſſe videar, vel neglexiſſe. Nec ſuper titulo Operis, quem primâ præfatione ſatis Lectori excuſavi, me in jus vocandum arbitror, qui Dubia omnia & Dubiorum cauſas non tantùm à Scriptura in hominem transfero, & illius ſolius peccatum facio, ſed & eorum ſolutionem, & Lectoris in illa quam Dei verbo debet reverentiâ confirmationem unicè molior. Nemo itaque mihi impegerit, me veritatem Evangelicam dubiam ſtatuere, quin vel malus ſit, vel ſaltem parum candidus, & qui ſecum ita agi nollet. Anathema illi, qui non ſacro Dei Verbo tribuit, quod ei, & ſoli quidem debetur.

Libertatem meam à Magnis Viris diſſentiendi in obtrectationis etiam argumentum verti poſſe proſpicio. Quia tamen hominis ingenui, Theologi præſertim, eſſe exiſtimavi, nulli niſi veritati ſacramentum dicere, haudquaquam à me in honorem ullius mortalium peccari judicavi, ſi intra cauſæ & rationis potius, quàm intra

tra

tra hominum lineas consisterem. Nec jure in me modestiam desiderabit, qui apud se reputaverit, me nec sine honoris præfatione de Viris Magnis loqui,nec gratis dissentire,sed causas addere,cur dissentiam. Adde,illos demum magnos censendos esse, qui majorem veritatis, quàm suæ existimationis rationem haberi volunt. Formam Operis eandem quam primâ Parte expressi, quum illam Viris eruditis haudquaquam displicuisse compererim. Hinc veri falsique fines iterum cum curâ à me distincti, & ut id fieret, diversæ opiniones excussæ expensæque, accuratumque ne specie veritatis falleret, quod speciem habet,sed speciem tantùm.

Quod si super hac re ab adversæ partis hominibus,à quorum argutationibus veritatem sacram & conscientias nostratium tutas præstare studio habui, inclementius excipiar, nec primus ero, in quem tragulam injiciant,nec Dei causam ob hominum intemperiem destituam. Veritatis hoc fatum est, odiis illa obnoxia,& insectationibus qui illam tuentur. Nec mihi hîc satisfactum putabo, si hinc inde quædam ex meis delibentur, dissimulatis aliis,quæ toros habent & nervum. Velitatio ista ludicra erit, non pugna justa cóminus depugnata. Id verò potius opto, ne litis novæ argumentum sit, quod litibus componendis destinatum est. Nolim etiam meam imbecillitatem in causę,quam ago,dispendium verti,nec Dei veritatem per meum latus peti.Hominum vitia semper separanda à causa, nec Dei Verbo impingendi illorum defectus,qui re bonâ & sanctâ nec benè nec sanctè utuntur. Dei verbum ut hominem authorem non habet, sic nec humanis præsidiis stat, nec cum homine cæspitat, vel cadit. Vindex suo verbo

ille, quem nemo laceſſit ſine impietate, nemo ſpernit ſine exitio.

Det ille, in cujus ſolius manu res omnes, & rerum ſucceſſus, ut hoc opus veritati ſacræ tuendæ unicè deſtinatum, iſtam ſibi à Lectore audientiam impetret, quæ cauſæ debetur, iſtum Lectori fructum, cujus ſenſum circumferat in hac vitâ, magnitudinem experiatur in futurâ.



INDEX DVBIORVM SECVNDO VOLVMINE contentorum.

DVBIVM I.

De tempore Natalis Christi, & vero Aeræ Christianæ principio, occasione verborum Matth. II. 1. Cùm ergo natus esset Iesus in Bethleem Iudææ, temporibus Herodis Regis, *&c.*

DVBIVM II.

De tempore Herodis, ac periodo regni Herodiani, Matth. II. 1. *& an ex illo charactere certa anni natalitii Christi designatio haberi possit?*

DVBIVM III.

An ex notatione Imperij Augusti, & census Cyrenij, Luc. II. 1. 2. *certa anni natalitij Christi designatio haberi possit?*

DVBIVM IV.

Qui ἀπογραφὴ, *Syriæ Præside Cyrenio facta, vocetur* πρώτη? Luc. II. 2.

DVBIVM V.

Qui ἀπογραφὴ *illa, de quâ* Lucas II. 2. *fieri potuerit præside Syriæ Cyrenio, & simul Herode regnante?* Matth. II. 1.

DVBIVM VI.

De conciliatione Lucæ *&* Tertulliani, *quorum ille Cyrenio præsidi, iste Sentio Saturnino* ἀπογραφὴν, *sub quâ Christus natus, adscribit,* lib. IV. adversus Marcionem.

DVBIORVM.

DVBIVM XVIII.

De originatione & etymo nominis Magorum, *de quibus* Matthæus II.I.

DVBIVM XIX.

De usu & significatione nominis Magorum *tum in* thesi, *tum in* hypothesi *apud* Matthæum.

DVBIVM XX.

An Magi illi fuerint Reges, *de quibus* Matth. II.I.?

DVBIA XXI. XXII. XXIII.

De Numero, Nominibus, *&* Festo *Magorum*, *& quid de singulis sentiendum?*

DVBIVM XXIV.

Vnde venerint Magi *illi*, *&* quæ *eorum* patria *designetur verbis Evangelistæ, quando dicuntur venisse* ἀπὸ ἀνατολῶν, ab Oriente: Matth.II.I.?

DVBIA XXV. XXVI.

XXV. *De tempore adventus Magorum, quando venerint ad Christi nati adorationem.* XXVI. *De sensu verborum versus* 16. Interemit omnes pueros, *&c.* ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω.

DVBIVM XXVII.

Qualis fuerit stella *illa quæ apparuit* Magis, Matth.II.2.?

DVBIVM XXVIII.

De tempore, quando *stella illa* apparêre cœpit *Magis?*

DVBIVM XXIX.

An stella præiverit Magis ab Oriente in Iudæam usque, æquè ac Hierosolymâ Bethleemum?

Dv-

DVBIORVM.

DVBIA XLII. XLIII. XLIV.

De ratione conciliationis Michææ *cum* Matthæo in specie, *quomodo sint solvendæ* αἰπλογίαι *apparentes, quæ reperiuntur* Mich. v. 2. *&* Matth. II. 6.? XLII. *De* Mutatis *à Matthæo.* XLIII. *De* Omissis. XLIV. *De* Additis.

DVBIVM XLV.

Cur Matthæus enuntiationem *Prophetæ* affirmativam *convertat in* negativam, Et tu Bethleem terra Iudæ, nequaquam minima es inter duces Iuda, *& quomodo utraq; possit conciliari?*

DVBIVM XLVI.

An vaticinium Michææ *in* thesi *ad Messiam*, *in* hypothesi *ad Iesum Nazarenum rectè fuerit à Matthæo applicatum?* Matth. II. 6.

DVBIVM XLVII.

An ex verbis Michææ, Et egressus eius ab initio, à diebus seculi, *solidè probari possit æterna filij Dei generatio, adeoq; eius æternitas & divinitas?*

DVBIA XLVIII. XLIX. L.

XLVIII. *Quo genere adorationis Magi adorarint Christum?* Mat. II. II. XLIX. *An* Beata Virgo *à Magis adorata cum Domino, hodieq; adorari debeat?* L. *An ex exemplo Magorum sequatur, vel Eucharistiam, vel Christum in Eucharistia adorandum?*

DVBIVM LI.

An ex Magorum adoratione sequatur adoratio Christi hominis, vel humanæ Christi naturæ?

DVBIA LII. LIII. LIV.

LII. *Cur munera oblata Christo à Magis?* LIII. *Cur tria, &* aurum, thus *&* myrrha *potius quàm alia?* Matth. II. II. LIV. *An singula oblata à singulis?*

INDEX

eiuſdemq;

eiusdemq́, loci sensus? LXVIII. *An ex* sensu mystico *possit dari solida probatio?* LXIX. *Quæ significatio intendatur* πρώτως, *quæ* δευτέρως *in oraculis sacris* quæ composita *vocantur*, litteralis an mystica? LXX. *Quæ sit distinctio inter* typum, analogiam & allegoriam? LXXI. *Quotuplex detur significatio* τοῦ ἵνα *in Scriptura sacra?*

DVBIVM LXXII.

Quot modis *dicatur* impleri *Scriptura* in genere, & *Prophetia* in specie?

DVBIA LXXIII. LXXIV. LXXV.

LXXII. *Quî à Magis fuerit illusum Herodi* Matth. 11. 16. in hypothesi? & *an liceat* in thesi *illudere vel aliis* in genere, *vel Magistratui* in specie? LXXXIV. *An liceat rescindere promissum, vel violare fidem datam?* LXXXV. *An uti liceat* æquiuocationibus?

DVBIVM LXXVI.

Quî nulla mentio apud Iosephum *vel Scriptores alios infanticidij illius Bethleemitani, de quo* Matth. 11. 16.?

DVBIA LXXVII. LXXVIII.

LXXVII. *Cur Deus permiserit infanticidium illud Bethleemiticum, & stragem horrendam tot puerorum innoxiorum?* LXXXIII. *Quid de puerorum illorum* numero, ossibus, reliquiis *sit sentiendum?*

DVBIA LXXIX. LXXX. LXXXI.

De ratione conciliationis Ieremiæ *cum* Matthæo, & *quomodo sint solvendæ* ἀντιλογίαι *apparentes quæ reperiuntur* Matth. 11. 18. *in citatione loci* Ierem. XXXI. 15. LXXIX. *De* Mutatis *à Matthæo.* LXXX. *De* Omissis. LXXXI. *De* Additis.

Propheticis, in quibus Christus vocatur צמח *&* נצר surculus *&* germen? XCI. *Cur Christus vocatus fuerit* נצר *&* צמח? XCII. *Quæ sit origo, quæ significatio nominis* Ἠρωνοσαρὲτ Matth. XIV. 34.?

Dvbia XCIII. XCIV.

XCIII. *An Matthæus inquiens, dictum esse per Prophetas fore ut Christus vocaretur* Ναζωραῖος, *respexerit ad* Naziræos *veteres, & eos præsertim qui inter illos typi præ aliis Christi fuêre?* XCIV. *An Monachatui præsidium in* Naziræatu *Iudaico?*

Dvbivm XCV.

Quî dicat Matthæus cap. III. 1. *Iohannem adfuisse* ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, in diebus illis, *cùm id ratio temporum nec ferat, nec ferre possit?*

Dvbivm XCVI.

Cur tantum διάστημα *Historiæ Evangelicæ reperiatur apud Matthæum? Et cur acta pueritiæ, adolescentiæ, & juventutis Christi silentio transmissa ab omnibus Evangelistis?*

Dvbivm XCVII.

Qualis fuerit ἔρημος, *quale* desertum *in quo Iohannes prædicavit* Matth. III. 1. *qualia deserta in quibus educatus* Luc. I. 80.?

Dvbivm XCVIII.

Quid sentiendum sit de amictu *Iohannis, quo vestitu usus fuerit, & qua de causa?* Matth. III. 4.

DVBIVM. XCIX.

Quid sentiendum sit de victu *Iohannis , quibus cibis usus fuerit, & quâ de causâ* Matth. III. 4. Marc. I. 6.? *An etiam victu Iohannis vel delectus ciborum commendetur, vel jejunia Pontificia?*

DVBIVM C.

An Iohannes Baptista fuerit Anachoreta *sive* Eremita? *An etiam* Anachoretarum *institutum* Iohannis *exemplo commendetur?*

IN



IN

DUBIA EVANGELICA

Reverendi Viri

FRIDERICI SPANHEMII.

SPANHEMI, cui tota Dei Sapientia curæ eſt,
Quem Numen docuit myſtica verba loqui,
Cui dubium nihil eſſe poteſt; cedentibus umbris
Eoo quoties Phœbus ab orbe venit;
Cur Dubii nunc hìc placuit tibi nomen, in ipſa
Luce tua, quæ tam fulſit amica tibi?
Ne quenquam tantæ lateat vis ignea mentis,
Dum, qui ſic dubitat, non dubitare docet.

Daniel Heinſius.

EPIGRAMMA

In Rev. & Clariſsimi Viri

FRIDERICI SPANHEMI

DUBIA EVANGELICA.

DUlce mihi quondam, te ſacra docente doceri,
Cum tibi mille aures clara Geneva daret,
Dulce Orgetorigis Patriam, montoſaq; rura
Scrutato ſtudium pendere Cyllenio.

Dulce dein magni cognoscere prælia Regis,
Balthica quem Dominum respicit Unda suum.
Quid cum verba seris veterem redolentia Romam,
Aut sua quæ populus dicat Erichthonius?
Quid si linguarum quoque te Regina fatetur
Notitiâ cives antevenire suos?
Seu te cura vocat vafris pugnare Sophistis,
Conveniunt neruis omnia tela tuis
Et superas quicquid, Spanhemi, *cuspide Falsi*
Cum Vero antiquo lubrica bella gerit.
Pulchrum alios superare fuit: Nunc gloria quanta est,
Quod superas proprium viribus ingenium?
Rem nisi quis facilem putat, ipsum accendere Solem,
Et luci ætheræ suppeditare facem:
Hoc Evangelicis te iam præstare papyris,
Et fama, & famæ charta dicata probat.
Ipsa quidem Æterni satis est lux fulgida verbi;
Si quod abest, nostro lumine lumen abest:
Tu Dubiam abstergis nostris obtutibus umbram,
Quatuor *ut circum lux sit aperta* Viros.
Hoc debes Cœlo, Tibi nos Cœloq; vicißim;
Nil Dubij *est Cœlo,* Spanhemioque *duce.*

Balthasar Venator.

PARS



PARS SECUNDA DUBIORUM EVANGELICORUM.

DUBIUM I.

De tempore Natalis Christi, & vero Æræ Christianæ principio, occasione verborum *Matthæi* II. I. *Quum ergo natus esset Jesus in Bethleem Judææ, temporibus Herodis Regis*, &c.

EXAMEN.

Notanda I. Προθεωρία. II. Θεωρία.

Anatome Προθεωρίας. *Difficultas huius quæstionis. Causæ communes & propriæ. Rationes disquisitionis institutæ. Dignitas huius Epochæ. Tardior eius tum constitutio, tum usus. Opinio communis de Æræ Christianæ Authore æquè ac origine. Æræ huius neglectus apud Veteres.* Arnaldi Pontaci *vindiciæ ad Eusebium. Impostura* Pseudo-Isidori. *Justa eius castigatio. Edictum* Iustiniani *de notatione temporum.* Accursii αἰπχρονισμὸς. Procopii *cavillum.* Iustiniani *Encomium. Conflictus Mathematicorum super*

ærâ Christianâ. Dissensus de annis Mundi. Causæ dissensus. Baronii *iudicium de calculo LXX. Interpretum. Vitium illius. Confessiones* Tornielli, Saliani, Barradæ, & Petavii. *Difficultates variæ super calculo Veteris Testamenti. Conciliatio* vers. 1. & 2. 1. Reg. XV. *cum* vers. 9. *Annorum V. C. diversa supputatio. Distinctio Paliliorum Catonianorum & Varronianorum. Opinio* Calvisii *de conciliatione annorum Urbis. Epochæ Actiacæ diversæ radices, ut & annorum Augusti. Conatus* Baronii *in conciliandis Veteribus. Distinctio Aeræ Augustorum. Diversa annorum nomenclatura & ratio. Conciliatio locorum,* Ierem. XXV. 1. *cum* Dan. 1. 1. & Matth. XVII. 1. Marc. IX. 2. *cum* Luc. IX. 28. *Annorum initia diversa. Connexio Epocharum ardua.* P. Comestoris, Antonii Cappelli Centuriatorum & Bucholzeri παρορράματα. Iudæotum *petulantia.* Sulpitii Severi *monitum.*

Anatome Θεωρίας. I. Iudæorum *opinio de ætate Christi.* II. *Opiniones* Christianorum.

Iudæorum *commenta de ætate Christi, fugâ, comitatu & morte ex Cabbalâ Historicâ R.* Abraham Levitæ. Πρoχρονισμὸς *calculi Iudaici. Collatio calculi R.* Abraham *cum calculo* Seder Olam Sutha. *Collatio eius cum S. Scripturâ. Coniectura* Petavii *de loco* 1. Reg. VI. 1. Διάστημα *inter primum & secundum templum. Errores varii in Calculo Authoris* Seder

Olam-

Olam Sutha. *Causa subdola* προχρονισμοῦ *Iudæorum super ætate Christi.*

Christianorum *opiniones tripartitæ in* classem mediam, *&* *duas* extremas.

Mediæ, *quæ vulgò* Dionysiana, *principium. Ambiguitas Aeræ Dionysianæ. Distinctio ejus ab Aerâ vulgari ex sententiâ* Keppleri. *Opinio cõtraria* Petavii. *Eiusdem conjectura de Aeræ vulgaris Authore. Causa varietatis circa ejus principium. Aeræ illius impugnatio. Error* Dionysio Exiguo *impactus & absterfus.* Antonii Cappelli *opinio de Aeræ Dionysianæ principio. Censura* Petavii. *Aeræ vulgaris fautores veteres & recentes.* Henr. Harvillæi *rationes pro eâ. Earum examen* Petavii Ἐποχὴ *& conclusio suspensa. Ejusdem Apologia jejuna pro Ecclesiâ.*

Clasis extrema prima *descendentium infra Aeram vulgarem &* προχρονισμὸν *ei impingentium.* Computi Græcorum, Georgii Syncelli, Pauli Forosemproniensis, Iacobi Christmanni, *&* Computi Æthiopum *calculus.*

Classis extrema altera *ascendentium supra Aeram vulgarem &* μεταχρονισμὸν *ei impingentium. Sententiæ variæ.* Forosemproniensis *somnium.* Iustini Martyris *calculus.* Πρόσθεσις Sexennii Ant. Cappelli. *Eius hallucinationes.* Πρόσθεσις quinquennii Keppleri. *Fundamentum ejus.* Πρόσθεσις quadriennij Suslygæ & Dekerij. Πρόσθεσις triennii Sulpitij Se-

ueri. *Animadversiones* Ios. Scaligeri *ad Tertullianum.* Πρόθεσις biennii. *Fautores huius sententiæ veteres & recentes. Fundamenta* Ios. Scaligeri. *Rationes* Sethi Calvisii. *Ejusdem opinio de calculo Eusebij. Eius Examen.* Ἐπιχείρημα Baronii. *Censura* Arnaldi Pontaci. Baronii *conflictus super calculo* LXX. *Ejusdem judicium de editione* LXX. Card. Carafæ. *Iudicium contrarium* Serrarii & Bonfrerij. *Hallucinatio* Baronii, *& confusio temporum.* Sethi Calvisii *iusta animadversio. Paradoxa* Baronio *impacta à* Casaubono. Πρόθεσις anni unius. *Fautores huius opinionis veteres & recentes. Error & contradictio* Baronii *super calculo Epiphanij.* Παρόραμα Sethi Calvisii *super calculo Eusebii.* Montacutii *vindiciæ.* Funcii *hallucinatio.*

Ἐπίκρισις *Authoris. Tres characterismi Scripturæ de Natali Christi. Quid definiant, quid non? Notatio Scripturæ sufficiens. Duo rerum genera. Definitio temporum quando necessaria, quando non item. Natalis Christi illatio ex Scriptura, tum* negativa, *tum* positiva, *sed communis & indefinita.*

I. QVA-

I. QVADRATVRAM circuli, numeros Platonicos, & alia id genus, inter ἄπορα habuit Antiquitas, Theologi & Chronologi Quæstionem de vero Christi Natali, & solido æræ Christianæ principio. Hìc sanè οὐδ᾽ Ἐξηκεστίδης ἂν εὕροι τὴν διεξεῖν ὁδόν. Ita salebrosa omnia, perplexa & incerta quæ super hoc argumento vel disputantur, vel definiuntur. *Causæ* ejus rei notari possunt, partim *communes*, partim *propriæ*. *Communes* sunt, Epocharum variarum initia dubia, connexio difficilis, nomenclatura anceps, fundaméta incerta, Scriptorum & expositorum conflictus perpetui, & integra sentétiarum inter se arietantium plaustra. *Propriæ* sunt, tardior æræ Christianæ constitutio, regni Herodis, census Cyrenij, & triginta annorum Christi apud Lucam diversa tum expositio, tum supputatio. Adeóque hic non tam rei vel *obiecti*, quàm *subjecti* & *medii* obscuritate laboratur.

II. Non immeritò verò in veram hujus Epochæ radicem inquiritur, tum hostium veritatis causâ, tum nostrâ. *Prius*, ut cavilla retundantur hominum protervorum, qui eo nomine Religionem Christianam proscindunt, quasi cum Mathematicorum abaco & calculis periclitetur & nutet ejus veritas: *Posterius*, ut constet quid super eâ re Spiritus S. voluerit nos scire, quid ignorare? qui in S. Scripturâ characterismi? quousque secundum illos progrediendũ; & ubi pes figendus? Tametsi enim variæ aliç dentur Epochæ tum sacrç, tũ profanæ, eæq; illustres, sive ὄντως, sive δοξαστῶς, opinione illorum qui iis utuntur, nulla sanè reperiri potest, quæ ad Aeræ Christianæ dignitatem accedat. Numerent Iudæi annorum seriem à Mundo condito, à Diluvio, à Divisione gentium & linguarum, à vocatione Abrahami, à Descensu Israelitarum in Ægyptum, ab Exitu ex Ægypto, à promulgatione Legis, ab ingressu in terram sanctam, à structurâ primi Templi, à captivitate Babylonicâ, à cõstructione Ædis secundæ, à destructione ejus per Romanos: Numerent Græci tempora sua per Olympiades, annos Iphiteos &c: Consignent Romani Fastos suos per annos V.C. per Coss. per annos Iulianos, Actiacos, Augustales, &c: Vtantur Syri & Syro-Græci Epochâ Alexandrinâ, Turcæ & Arabes annis Hegiræ sive διωγμοῦ Muhammedis, Persæ ærâ Iezdegirdicâ, Tabulæ Ptolemaicæ, Alphonsinæ, &

Prutenicæ annis Nabonaſſari, alii aliis id genus Epochis. Eccleſia Chriſtiana illis ſanè omnibus uti poteſt ad temporum collationem, ita tamen ut potiſſimùm tempora ſua metiatur à Natali ſui Servatoris, & computum hunc velut in peculio habeat. *Generatio* enim *Chriſti*, ut optimè *Leo*, eſt *origo populi Chriſtiani*, & *natalis capitis eſt natalis corporis. Et dum Salvatoris adoramus ortum, invenimur nos noſtrum celebrare principium.*

III. Mirum enimverò Chriſtianos ſeriùs de Aerâ hac tum conſtituendâ, tum uſurpandâ cogitaſſe, nec eâ fuiſſe publicè & conſtanter uſos, ſaltem à Conſtantini Magni ætate, ſed tempora notaſſe interdum cum Græcis, interdum cum Romanis ab Alexandro Magno, ab Olympiadibus, à Coſſ. ab Annis Auguſtalibus, Actiacis, Diocletianeis, ab Indictionibus, & aliis id genus radicibus profanis. Videantur ipſa Synodorum & Conciliorum veterum Acta, quę auguſtiſſima poſt Sacras Scripturas Chriſtianorum monumenta. Annon ſtupendum annorum Chriſti rationem non haberi? haberi Epocharum humanarum, Annorum ab Alexandro M. Imperatorum, Conſulum, Indictionum &c. Sic Epiphanius in Panario & Ancorato aliquoties calculum ducit ab annis Diocletiani. Idem Ambroſius facit, & alii Patres paſſim.

Notum equidem Aeræ Chriſtianæ, quę vulgò obtinet, conſtitutionem adſcribi *Dionyſio Scythæ*, cognomento *Exiguo*, Abbati Romano, qui primus abolitâ annorum Diocletiani Epochâ, faſtu & edicto Tyranni introductâ, & annis Actiacis ſubſtitutâ, *noluit cyclos ſuos paſchales ab impii Principis annis computare*, ſed *magis elegit ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti annorum ſeriem prænotare*, ut inquit *Beda*, libro de ratione Computi, cap. XVII. Contigit illud ſub Imperio Iuſtiniani, circa annum Chriſti DXXXII. quem *Dionyſius* ita numerandum oſtendit loco anni Diocletiani. CCXLVIII. Tametſi enim quidam ex Veteribus annorum Chriſti meminiſſe videantur, ut *Philaſtrius*, *Euſebius*, & pauci alii, id tamen rarum in tot eximiis Scriptoribus, quorum monumenta præ manibus habemus, ſuſpectum etiam in quibuſdam. *Petavius* ſanè lib. IX. cap. I. de Doctr. Temp. fatetur annos Chriſti ab Euſebio notatos non fuiſſe, neque illos qui hodie Chronico ejus intexti ſunt cum noſtris congruere. *Arnaldus* quoque *Pontacus* Epiſcopus Vazatenſis, vir eruditus in Notis ad Euſe-

Eusebium, Verba Eusebii[*quo anno cœpit Christianorum salus, qui & primus annus Christianæ salutis numeratur*] *deesse* docet in *plurimis Codicibus*, adeoque satis innuit ea saltem ut suspecta obelo digna, *tum quòd nullus penè MS. contexat annos à Christo, tum quòd certum sit illos quibus utimur primùm constitutos à Dionysio Exiguo, tum quòd communis numerandi annos à Christo ratio in rescriptis Pontificum & Regum, seu Actis publicis, seu etiam in Chronographis & Historiis multò post Eusebium nata fuerit, sive tempore Caroli M. vel ante vel post.* Vnde *Pseudo-Isidorus* Decretalium Epistolarum compilator, ut antiquitatis opinionem scrutis & centonibus suis conciliaret, Coss. nominibus prisco more Epistolas plerasque, Diocletiani Epochâ aliquas, v. g. Caji unam & Marcellini duas, per fraudem signare studio habuit. Sed & hoc ipsum ἀφρημα revincendo Impostori, & detegendis fucatis mercibus inservire diuina providentia voluit ob insignes hominis protervi in Consulum notatione lapsus, quos nequicquam excusare conantur *Binius* & *Turrianus*, ut eruditè & accuratè ostendit *David Blondellus* Vir CL. in Proleg. ad Isid. cap. VIII.

IV. Constat quinetiam ipsum *Iustinianum*, Edicto quod de notatione temporum & consignatione Actorum publicorum scivit, nec Æræ Christianæ meminisse, nec ejus usum imperasse, sed de nomine Imperatoris, Coss. & ab Indictione fastos signari jussisse, ut videmus in *Novellâ Constit.* XLVII. promulgatâ anno XI. Iustiniani cap. I. *Sancimus eos quicunque gestis ministrant, sive in Iudiciis, sive ubicunq; conficiuntur Acta, & Tabelliones qui omnino qualibet formâ documenta conscribunt in hac magnâ civitate, sive in aliis gentibus omnibus, quibus nos præsidere dedit* DEUS, *hoc modo incipere in documentis. Imperii illius Sacratissimi Augusti Imperatoris anno*, &c. *& post illa inferre Consulis appellationem qui in illo anno est: & tertio loco Indictionem, mensem & diem*, &c. Addit quidem *Glossa* annum Dominicæ Incarnationis apponendum, etsi hac lege vel aliâ non caveatur, *esse enim de consuetudine.* Sed tempore Imperatoris nondum erat de consuetudine. Nec *Accursii* animadversio tolerari potest ob insignem ejus ἀναχρονισμὸν, supponit enim Iustinianum regnasse tempore nativitatis Christi, & *ideò non dicere fortè de annis Domini ponendis, cum pauci essent eo tempore.* Immò præterquam quod pauci etiam illi numerandi fuissent, notum, Iustinianum non nisi circa annum Christi DXXVII. im-

perare cœpisse. Fatendum ergo Imperatorem humani quid passum, & de humanâ potius Majestate, quàm de divina amplianda hîc loci cogitasse, cùm alioquin sæpè pietatem suam luculenter testetur, v.g. *Novellâ* CXXXII. maximè Edicto eximio *De Fide Orthodoxâ*, quod sub Iustiniani nomine in *Iure Græco-Romano* habetur *Tom.* I. Cui etiam *Procopii* cavillum laudi cedit, quiritantis, *Imperatorem, omißâ re bellicâ, intra Palatij cubiculum reclusum cum sacrificulis omnes bonas horas consumere in articulorum fidei minutiis secernendis.*

V. Quanvis verò Christiani abhinc multis annorum Centuriis amicè inter se conspirent in Æræ à Christo nato ductæ usu, dici tamen satis non potest, quantopere à se invicem discedant Chronologi in figendo æræ illius principio, quum passim alii aliorum placita refigant, & in illos jure verti possit, quod olim à *Basilio* dictum in Philosophos, οὐδὲ εἷς παρ᾽ αὐτοῖς λόγος ἕστηκεν ἀσάλευτος καὶ ἀκίνητος, ἀεὶ τοῦ δευτέρου τὸν πρὸ αὐτοῦ καταβάλλοντος. Difficile sanè & operosum in tanta opinionum varietate vel singulas enumerare, vel statuere quæ potissima sit ex omnibus, immò arduum sæpe nosse, qui ex ipsis Chronologis, qui idem loqui videntur, idem sentiant, quandoquidem easdem Epochas sæpe alii ab hoc principio arcessunt, alii ab alio. Quod nisi diligenter discernatur, sæpe multis affingetur sententia aliena, & quam illi minimè sunt amplexi. Sic intercedunt non paucæ difficultates aliæ, quæ necessariò notandæ ad cautelam in προθεωρίᾳ.

VI. Quanta v.g. computorum à condito Mundo ad Christum ductorum varietas? Id unum Chronologos operam dedisse dicas, ne quod oleariis olim in Velabro, id sibi impingi possit. Ita magnâ contentione in partes itum. Sententias omnes coacervare nihil attinet. Sunt qui plus quàm XL. diversas recensent. Patres sanè, Chronologi & Historici veteres hîc in alia omnia eunt, *Origenes, Epiphanius, Eusebius, Augustinus, Isidorus, Nicephorus, Cedrenus, Orosius*, alii. Nec de paucis tantùm annis componendis laboratur, sed sæpe de integris annorum Centuriis. Sic sanè calculus *Vrspergensis, Pici Mirandulani & Funccij*, multùm differt à calculo *Bedæ* & *Naucleri*, uterque à computo *Alphonsi & Regio-Montani*. Similis aliorum ratio. Nec *Genebrardo, Pererio, Samerio, Torniello, Saliano, Petavio*, aliisq; ὁμοδόξοις alioquin inter se conve-

convenit. Sic Iosephi computus abit & à computo Talmudistarum & à computo Christianorum. Ecclesiarum Orientalium calculus quoque diversus est à calculo Occidentalium. Immò *Petavius* lib. IX. de Doctrina Temporum cap. VI. disertè profitetur, annorum ab orbe condito ad hæc tempora numerum nec certâ ratione compertum esse, nec citra divinam significationem posse deprehendi.

VII. Causæ hujus diversitatis variæ dari possunt. Præcipuæ sunt 1. Diversitas Codicum quorum authoritas invaluit. Quidam enim Hebræam veritatem, quidam LXX. Interpretum calculum sequuntur, qui à priori non parum distat, vel in primis in primâ & secundâ ætate, ubi plures longè anni in versione Græcâ, quàm in textu Hebræo. *Baronius* præter omnem rationem in Apparatu ad Annales §. CXVIII. calculum LXX. præfert Hebræo, etsi vitiosum, omnium eruditorum consensu, fatentibus id ipsum *Torniello* & *Saliano*, immò & *Petavio* cap. IV. lib. XII. de Doctr. Tempor. & lib. IX. cap. VI. qui monet LXX. Interpretes Hebræorum numerum in primo intervallo superare annis DLXXXVI. vel pluribus: In secundo intervallo, ferè nongentis. Accedit Interpretis vulgatæ versionis, quæ authentica Pontificiis, authoritas. Sic *Petavius* lib. VII. cap. VIII. fatetur vix unum alterumve reperiri, qui ad LXX. seniorum calculos adhærescat, etsi perperam ibidem ex Latinis Bibliorum Codicibus intervalla subducenda innuat, quasi æqua eorum authoritas foret cum Hebraicis. *Seb. Barradas* cap. IX. lib. VIII. de Nativ. Christi liberè monet, vulgatis Hebræorum Codicibus consentientem supputationem sequendam esse, & centum annos adjectitios detrahendos plerisque in primâ & secundâ ætate, qui abundant apud LXX. 2. Addi potest & alia hujus varietatis causa, nam nec illi qui Hebræam tantùm veritatem sequuntur, pariter remum ducunt. Causæ sunt, diversa supputatio annorum & intervallorum ab initio Mundi ad excidium Hierosolymitanum & captivitatem Babylonicam, dissensus itidem Interpretum in explicandis locis quibusdam Biblicis, ubi sedes calculi sacri. Vbi sæpe authoribus & rationibus inter se commissis ambigendi & hærendi materia non exigua objicitur Lectori. Sic regnorum, quorum in S. Scripturâ mentio, initia sæpe obscura sunt & incerta, filiorum regno interdum cum Patrum regno confuso, in-

terdum ab eo diſtincto, prout vel conjunctim regnarunt cum Patribus, vel ſeparatim. Sic hiatus quandoque ob interregna à multis conſtituta, & diverſas periodos illis aſſignatas. Nec conſtat ſemper an Iudices Iudicibus, Reges Regibus ἀμέσως ſucceſſerint. Quorundam ſententiâ etiam anni Regum ſæpe totidem conſtituuntur quot paſchata ſub illis celebrata. Sic conciliatur à *Calviſio* ἐναντιοφανὲς, de triennio Abiæ collato cum regno Ierobaami 1.*Reg.* XV.1.2.& *verſ.*9. Sic difficultas non exigua in connexione annorum Mundi cum variis Epochis, Olympiadum, V.C. Nabonaſſari, & aliis id genus. Aliqui ex Interpretibus quin etiam in annis Mundi ad Epocham Chriſtianam alligandis ſolâ S. Scripturâ niti volunt, alii exoticorum Scriptorum ſubſidiariam operam neceſſariò adhibendam cenſent, & ob id in diverſa abeunt. Adde Iudicum, Regum & Paralipomenων Chronologiam non uſque adeò planam eſſe, quin graviſſimi nodi necti poſſint diverſis in locis. Supputatio quinetiam numerorum magnorum CCCCXXX. *Exod.* XII.40. & CCCCLXXX. 1.*Reg.* VI. 1. (qui in Scriptura ſingulari Dei providentia exprimuntur, & ſine quibus Chronologia Biblica hiulca foret) anceps eſt & dubia. Conferatur vel unus locus *Act.* XIII.20. cum 1.*Reg.* VI.1. ubi ſi addantur tempora intermedia inter exitum Iſraelitarum ex Ægypto, & κληρουχίαν, tempora item illam inſequentia ad quartum uſque annum Salomonis, numerus dicto Regum loco expreſſus deficere, & complures anni adjiciendi videntur, quod *Petavius* facit, qui exitum Iſraelitarum ex Ægypto pro plenaria eorum è deſerto eductione intelligit, vnde demum CCCCLXXX. annorum calculus, cujus mentio in primo Regum, ſit ducendus.

VIII. Accedunt difficultates aliæ, quæ calculum ſacrum mirè perturbant. Copulantur v.g. anni Chriſti ſæpe cum annis Vrbis, ſine diſtinctione *Paliliorum*, unde annorum illorum ſeries putatur. At cum duplicia ſint *Varroniana* & *Catoniana*, ſecundùm *Scaligerum*, vel *Capitolina* à faſtis Capitolinis, ſecundùm *Petavium*, & annuum inter illa interſtitium, tempora confunduntur, niſi addatur à quibus Palilibus anni Vrbis ducantur. *Varroniana* enim, ſecundùm *Scaligerum* & *Calviſium*, Vrbis initium figunt anno Mundi 3197. Iphiti XXIII. Olympiadis VI.3. periodi Iul. 3961. *Catoniana* vel *Capitolina* anno Mundi 3198. Iphiti XXIV. Olympiadis

piadis VI.4.periodi Iul.3962.duobus mensibus ante initium Olymp.VII.vel Iphiti XXV. A Palilibus enim Vrbis ad primos Coss. *M.Porcius Cato* putabat elapsos fuisse annos CCXLIII.secundùm *Scaligerum*, *Varro* CCXLIV. Omitto opinionem *Fabii Pictoris*, quam non improbat celebris Fastorum scriptor *Onuphrius*, conjicit is initium Vrbis in Olympiadis VIII. annum primum, vel Iphiti XXIX. *Dion. Halicarnassæus*, *Polybius*, *Solinus*, & ex recentioribus *Beroaldus*, Vrbis initium rejiciunt in annum Iphiti XXV. Olympiadis VII.primum. Rationem diversitatis reddit *Calvisius* cap.X. cum prima Palilia Vrbis incidant in diem XXI. Aprilis, quo condita Roma putatur, & verò anni Olympiadici incipiant mense Iulio, Authores sæpe annum sequentem Olympiadicum, qui nondum cœpit, propterea quod primus annus ferè totus cum Olympiadico sequente concurrat, pro anno V.C. ponere, cum reverâ ad præcedentem pertineat. *Helvicus* convenit cum *Scaligero* & *Calvisio* in annis Mundi, & periodi Iulianæ, differt tamen in alligatione annorum Olympiadicorum. *Dionys. Petavius* Palilia Varroniana conjicit in annum quidem eundem periodi Iul. 3961. cum *Scaligero* & *Calvisio*, interim ei connectit Olympiadis VI. annum non tertium sed quartum, quod & *Helvicus* facit. Vide *Petavium* cap.XLVI.& L.lib.IX.de Doctr.Tempor.& tamen idem *Petavius* parum sibi constans cap.XLIX.ubi in *Onuphrii* calculum inquirit, secundùm Varronis sententiam conditam Vrbem asserit anno Iphiti XXIII. Olympiadis VI.tertio. In qua connexione annorum Olympiadicorum contradicit disertè illis quæ ipse ponit initio cap.XLVI. & fine cap.L. ubi Varronis prima Palilia iniisse contendit anno periodi Iul. 3961. qui respondet anno Iphiti XXIV. Olympiadis VI. quarto. Nec dici potest diversam Olympiadum radicem constitui à *Petavio*, consentit enim lib.IX.cap.XLI.in initio Olympiadum & annorum Iphiti prorsus cum *Scaligero*, *Calvisio*, & aliis, & conjicit id in annum periodi Iulianæ 3938. Cycli Solis XVIII. Lunæ V. qui est Mundi 3174. secundùm *Petavium* 3208. Qui ergo à diversis annis Olympiadis vel V.C. Æram Christi ducunt, & diversa sentire videntur, tamen sæpe intelligunt eundem annum, calculo eorum relato ad periodum Iulianam: sic qui in eodem anno periodi Iulianæ concurrunt, in diversa tamen sæpe abeunt, habita ratione annorum Iphiti & calculi Olympiadum.

Calvisius quidem cap. x. nititur conciliare calculum Varronis simul & Catonis, & inquit se deprehendisse quo ad initium Vrbis sententias illas diversas non esse, sed tantùm Scriptores Græcos à Latinis & Romanis discrepare in annis Olympiadicis ad Coss. applicandis, quod probare satagit ex diversâ Græcorum & Romanorum Scriptorum tempora putandi ratione, & ex diversis initiis Coss. & Olympiadum. Sed tamen annuum semper interstitium inter calculum illius & *Petavii*. *Calvisius*, secutus initium Catonianum, Vrbem conditam statuit anno Mundi 3198. periodi Iul. 3962. Cyclo Solis XIV. Lunæ X. *Petavius*, secutus initium Varronianum, eam conditam censet anno periodi Iul. 3961. qui concurrit cum anno Mundi 3197. Cyclo Solis XIII. Lunæ IX. Sic in annis ante Christum computandis manet adhuc diversitas inter illos. Annum enim Mundi 3198. periodi Iul. 3962. *Calvisius* constituit DCCL. ante Christum natum : *Petavius* annum periodi Iul. 3961. adeoque Mundi 3197. notat esse DCCLIII. ante Christum natum; ubi denuò διάστημα magnum, & alligatio diversa Epocharum. Hinc sanè nodi non exigui Lectori nectuntur, qui & passim in Chronologis aliis calculum sacrum cum Epochis illis collatum perturbant.

IX. Sic qui eodem anno Actiaco Christum natum contendunt, nec illi semper ὁμορροθοῦσι, quia Epocham Actiacam alii ducunt à prælio navali ad Actium promontorium inter Octavium Augustum & Antonium ac Cleopatram commissum, Augusto III. & M. Val. Messalâ Coss. alii à captâ demum Alexandriâ, & à morte Antonii, Augusto IV. & M. Licinio Crasso Coss. anno sequente, ubi annuum etiam διάστημα. Victoria enim Actiaca incidit in annum Mundi 3919. Iulianum XV. periodi Iulianæ 4683. Cyclum Solis VII. Lunæ IX. Mors verò Antonii & expugnatio Alexandriæ in annum Mundi 3920. periodi Iulianæ 4684. XVI. Iulianum, Cyclum Solis VIII. Lunæ X. Alius ergo annus Actiacæ victoriæ à prælio quo ad Actium profligatus Antonius, alius annus Actiacæ victoriæ à capta Alexandria & morte Antonii. Alius etiam annus Actiacæ victoriæ, alius æræ ab Actiacâ victoriâ. Et sanè anno demum quo sibi mortem conscivit Antonius, & Alexandria expugnata fuit, in honorem Octavii inter alia decretum fuit, ut ab anno captæ Alexandriæ reliquis annis numerandis initium sumeretur,

Dione referente lib. LI. Τήν τε ἡμέραν ἐν ᾗ ἡ Ἀλεξάνδρεια ἑάλω, ἀγαθήν τε εἶναι, καὶ ἐς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴν τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτῆς νομίζεσθαι. Quod factum Iuliano XVI. Et revera post mortem Antonii demum invaluit hæc Epocha in Ægypto, & successit ibi annis Nabonassaréis.

X. Sic *annorum Augusti* relatio ad æram Christianam distinguenda, ob varia eorum initia, quibus non distinctis Lector falli potest. Quintuplex enim eorum reperitur principium apud Scriptores. Ducuntur enim 1. A Iulij Cæsaris cæde. 2. A primo ejus Consulatu, quem A. Hirtio & C. Vibio Pansâ sublatis invasit, Collega Q. Pedio. 3. A victoriâ ad Actium reportata. 4. Ab expugnata Alexandria & morte Antonii. 5. A delato ipsi nomine Augusti, & principatu legitimo, sententiam ferente L. Munatio Planco in septimo ejus Consulatu, quem iniit cum M. Vipsanio Agrippâ, secundùm Dionem. Quæ omnia cùm diversis annis acciderint, cædes Cæsaris Iuliano II. primus Augusti Consulatus Iuliano III. Victoria ad Actium Iul. XV. Expugnatio Alexandriæ & mors Antonii Iuliano XVI. Tituli Augusti & principatus collatio Iuliano XIX. diligenter distinguenda sunt, alioquin qui eodem anno Augusti Christum natum contendent, dissentire possunt, & consentire qui diversis. Sic *Baronius* in Apparatu ad Annales §. CIII. CIV. CV. hoc modo diversas sententias de Natali Christi conciliare nititur, quod quidam Christum XLII. quidam XLI. quidam XXVIII. anno Octaviani Imperij natum contendant, primam nimirum classem annos Augusti numerare à cæde Iulii Cæsaris, secundam ab invasione Consulatus anno sequenti, tertiam ab Actiaco prælio, secundùm *Clem. Alexandrinum* & *Eusebium*. At verum quidem bene inter se connecti annum XLII. à cæde Cæsaris & XLI. ab invasione consulatus, annum XXVIII. non item, ductum à prælio Actiaco, is enim XXIX. est. Substituendus igitur annus Actiacus XXVIII. à captâ Alexandriâ & morte Antonii, qui respondet reliquis duobus supra dictis XLI. & XLII. & rectè cum iis connectitur, prout & ibidem *Baronius* bene notat errorem Eusebii in calculo Olympiadico prælii Actiaci, ut quod contigit non Olympiadis CLXXXVII. anno tertio, sed secundo.

Sic, si dicatur Christus natus hoc vel illo anno *Æra Augustorum*, ludibrium debebit Chronologis, qui radicem ejus non di-

ſtinguet. Ambiguum enim erit, an Ærâ illâ deſignetur Æra Auguſtorum Deorum, pro more Ægyptiorum, quæ coincidit cum Ærâ Actiacâ ductâ à captâ Alexandriâ & morte Antonii, an verò notetur Æra quæ initium habet à tempore quo collatus Octavio titulus Auguſti in Senatu, cujus connexio cum annis Iulianis ſuprà oſtenſa.

XI. Idem de Epochis variis aliis dici poſſet, ſed hæc ſufficiunt ad cautelam. Notandum præterea, à temporum ſupputatoribus ſæpe calculum male poni, ob non ſervatam diverſam annorum nomenclaturam, quando videlicet confunduntur anni *labentes* & *abſoluti*, *completi* & *incompleti*, *incluſivè* ſumpti & ſumpti *excluſivè*. Sic obſcurum quandoque, an Scriptura *rotundis* numeris utatur, an *integris*. Sic annum *abſolutum* poni pro *labente Dan.* I. I. tertium Iojakim pro quarto, qui *Ierem.* XXV. I. obſervat *Scaliger* in proleg. de Emend. Temp. Sic conciliat ibidem ἐναντιοφανὲς ex collatione locorum *Matth.* XVII. I. & *Marc.* IX. 2. cum *Luc.* IX. 28. qui enim prioribus locis ſex dies *excluſivè* vocantur, poſteriori *incluſivè* vocantur octo, ibi utroque termino excluſo, hîc incluſo. His ergo non diſtinctis calculus ſæpe incertus, & hallucinationes obviæ.

XII. Sic annorum initia diverſa non obſervata multos implicant. Alii enim à bruma ducuntur, alii ab æquinoctio verno, alii à ſolſtitio æſtivo, alii circa æquinoctium autumnale, alii initium planè vagum habent, ut anni Nabonaſſarei, Hegiræ, Iezdegird, Philippéi, & alii id genus, quibus non diſtinctis difficilis Epocharum variarum inter ſe collatio. v. g. annus Iulianus, Æra Dionyſiana, & periodus Iuliana incipiunt à Kalendis Ianuarii, anni Auguſtani à Februario, Æra annorum Mundi ſecundùm quoſdam à Martio incipit, annorum V. C. principium figitur in Aprili, Templi Hieroſolymitani in Maio, periodi Calippicæ in Iunio, Olympiadum vel annorũ Iphiti in Iulio, Æra Diocletiana quæ & Æthiopum, & Gratiæ, & Coptitarum vel Martyrum dicitur, initium ducit à fine Auguſti. Æra Actiaca ab eodem tempore aliis, aliis ab initio Septembris ducitur, prius ratione expugnatæ Alexandriæ, poſterius ratione prælii ad Actium commiſſi. Sic periodus Iudaica ſub initium Octobris, annorum Mundi Epocha à *Scaligero* & *Calviſio* ſub finem Octobris inchoantur. Æra Maccabæorum refertur ad Novembrem, Indictionum Pon-

tificiarum initium circa Decembris finem, Cæsarearum circa finem Septembris constituitur. Quî ergo, sine confusione maximâ, annorum principiis vel ignoratis, vel non observatis, nec iis ad formam anni nostri Iuliani relatis, diversæ Epochæ ad Æram Christianam poterunt alligari, & cum ea connecti? Hinc sæpe contradictio apparens, sed apparens tantùm. Exemplum ejus rei proponit *Helvicus* Chronologus CL. passionem Christi quæ accidit Olympiadis CCII. anno quarto referri juxta Kalendarium Iulianum in annum Mundi 3982. cui Olympias CCIII. apposita conspicitur, iniens nimirum demum ab Augusto mense, cum tamen eodem anno Iuliano, mense Aprili quo passio contigit, Olympiadis CCII. annus quartus adhuc decurreret.

XIII. Sic in connexione Epocharum à multis peccatur, nec semper anni illi sibi invicem respondent, quos sibi respondere supponunt multi. *Maximi Monachi* παρεργήματα hic notat *Petavius*, qui, ob hypothesin missionis Angeli ad Zachariam, quam vult contigisse XXVII. Septembris feriâ quintâ, Cyclo Solis VI. Lunæ XVII. periodi Iulia. 4710. Natalem Iesu Christi refert in annum sequentem Cycli Solis VII. Lunæ XVIII. qui est periodi Iul. 4711. Si tamen posteriora tempora intueamur, certum, eundem *Maximum* sibi non constare, componit etiam annum XXXI. Heraclii cum anno Christi DCXXXIII. qui tamen est DCXL. Cycli Solis V. Lunæ XIV. unde patet septem annis secundùm hunc calculum truncari Æram Christi, & ejus initium conjici in septimum demum Æræ Christianæ. Sic P. *Comestor* Histor. Schol. Evang. cap. V. Natalem Salvatoris refert ad annum XLII. Augusti, Olympiadis CXCIII. tertium & V.C. DCCLII. Hi characteres tamen diversi sunt, & Natalem Servatoris in diversis annis constituunt. Vndecunque etiam sumantur anni Augusti. Si à cæde Iulii Cæsaris XLII. Aug. respondet per. Iul. anno 4712. Cyclo Solis VIII. Lun. XIX. Si à primo consulatu, respondet anno per. Iul. 4713. Cyclo Solis IX. Lunæ I. Si à prælio Actiaco, respondet anno periodi Iulia. 4725. Cyclo Solis XXI. Lunæ XIII. Si à captâ Alex. & morte Antonii, respondet anno per. Iulian. 4726. Cyclo Solis XXII. Lunæ XIV. Si à delato Octavio Augusti nomine & principatu XLII. Augusti respondet anno periodi Iulia. 4728. Cyclo Solis XXIV. Lunæ XVI. At cum nullo ex his annis Augustanis & characterismis illorum convenit annus Olympia-

dicus à *Comestore* notatus: Olympiadis enim CXCIII. tertius est Iphiti DCCLXXI. periodi Iulian. 4708. & Cycl. Sol. IV. Lunæ XV. Sic annus V.C. DCCLII. à *Comestore* notatus tantùm respondet anno Augusti XLII. à primo ejus Consulatu, Olympiadis verò CXCIV. quarto qui Iphiti DCCLXXVI. &c. Sic *Antonius Cappellus* componit perperam inter se Olympiadis CXCIV. primum, Nabonass. DCCXLV. & Iulianum XL. Præterquam enim quod Olympiadis CXCIV. primus qui Iphiti DCCLXXIII. respondet potius Nabonassareo DCCXLIV. Iulianus XL. respondet solùm Olympiadis CXCIII. tertio qui Iphiti DCCLXXI. Olympiad. CXCIV. primus est Cycli Sol. VI Lunæ XVII. Nabonassareus DCCXLV. est Cycl. Sol. VII. Lun. XVIII. Iulian. XL. Cycl. Sol IV. Lunæ XV. Sic *Centuriatores*, eximii cæteroquin Viri, connectunt inter se Cent. I. lib. I. cap. X. XLII. Aug. & mortis Antonii ac Cleopatræ octogesimum secundum, inter quos immane διάςημα, cùm octogesimus secundus à morte Antonii & Cleopatræ incidat demum in annum Mundi 4002. & Claudii XIII. Suspicor itaque ex citatione Eusebii octogesimum secundum pro vicesimo octavo ex permutatione numerorum primò positum, inde eodem errore integris literis exscriptum fuisse. Sic *Abrahamus Bucholzerus* Chronologus cæteroquin eruditus hîc impingit. In Isagoge enim suâ Chronologicâ annos diversos Natali Christi assignat, & illis quas adhibet Epochis in diversa abit, quippe quæ characteres diversos habent. Docet ille Christum natum anno Mundi 3970. Nabonassareo DCCXLVI. Act. victor. XXVIII. Olympiadis CXCIII. tertio vel Iphiteo DCCLXXV. Anno V.C. DCCLII. Coss. Aug. XIII. & M. Plautio Sylvano. In collatione harum Epocharum varia παροράματα, & diversi anni Natalis Christi observantur. Primò enim annus Mundi 3970. secundùm calculum præstantissimorum Mathematicorum, est per. Iul. 4734. Cycl. Solis II. Lunæ III. Olymp. CC. primus, Iphit. DCCXCVII. V.C. DCCLXXIII. secundùm Palilia Catoniana, Nabonassareus DCCLXVIII. Iulian. LXVI. Sed prætermisso annorum Mundi computo, qui varius est & multiplex, ne reliquæ quidem Epochæ, quas confert *Bucholzerus*, sibi invicem respondent. V. g. Nabonassareus DCCXLVI. non respondet anno Actiaco XXVIII. sed XXIX. à prælio, à quo illum *Bucholzerus* ducit, etsi respondeat Actiaco XXVIII. à capta Alexandria & morte

Antonii

Antonii. Annus Nabonassar. DCCXLVI. est periodi Iulia. 4712. Cycl. Sol. VIII. Lun. XIX. Annus verò Actiacus XXVIII. à prælio est periodi Iulianæ 4711. Cycl. Sol. VII. Lun. XVIII. Annuum ergo interstitium inter utrumque hunc characterem. Sic nec annus V.C. DCCLII. secundùm Palilia Catoniana vel Capitolina, quæ sequitur Bucholzerus, & Olympiadis CXCIV. tertius vel Iphiti DCCLXXV. quibus inquit Christum natum esse, inter se connecti possunt. Annus enim DCCLII. V.C. est periodi Iulianæ 4713. Cycli Sol. IX. Lun. I. Iphiti verò annus DCCLXXV. est perio. Iul. 4712. Cycli Solis VIII. Lun. XIX. & respondet tantùm characteri anni Nabonass. DCCXLVI. Constituuntur ergò à Bucholzero characteres diversi natalis Christi. Secundùm Nabonassaréos & Olympiadicos annos Christus natus, ex sententiâ Bucholzeri, anno periodi Iulianæ 4712. Secundùm annos Actíacos periodi Iulianæ 4711. secundùm annos Vrbis conditæ periodi Iulianæ 4713. primo modo biennio, secundo triennio, tertio anno antevertit æram vulgarem, vtpote cujus primus annus incidit in period. Iulian. 4714. Cycli Solis X. Lunæ II. Secundùm Bucholzerum ergo annus v. g. M. DCXXXIV. ratione calculi annorum Nabonassaréi & Iphiti est M. DCXXXVI. Secundùm annos Actiacos est M. DCXXXVII. Secundùm annos Vrbis est M. DCXXXV. Calculum annorum mundi, vt varium & multiplicem in Chronologorum scriptis, non urgemus. In reliquis hallucinationes obviæ. Quum verò facillimum sit cæspitare in talibus, haudquaquam ob id convitium dicimus Viro Eximio, & de re Chronologicâ bene merito, sed ista tantùm adducimus ad cautelam, ut pateat, quàm ardua sit Epocharum variarum collatio, & quàm difficile sit hìc non quandoque impingere. Sic hallucinatur idem Vir Eruditus in applicatione Olympiadum ad annum nati Christi, dum natalem Christi refert ad Olympiadis CXCIII. pro Olympiadis CXCIV. tertium, ubi tamen sphalma typographicum suspicari malim.

XIV. Hæc προθεωρίας loco in antecessum prolixius præmittenda duximus, ut ostendatur Lectori perplexitas ejusmodi Quæstionum Chronologicarum, & æquitatis simul ac candoris in hallucinationibus Scriptorum observandis habeatur ratio, si alicubi fortè peccatum fuerit in calculo.

Inquirendum jam nobis erit distinctè in tempus Natalis

Christi Servatoris, & verum æræ Christianę principium. Vt verò argumentum intricatum ob ingentem opinionum diversarum varietatem dilucidè exequamur, I. Sententias præcipuas de anno natalis Christi recensebimus. II. Iudicium nostrum subjiciemus secundùm characterismos, quos S. Scriptura habet. Quæstione de anno discussâ, eâdem Methodo in mensem & diem Christi natalem inquiremus. Nec de nihilo hæc disceptatio, vel sterilis operæ. *Danda enim opera*, ut bene monet Illustriss. *Scaliger, ne hostibus Reip. Christianæ Iudæis & Mahumedistis ludibrium debeamus, qui per tot secula annum natalis ejus ignoremus, cujus ope & beneficio ad gratiam & vitam æternam renati sumus.* Et sanè eo nomine procaciter satis insultant Christianis Iudæi, quod non conveniat inrer illos de Natali sui Salvatoris: quorum cavillis occurrendum, & ostendendum, quid super hac re S. Scriptura definiat, & quibus cancellis nos coercere voluerit Spiritus S. Iudæi ipsi cæteroquin satis domi habent, quod curent, cum & ipsi de multis periodis & Epochis sacris inter se conflictentur. Et bene monet *Sulpitius Severus*, loquens de annis Mundi statim sub initium lib. I. *Cum vel Dei nutu, vel vitio vetustatis eveniat, ut parum inter se consentiant qui rationem temporum investigatam ediderunt, id calumniâ carere debebit.*

XV. Sententiæ verò variæ de anno Natalis Christi ad duo capita à nobis revocantur: vel enim sunt *hostium* Christi, vel *confessorum*. In primo genere occurrunt deliria Rabbinica de tempore Iesu Nazareni quæ prorsus absurda & falsa. Sic R. *Abraham Levita* in Cabbalâ Historicâ inquit, *Iosuam Perajæ filium fuisse Magistrum Iesu Nazareni, adeoque eum viguisse temporibus Iannis Regis, tametsi Historici exterarum gentium eum natum dicant diebus Herodis, Archelai autem tempore cruci suffixum.* Sic sanè, secundùm hunc Iudæorum calculum, discrimen centum propemodum annorum intercedit, quibus illi natalem Christi anticipant. Alexander enim ille Iannes, quem *Iosephus* libro decimo tertio capite vigesimo Antiquitatum Iudaïcarum vocat Ιαννάιον τὸν Αλέξανδρον, & qui aliâs Iamnéus Hircani F. Aristobuli frater, imperare cœpit circa annum Mundi 3850. periodi Iulianæ 4614. Olympiadis CLXX. primum V. C. DCLIII. secundùm Palilia Catoniana, Nabonassaréum DCXLVIII. Cyclo Solis XXII. Lunæ XVI. Fatetur ibidem R. Abraham inter Scriptores Iudæos & Hi-

& Historiographos exterarum gentium discrimen esse plus "
quàm centum & decem annorum. Addit verò, probabile esse; "
eum extitisse diebus Hillelis, & Sammei, & Iosuæ Perajæ filij "
Sapientis, qui profectus sit Alexandriam Ægypti in suo co- "
mitatu habens Iesum. Hic valde adversari Historicos exte- "
rarum Nationum, eos certè verba sua plurimis conclusionibus "
definientes, anno trecentesimo duodecimo, iuxta numerum "
contractuum, eum natum dicere, deinde anno XXXIII. cruci "
suspensum. Fuisse autem nativitatem ejus anno trigesimo o- "
ctauo Imperatoris Augusti Romanorum principis, diebus He- "
rodis, crucifixionem verò diebus Archelai istius filij. Fortassis "
autem (addit R. *Abraham*) usque eò pugnaciter contendunt, "
quò dicant templum & regnum Israël post crucifixionem ip- "
sius non nisi paulisper stetisse. At penes nos, inquit, verissima "
est traditio, & Historia è Misnâ atque Thalmud, quorum "
Auctores nihil de rebus immutarunt. Siquidem R. Iosue "
Perajæ filius fugit in Ægyptum, his Alexandri Iannæ die- "
bus, cúmque eo Iesus Nazarenus. Consimiliter apud nos "
vera est traditio, quod anno quinquagesimo primo regni "
Machabæorum, & ducentesimo nonagesimo nono structi "
templi comprehensus est, idque ætatis suæ anno trigesimo "
sexto, qui tertius erat regni Aristobuli Iannæ filii. Hactenus "
R. *Abraham*. "

XVI. Si conferamus hæc cum calculo Authoris *Seder Olam Sutha*, facilè reperiemus in quem annum mundi rejiciant Iudæi Natalem Christi. Numerat ille

Ab Adamo ad Diluvium annos	1656
A Diluvio ad divisionem linguarum	340
Ab illa divisione ad ortum Isaaci	52
Ab ortu Isaaci ad exitum ex Ægypto	400
Adde quadraginta annos exactos in deserto	40
Ab ingressu in terram ad exilium Babylonicum, annos	850
Inter ædem primam (Salomonis) & secundam (Zorobabelis) annos	70
Adde annos ducentos sexaginta tres à constructo templo, qui remanent, subductis triginta sex annis ætatis Iesu, quos ei compre-	

hensо tribuunt Iudæi, à ducentis nonaginta novem annis, quia R. Abraham Christum ducentesimo nonagesimo nono anno structi Templi comprehensum contendit. 263

Sic Natalis Christi incidet in annum Mundi 3671. ex sententia Iudæorum, qui, secundum calculum accuratum pręstantissimorum Chronologorum, connectitur cum periodi Julianæ anno 4435. Olympiadis CXXV. anno secundo, V.C. secundum Palilia Catoniana, vel Capitolina, CCCCLXXIV. secundum Varroniana CCCCLXXV. Nabonass. CCCCLXIX. secundum alios CCCCLXX. periodi Iudaicæ 3481. (quam notum deficere in creatione Mundi CLXXXVIII. annis, & merè technicam esse) Cyclo Solis XI. Lunæ VIII. lit. A. qui annus incidit in quartum Antiochi Soteris, Seleuci F. Coss. P. Sulpitio Saverrione & P. Decio. Datur hîc anticipatio ducentorum septuaginta septem annorum, ante verum Christi Natalem, & annorum ferè CLXXV. ante initium Alexandri Iamnei. Si calculum *Petavij* sequamur, qui annos ab Orbe condito ad Æram Dionysianam fluxisse credit 3983. lib. IX. cap. II. datur adhuc διάςημα majus in calculo Iudaico, & anticipatio annorum ducentorum septuaginta novem.

XVII. Calculum verò Iudæorum vitiosissimum esse ex S. Scriptura oppidò demonstrari potest. Prætermitto adjecta à Iudæis commenta, quæ πρῶτον ψεῦδος, de sinceritate Scriptorum & compilatorum Thalmud Iudaici, quod opus ex fabulis & nugis penè totum est conflatum. Conferamus verò calculum Iudaicum cum calculo S. Scripturæ. Numerat illa 1. *Reg.* VI. I. CCCCLXXX. annos ab exitu populi Israelitici ex Ægypto ad constructionem templi primi, & annum quartum Salomonis. Addantur anni reliqui regni Salomonis XXXIV. & Regum successorum usq; ad captiuitatem Babylonicam, reperiẽtur CCCCXVII. anni. Conjunctis annis CCCCLXXX. & CCCCXVII. resultat summa annorum DCCCXCVII. Iudæi verò numerant tantùm annos DCCCXC. ut patet ex collectione annorum XL. exactorum in deserto & annorum DCCCL. quos intercessisse vult Author *Seder Olam Sutha* inter ingressum populi in terram Sanctam, & exilium Babylonicum. Si prætereatempora eorum qui populo Iudaico ab Exodo ex Ægypto ad Salomonem usque præ-

præfuêre, ex Mosis, Iosuæ, Iudicum ac Samuelis libris colligamus, quod facit *Petauius*, plures longè reperientur, & *διάστημα* majus. Quod fieri potest salvâ loci I.*Reg*.VI.I. authoritate, definito spatio integro cum *Petavio* annorum DXX. & exitu ex Ægypto I.*Reg*.VI. accepto pro tempore quo Israelitæ trajecto Iordane penitus Ægypto, & desertis interjectis, exiisse sunt censendi: XL. proinde annis peregrinationis in deserto subtractis, remanebunt anni illi CCCCLXXX. de quibus dicto loco I.*Reg*.VI.I. sermo. Sic Iudæi numerant tantùm LXX. annos inter ædem primam & secundam, ושבעים שנה בין בית ראשון לבית שני, inquit Author *Seder Olam Sutha*, hoc est, inter destructionem illius & constructionem istius: alioquin enim, vt notum, longè plures intercedunt. At & hoc certum, inter destructionem primi templi Salomonis, & secundi Zorobabelis majus intervallum intercessisse, ob impedimenta varia objecta Iudæis. Captivitas enim populi soluta fuit circa initium Monarchiæ Cyri Babylonicæ *Esdr*.v.13. & annum Mundi 3418. periodi Iul. 4182. Olymp. LXII. primo, Iphiti CCXLV. V.C. CCXXI. secundum Palilia Catoniana, Ante Christum natum DXXX. Cyclo Solis X. Lun. II. Etsi verò iussi tum edicto Cyri Iudæi manum admovere fabricæ templi *Esdr*.I. 1.2.3. & fundamenta templi secundi jacta fuerint biennio post, anno secundo reditus ex captivitate Babylonica, mense secundo, feria secunda, Anni Mundi 3420. fuit tamen interrupta ædificatio toto tempore Cyri regis usque ad regnum Darij. *Esdr*.IV.5. Sub Dario Hystaspis F. denuò ursere cœptum Iudæi, sed objectum illis novum impedimentum ab Ahasvero, qui Xerxes Darij filius, Estheræ maritus. *Esdr*.IV.6. Cum & hic mitigatus esset erga Iudæos, ejus permissionem excepit inhibitio Artaxerxis Longimani, Xerxis vel Ahasveri filij *Esdr*. IV.7. & intermissum denuò opus ad annum usque secundum Darij Nothi *Esdr*.IV. 24. quod fatetur etiam Author *Seder Olam Rabba* Chronici Maioris cap. XXIX. qui ædificationem templi conjicit in annum secundum Darij, ובשנת ב לדריוש נבנה הבית. Colligi verò potest argumentis solidis ex Historiâ Regum Persicorum, Cyri, Cambysis, Magorum, Darii Hystaspis F. Xerxis primi, vel Ahasveri, Artabani, Artaxerxis Longimani. Xerxis II. Sogdiani, & Darii Nothi, intercessisse annos præter propter CIX. vel CX. inter annum solutæ captivitatis sub Cyro,

& secundum Darii Nothi, adeoque totidem annos inter solutionem captivitatis Babylonicæ, & restauratioñe templi Zorobabelis, quos annos Author *Seder Olam Sutha* pręterit gravissimo errore. Annus verò secundus Darii Nothi, adeoque instaurationis Templi incidit in annum Mundi 3528. secundum Iudæos in annum Mundi 3408. ex calculo Authoris *Seder Olam Sutha*, ubi hiatus centum & viginti annorum reperitur inter calculum Iudæorum & Scripturæ. Et annus Mundi 3408. decennio integro antecedit solutionem captivitatis Babylonicæ. Sic idem Author vult secundum templum stetisse annis tantum CCCCXX. cum tamen steterit annis circiter CCCCXCI. ad annum usque M. 4019. LXX. post Christũ Cycl. Sol. XXIII. Lun. XIV. lit. G. Olymp. CCXII. annum secundum V. C. secundum Palilia Catoniana DCCCXXII. secundum Varroniana DCCCXXIII ubi denuò διάστημα annorum LXXI. Sic ab eodem Authore statuitur templum eversum à Romanis anno Mundi 3828. qui annus incidit in annum tertium Antiochi Grypi Periodi Iul. 4592. Olymp. CLXIV. 3. Iphiteũ DCLV. V.C. Caton. DCXXXI. Varron. DCXXXII. Nabon. DCXXVI. secundum alios DCXXVII. Cycli Solis XXVIII. Lunæ XIII. lit. A. Ante C.N. CXX. annis, quǫd tamen eversum tantum anno Mundi 4019. Olympiad. CCXII. anno secundo, Anno Æræ Dionys. LXX. ubi denuò διάστημα annorum 191.

XVIII. Ex his exemplis non obscurum, quam parum calculo Iudæorum de Natali Christi sit tribuendum, cum tot annorum ἀντιχρονισμοῖς turpiter ęquè ac pertinaciter ab illis peccetur. Quod hominibus illis, à bonarum litterarum culturâ, vel inprimis à verâ pietate, & solidâ sacræ Scripturæ meditatione prorsus imparatis, solemne. Causam verò, cur ab illis in calculo Natalis Christi peccatum, satis innuit ipse R. *Abraham Levita* in Chronico suo, ne videlicet destructio Templi & excidium Hierosolymitanum paucis post annis secutum trahi possit à Christianis ad pænam Gentis Iudaicæ, ob non agnitum tempus visitationis, & Christum Servatorem in crucẽ actum. Inquit enim, Historicos exterarum nationum pugnaciter contendere „ Christum natum anno XXXVIII. Augusti (quod tamen falsum „ quoad hanc περίστασιν) diebus Herodis, & cruci suffixum die- „ bus Archelai filii ejus, ut dicant templũ & Regnum Israel post „ crucifixionem ipsius non diu stetisse. At unica calculi illius

causa

causa Christianis, rei veritas, & συνδρομὴ natalis Christi cum Imperio Augusti,& regno Herodis. Telum verò in Christianos vibratum summo jure in Iudæos retorqueri potest, qui tempus illud natalitium contra ἀποδείξεις evidentissimas,& documenta invicta,ipsorum etiam Paganorum testimonio firmata, merâ libidine anticipant, ut notam horrendæ illius vindictæ cœlitùs in gentem suam effusæ,ob scelus in Filium Dei admissum,amoliantur. Et sanè,absque hoc crimine foret,causa nulla dari posset apparens πανωλεθείας illius,quæ paucis post annis secuta,quâ vita & spiritus & αὐτονομία omnis,immò spes illius instaurandæ Iudæis excussa fuêre, quanvis nec idololatrici cultus tunc temporis rei fuerint, nec præter solitum mali. Quam cladem in hodiernum usque diem post sextum & decimum propemodum seculum, nequicquam lugere coguntur. Frustra verò suum אשרי המחכה & אם יתמהמה חכה לו ingeminant, quod præter Prophetarum mentem inani sono ad plebem dementandam à Magistris suis applicari,ignorare non possunt illi inter Iudæos qui granum adhuc bonæ mentis habent.

XIX. Præter commenta verò Rabbinica quæ suâ levitate concidunt,& ab hostibus Ecclesiæ Christianæ sparguntur, dantur sententiæ adhuc variæ inter ipsos Christianos, quæ propius quidem ad verum Christi Natalem accedunt, simul tamen nec veræ sunt,nec veræ esse possunt. Nec mirum dissensum hîc reperiri,cum *Clemens Alexandrinus* jam suo tempore τὰ περὶ τῶν χρόνων διαφόρως πολλοῖς ἱστορηθέντα queratur Stromatum primo. Præcipuas ex illis revocare possumus ad tres classes, ad *vnam mediam,& duas extremas. Media* nobis est Æra vulgaris,quæ *Dionysiana* vocatur : *Extremarum una*, quæ infra Æram vulgarem descendit, & pauciores illâ à Christo nato annos elapsos contendit : *Altera* quæ supra illam ascendit,& plures putat.

XX. Æram vulgarem quod attinet, notum, illam abhinc multis annorum Centuriis in Ecclesiâ Christianâ obtinere, secundùm quosdam inde à Iustiniano Imperatore, secundùm alios à Karolo Martello Franciæ Duce,secundùm alios à Karolo M. aut Ludovico Cæsare filio. Hæc Æra Christum natum statuit Anno Mundi 3949. periodi Iulianæ 4713. Anno quarto Olymp. CXCIV. Iphiteo DCCLXXVI. Nabonass. DCCXLVIII. (secundùm alios DCCXLVII.) pro diversâ connexione annorum

Nabonassari cum Olympiadibus, & annis Vrbis. V.C. DCCLII. secundùm Palilia Catoniana, DCCLIII. secundùm Varroniana, Actiacæ Victoriæ à prælio XXX. à captâ Alexandriâ XXIX. Anno Aug. à cæde Iul. Cæs. XLIII. à primo ejus Consulatu XLII. Anno Iuliano XLV. Cyclo Solis IX. Lunæ I. Litt. Domin. D C. anno qui bissextilis. Secundùm Æram hanc primus annus Christi concurrit cum anno Mundi 3950. periodi Iulianæ 4714. Olympiadis CXCV. primo, &c. Hæc Æra vulgò *Dionysiana* vocatur, & adscribitur Dionysio Exiguo Abbati Romano, & diversa est à Dionysianâ Ægyptiacâ, constitutâ à Dionysio Mathematico, cujus initium refertur ad annum Mundi 3667. periodi Iulianæ 4431. Olympiadis CXXIV. 2. V.C. secundùm Palilia Catoniana CCCCLXX. Nabonass. CCCCLXV. ducentis octoginta & amplius annis ante æram Christianam vsitatam, sub finem Regni Seleuci Nicanoris, & paulo ante initium Antiochi Soteris, Seleuci F. Ptolemæo Philadelpho in Ægypto rerum potiente.

XXI. *Ioh. Kepplerus* Mathematicus celebris, in Eclogis Chronicis Epist. XVI. distinguendam censet Æram vulgarem ab Ærâ Dionysianâ, & contendit illam Christi Natalem referre ad annum Iulianum XLV. Coss. Cornelio Lentulo & Calpurnio Pisone, istam ad annum Iulianum XLVI. Coss. C. Cæsare & L. Æmilio Paulo. Ex mente enim Dionysii XXV. Mart. anni XLVI. Christum incarnatum h. e. conceptum fuisse. Ab illâ ipsâ die ergo inire Æram incarnationis ex mente Dionysii, nativitatis demum ab anno sequenti, eo quod Natalis Christi incidat in XXV. Decembris, Iuliani XLVI. *Dionys. Petavius* in alia omnia it cap. II. lib. XII. de Doctr. Temp. & contendit ex Epistolis Dionysii è membranis veteribus exscriptis colligi, Dionysium Exiguum incarnationem & Natalem Domini eodem anno statuisse, quo vulgò hodiéque ponitur, eo scilicet, qui Christianam æram proximè præcedit, & ab eodem Incarnationis annos numerare cœpisse, sic ut uno anno minus numeremus hodie quàm Dionysius instituerat, quanvis in Incarnatione ipsâ & Natali nihil ab eo discrepemus. Hanc sententiam probat prolixè *Petavius* ex verbis & fundamentis Dionysii. Addit, se suspicari Æram hodiernam non à Dionysio, sed à Beda propagatam, quam pro Dionysiana ex hallucinatione posteris venditarit:

Bedam

Bedam secutos esse Computistas cæteros de more, nec Dionysii verba diligentius expendisse. Admirabiliter tamen factum esse, vt aduersus Magistrorum authoritatem vulgus ipsum Incarnationem Natalémque Christi in pristino & à Dionysio tradito anno retineret, tametsi ipsius Æræ principium ei fuerit extortum. Tantum ergo abest vt *Petavio* conveniat cum *Kepplero* super Ærâ Dionysianâ, & illam judicet posteriorē anno ærâ vulgari, ut contrà Æra Domini Dionysiana, ex mente illius, referenda sit ad annum qui præcedit primum Christi vulgarem, adeò vt præsens annus 1634. ex hac Dionysii sententiâ sit annus 1635. *M. Antonius Cappellus* in alia omnia it, & arbitratur Dionysium Æram Christianam inchoasse anno XL. Iuliano, in quē ipse Christi natalem conjicit. *Fixit*, inquit, *Dionysius æram suam in illo ipso anno, quo ex nostrâ & antiquorum sententiâ Dominus natus est: ut jam qui annus dicitur Dionysianus* 1624. *sit Dionysii annus* 1630. Sic qui jam currit annus 1634. ex sententiâ Dionysii 1640. foret. Alienum verò hoc fuisse à mente Dionysij probat *Petavius* lib. XII. cap. IV.

XXII. Sed prætermissâ subdistinctione illâ subtiliore Æræ Dionysianæ & vulgaris, quæ à Chronologis aliis negligitur, quamvis non careat fundamento, non desunt ex Mathematicis simul & Theologis, qui Epocham illam vulgarem, quam Dionysianam communiter vocamus, retinendam censent, ut receptam multis seculis, & longi temporis præscriptione, vsque firmatam, & arbitrantur totidem annos elapsos à nato Christo, quot in Ephemeridibus & Kalendariis vulgaribus recensentur.

Dionysianam Epocham, quam cum vulgatâ pro eâdem accipit, acriter flagellat *Iosephus Scaliger* lib. v. de emend. temp. & in Canonibus Isagogicis, & passim Dionysium pessimè de posteritate meritum esse contendit, cui persuaserit annos Christi uno minus putare, quàm omnes qui ante eum scripserunt sensissent. In Canonibus Isagogicis inquit, Aeram Dionysianam Christum natum statuere novem mensibus post mortem Herodis. *Kepplerus* in Eclogis Chronicis Dionysium excusat, & docet errorem non esse in Dionysio, nec in ejus calculo, sed in hypothesibus Historicis, de summo Pontificatu Zachariæ, & tempore quo Angelus ei apparuit, & aliis id genus positionibus,

quas vetuſtiores Chriſtiani, qui poſt tempora Apoſtolorum vixerunt, credidêre, quas hypotheſes Ill. *Scaliger* evertit lib. VI. de Emend. temp. Inconſtantiam cæteroquin Dionyſii & Bedæ *Petavius* quoque perſtringit, cap. IV. lib. XII. collatione annorum ætatis & paſſionis Chriſti cum anno nativitatis, ex eorum ſententiâ, inſtitutâ. Obſervat cæteroquin *Scaliger* Victoris calculum concurrere cum calculo Dionyſii. Oroſio eadem ſententia adſcribitur, habitâ videlicet ratione annorum Vrbis, eo quod Chriſtum natum contendat anno V. C. DCCLII. *Lutherus* Vir eximius eandem Aeram probat, quoad characterem Olympiadicum, dum Chriſtum natum ſtatuit anno quarto Olympiadis CXCIV. etſi connectat annum illum cum anno Mundi 3962. qui tamen, ſecũdum Chronologos alios accuratos, demum reſpondet anno primo Olympiadis CXCVIII. cum contrà quartus Olympiadis CXCIV. incidat in annum Mundi 3949. *Alph. Salmero* inſignit Natalem Chriſti characteribus Aeræ vulgatæ Tomo III. dum illum figit in Olympiadis CXCIV. quarto, V. C. DCCLII. etſi non diſtinguendo Palilia, quæ ſequitur, mentem ſuam incertam relinquat. Addit XLII. Auguſti, qui non niſi à primo ejus conſulatu duci poteſt. Malè verò connectit Salmero cum anno illo Conſulatum Lentuli, & Meſſallini, qui biennio anterior: melius, ut addit, annus ille inſignitur Conſulatu Lentuli, & Calpurnii Piſonis. In anno Mundi quinetiam impingit, quem facit 3959. at is reſpondet demum Olympiadis CXCVII. ſecundo, Auguſti LII. à primo ejus Conſulatu. Cycl. Sol. XIX. Lun. XI. cum quartus Olympiadis CXCIV. & XLII. Auguſti ab illâ radice ductus concurrât cum Cyclo Solis X. Lun. I. ſecundum calculum etiam *Petavii* 3959. Mundi eſt Olympiadis CLXXX. quartus, Cycli Solis XIII. Lunæ XV. adeoque diverſus à reliquis characteribus *Salmeronis*.

Epocham communem ſi non probat omninò, ſequitur tamen ut maximè receptam *David Origanus* in Ephemeridibus ſuis eruditis, etſi meliorem dari non diffiteatur. *Matthæus Beroaldus* in eodem anno Olympiadico V. C. & Auguſtali Natalem Chriſti conſtituit, annis Auguſti ab eadem radice ductis, etſi in anno Mundi diſcedat, quem conſtituit 3929. qui tamen reſpondet tantum periodi Iul. 4693. Olympiadis CLXXXIX. quarto, V. C. DCCXXXII. ſecundum Pal. Catoniana, ſecundum Varron.

ron. DCCXXXIII. Iuliano XXV. Cycl. Solis XVII. Lun. XIX. lit. AG. Coss. Q. Æmilio Lepido, & M. Lollio XXI. annis ante Aeram communem.

XXIII. Propugnatur verò disertè Aera illa ab *Henrico Harvillæo Franciscano* Isag. Chronol. Sept. temp. per. Diffic. II. qui inquit sententiam veriorem dicere, non constituendos esse plures aut pauciores annos à Christo Domino nato ad annum qui vulgò dicitur 1620. quàm qui vulgò etiam numerantur. Addit idem rationes pro hâc sententiâ. 1. à Chronologiâ annorum vitę Domini. 2. ab antiquissimâ Ecclesiæ traditione, sensu, consensu & usu ejus constanti. 3. ab Adversariorum hypothesi, qui cum majores numeros hujus sententiæ, millenarium putà & centenarios, mutuentur à traditione, & ob ejus authoritatem retineant, causæ nihil esse, cur non & numerum leuiorem eâdem authoritate recipiant, vel de vno aut altero anno litem moveant. 4. ab imbecillitate rationum Scaligeri & Calvisii.

XXIV. Sed revera nisi alio tibicine fulciatur Aera communis, actum de eâ erit. 1. Ipse *Harvillæus* Chronologiam annorum vitæ Domini, quam sequitur, probabilem tantùm iudicat, non certam: quî ergo ex præmissis incertis *συμπέρασμα* certum? 2. traditio, sensus, consensus, usus hac in re Ecclesiarum particularium datur, non universalis, aliquot etiam seculorum tantum, non omnium, non primæ, sed mediæ vetustatis, imò infra mediam. Ratio etiam à traditione Ecclesiæ topica est, non apodictica, facti index, non juris, si in rebus fidei, magis in argumento Chronologico. Nec Romanæ Ecclesiæ traditio urget potius, quàm Græcæ vel AEthiopicæ. *Paulus* sanè *Forosemproniensis* asserit lib. XIII. hanc numerandi consuetudinem perpetuam non fuisse, sed ante paucos annos, authore Blondo Foroliviensi, qui Pontificii Collegii à secretis Notarius erat, admissam Eugenio IV. Pontifice, cum hactenus soli Pontificum anni in litteris adscripti fuerint. 3. Peccatur *Elencho parium*, quasi vero eadem ratio foret millenarii & centenariorum, quæ minorum numerorum. De illis nullæ dubitandi causæ, de istis magnæ. Nec ulla errori rima in illis, quæ in istis. Margiten aut fungum esse oportet, qui hæc exæquârit. 4. peccatur *falsâ hypothesi*, quasi verò majores numeros habeamus tantùm à tradi-

tione Ecclesiasticâ, quod falsum. Illi enim apodicticè in Scriptura S. in designatione annorum Herodis, & census Cyrenii, & in connexione annorum Tiberii cum prędicatione Ioannis Baptistæ, unde calculus duci potest ad Christum. 5. Adde, dari consensum traditionis Christianæ apud Orientales simul ac Occidentales, & inter Scriptores Paganos etiam, qui alicujus notæ, in millenario & centenariis, in minoribus numeris non item. 6. Novatorum, quos vocat, Scaligeri & Calvisii rationes solo supercilio sibi confutandas ducit, homo severus, & prisci moris, at reverâ *Ense levis nudo, parmâque inglorius albâ.*

Dionysium Petavium etiam in eorum censum referre possumus, qui Aeram vulgatam non omninò rejiciendam putant. Sic enim concludit prolixam super hoc argumento dissertationem „ cap. IV. lib. XII. Vt huic de anno Natali Christi disputationi „ modum aliquem statuamus, nobis ita sentiendum videtur. „ Sepositâ quidem Iosephi, Dionis, & id genus antiquiorum „ authoritate Scriptorum, communem æram hâc vnicâ ratio- „ ne posse defendi. Christum enim natum tueri possumus „ anno Iuliano XLV. Lentulo & Pisone Coss. biennio post Ba- „ ronianam Epocham: eundem porrò baptizatum asseremus „ anno Iuliano LXXV. Longino & Quintino Coss. expleto no- „ no ac vicesimo ætatis anno, ineunte tricesimo: aut si superio- „ re factum id velimus, Geminis duobus Coss. currente Tiberij „ XV. consequens erit octo & viginti annis absolutis, ineunte „ nono, baptizatum fuisse, cum esset quasi annorum XXX. Ita „ quidem communi æræ patrocinari possumus. Sed si Herodis, „ eiusque posterorum tempora ex Iosephi ac Dionis libris ad- „ jungamus, longè aliter pronuntiandum videtur. Aut igitur „ Historicis illis abroganda fides erit: aut quę ex eorum narra- „ tione concluduntur, pro veris miniméque dubiis amplecten- „ da, de quâ re amplius cogitandum existimo. Suspensa hæc, & vix pro dignitate tanti temporũ & Scaligeri Aristarchi. Nam 1. Si Iosephi & Dionis & aliorum Scriptorum authoritas hîc alicujus ponderis, cur seponitur? si nullius, cur admittitur in Aeræ vulgatæ præjudicium? 2. Imò, si defendi potest sententia Christum baptizatum anno Iuliano LXXV. Longino & Quintino (vel Quartino) Coss. cur ipse *Petavius* lib. XIII. ba-

ptismum Christi refert ad LXXIV. Iulianum, Geminis Coss? Vel enim solidis rationibus nititur sententia illa, vel non. Si prius, perperâ calculus ponitur à *Petavio*, lib. XIII. Si posterius, frustra Æræ vulgatæ patrocinium suscipit, & supponit illam defendi posse. 3. Quinetiam parum sibi constat *Petavius*, ut qui lib. XII. cap. IV. disertè fatetur, manifestum ἄτοπον Annalium scriptores omnes impulisse, ut ab Epochâ illâ Nativitatis Dominicæ, in quam Aeræ communis epilogismi necessariis rationibus inducunt, constanter recederent. Hoc vel verum, vel falsum: utrum eligat *Petavius* ipse viderit. Si verum, defendi nequit Æra vulgaris: si falsum, expungendum id erat, vel omittendum. Hallucinationes illæ condonari poterant *Petavio*, viro cæteroquin de temporum doctrinâ bene merito, nisi ille ob leviora longè summum virum *Iosephum Scaligerum* acerbè passim exagitaret. Ejusdem commatis est quod habet eodem capite, ubi inquit insulsos esse, qui ex eadem æra Catholicis partibus invidiam faciant, &c, quod dictu nefas sit, Ecclesiam eo ipso errasse dicant quod pauciores, quàm revera fluxisse judicant, annos ab ortu Christi, vel Incarnatione numeret. At judicet æquus Lector, an sit hominum insulsorum illis errorem adscribere, qui sententiam tuentur, ex quâ secundum ipsum *Petavium*, manifestum ἄτοπον necessariis rationibus emergit. Quam verò vulneri huic medelam adhibet? *Ita*, inquit, *communes illos calculos popularis usus admittit, ut ad eorum inquisitionem Maiestatem gravitatémque suam Ecclesia non demittat.* At illi non tantum populari usu admittuntur, sed etiam vsu Pontificum & Conciliorum. An parum ex dignitate Ecclesiæ in Natalem sui Salvatoris diligenter inquirere? An illa in innumera, quæ minora & leuiora longè, non inquirit, & de iis Decreta & anathemata fabricat? An veritatem quærere, est Majestatem & gravitatem suam demittere? Hoc verò novum & portentosum. Errorem autem errore cumulat, dum addit, Ecclesiam in annis ab orbe conditis certam sibi summam annorum præscribere, quæ quotannis recitetur secundum LXX. seniorum Epilogismos. Et tamen ipse fateri cogitur ibidem; Nullum esse hodie qui Annales aut Historiam attingat, quin & Hebraica ratiocinia potius amplectatur, & illam ipsam, quam tot seculorum consensus approbauit, computandi rationem ut falsam vitiosámque condemnet.

Tuam fidem, Petaui! quæ nova iſta Logiſtice! ποῖον σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων! Eccleſia in ſupputatione annorum Mundi errorem alium omnium cenſuris obnoxium fovet: Ergo dictu nefas illam in Æra Chriſtianâ errare, & inſulſi ſunt qui eam erroris alicujus ream peragunt. Dicere, Eccleſiam talia minimè curare, nec judicium ſuum ad illas tricas & minutias diſceptádas interponere, eſt, vt molliſſimè dicam, in re ſeriâ ludere, & fronte obfirmatâ affirmare, *Nil intra eſſe oleam, nil extra eſſe in nuce duri.* An, ſine judicio, cæco impetu, Eccleſia ſequitur quod ſequitur? An tricæ ſunt & minutiæ errori, cuicuimodi ille ſit, non ſubſcribere tantum, ſed & authoritate ſua ultrò patrocinari? Quanto ſatius erat Eccleſiam ſe judicem interponere inter tot litigantes, & pro infallibilitate ſuâ litem ea parte decidere, qua oportebat! I. *Dekerius* Epiſt. XIX. interſtitium quadriennij inter Æeram veram & communem dari fatetur, errorem ob id in calculo Eccleſiæ non item. Imò homo acutus inquit Scaligerum debuiſſe id myſterium potius interpretari quàm errorem, & verè tale eſſe. Aliâs in Matthæum eandem calumniam devolvi XIV. generationes referentem pro XVII. Scilicet Ἄννος κλίβανον! quàm portentoſa fingendi licentia! De calculo Matthæi actum parte primâ Dubiorum, Dubio IV. Cucurbitam eſſe oportet, qui hîc Elenchum parium non animadvertat. Nec melior *Pauli Foroſempronienſis* incruſtatio, qui poſtquam docuit Dionyſianam Æram biennio vitioſam eſſe, id ſibi objicit, ex eo ſequi Eccleſiam ſummóſque Pontifices in bullis ac reſcriptis ſuis errare, & reſpondet lib. XIII. cap. IV. Eccleſiam hac temporum dinumeratione uti quidem, ſed eam minimè probare, ac ſi quis eſt error, eum Dionyſio non Eccleſiæ tribuendum. Cur Eccleſia, quæ ſine errore, ſecundum homines illos, communem errorem & errat & fovet? cum tamen & ſe & alios ab errore immunes præſtare poſſit, pro jure, quod Pontificii Romano præſuli tranſcribunt.

XXVI. *Claſſes* duas *extremas* quod attinet, prior infra Aeram vulgatam deſcendit, & προχρονισμοῦ eam arguit.

Ad hanc claſſem referimus I. *Computos* Græcorum, quorum quidam annos ſeptem, quidam octo minùs, ſive ab Incarnatione, ſive à nativitate Chriſti putant, quàm vulgò fieri ſolet in Ærâ communi vel Dionyſianâ. Fatetur id ipſum & probat Petavius

vius ex Theophane, Maximo, Georgio Monacho, Cedreno, Paulo Diacono & aliis, lib. IX. de Doctr. Temp. & XII. cap. IV. *Tametsi*, inquit, *Græci posteriores, qui Christum anno 5500. vel 5501. natum volunt, characteribus suis annum illum Incarnationis & natalis designent, qui est Per. Iul. 4711. & biennio communem æram præcedit: nihilominus alium sibi reipsâ, & oratione suâ præscribunt, nimirum communis æræ septimum vel octauum, ad quem falsò characteres illos accommodant. Etenim septem vel octo annis Christianam æram decurtant.* Ad hanc sententiam accedit *Georgius Syncellus*, qui de Natali Christi hæc habet, ἐγεννήθη (ὁ Κύριος) ἐν ὑπατείᾳ Σουλπικίου Καμαρίνου καὶ Γαΐου Πομπηΐου, ὡς ἐν ἀκριβέσι καὶ παλαιοῖς ἀντιγράφοις φέρεται. Si Fastos consulamus, consulatus ille, non quidem C. Pompeii, ut perperam Syncellus, sed C. Poppæi Sabini incidit in annum Mũdi 3958. per. Iul. annum 4722. Olympiadis CXCVII. primum, V.C. DCCLXI. secundum Palilia Catoniana, secundum Varroniana DCCLXII. Nabon. DCCLVI. secundum alios DCCLVII. Cycl. Sol. XVIII. Lun. X. lit. F. Æræ vulgaris annum IX. Vbi idem μεταχρονισμός. 2. Superioribus accenseri potest computus Æthiopum, referente *Scaligero* lib. VII. de Emend. Temp. qui de summa annorum Christi Dionysianorum detrahunt annos septem. *Æthiopes Ægyptienses*, inquit, *annum Christi* 1584. *putabant* 1577. *quia* 5501. *putant ab initio rerum ad Christum.* 3. Sunt & qui Christum natum contendant Coss. Lælio Lamiâ & M. Servilio Gemino. Anno M. 3952. per. Iul. 4716. Olympiadis CXCV. tertio. Iuliano XLVIII. Cycl. Sol. XII. Lun. IV. Lit. G. Aera Nabon. DCCL. vel DCCLI. V.C. secundum Palilia Catoniana DCCLV. secundum Varroniana DCCLVI. æræ communis anno tertio. 4. Paulus Forosemproniensis lib. XIII. statuit Æram communem peccare προχρονισμοῦ biennii, adeóque Christum natum anno periodi Iul. 4715. Mundi 3951. Olympiadis CXCV. anno secundo qui Iphiteus DCCLXXVIII. Nabon. DCCXLIX. vel DCCL. V.C. Caton. DCCLIV. Varron. DCCLV. Cycl. Solis XI. Lun. III. lit. A. Coss. P. Vinitio Nepote, & P. Alfinio Varo. Etsi idem Forosemproniensis parum sibi constet, & alibi Aeram communem non προχρονισμοῦ sed μεταχρονισμοῦ multorum annorum peccare contendat, vt suo loco ostendemus. 5. Huc referri potest sententia *Iacobi Christmanni* Professoris Academiæ Heidelbergensis quõdam Clarissimi, qui Christi Natalem conjicit

in annum XXVIII. Augustorum, quæ Aera ducta à delato nomine Augusti Octavio incipit XIX. Iuliano. Olympiadis CLXXXVIII. anno secundo, Mundi 3923. per. Iul. 4687. Coss. Aug. Cæs. VII. & M. Vipsanio Agrippâ III. Cycl. Sol. XI. Lun. XIII. lit. A. Vnde XXVIII. Augustorum est Olympiadis CXCV. primus. Iulianus XLVI. Mundi 3950. per. Iul. 4714. Coss. C. Iul. Cæsare & L. Æmilio Paulo. Cycl. Sol. X. Lun. II. lit. B. Ex hac sententia Aera communis peccat προχρονισμῷ anni, non biennii, ut habet *Calvisius* cap. XLVI. ubi vicesimum octavum Augustorum perperam inquit decurrere Cyclo Solis XI. Lunæ XIII. cum decurrat tantum Cyclo Solis X. Lun. II. lit. B. quod, minus sui memor, post ad annum 3950. fatetur ipse *Calvisius*. Sin per Aeram Augustorum intelligamus Aeram Augustorum Deorum, quam diximus esse Actiacam à captâ Alexandriâ, & morte Antonii XXVIII. Augustorum incidit in Iulianum XLIV. Mundi 3948. Cycl. Sol. VIII. Lun. XIX. lit. E. Secundum hanc supputationem calculus *Christmanni* pertineret ad classem sequentem, & argueret Aeram vulgarem non προχρονισμοῦ, sed potius μεταχρονισμοῦ anni.

XXVII. *Alteram classem* sententiarum extremarum quod attinet, illa supra Aeram Dionysianam ascendit, & eam μεταχρονισμοῦ ream peragit. Quamvis in definiendo illo intervallo, & figendo vero Natalis Christi initio linguis itidem variatum fuerit & sententiis, his plures, illis pauciores annos Aeræ Dionysianæ adjicientibus, & aliis aliorum placita refigentibus. Quæ omnia vel examinare, vel enumerare saltem operosum admodum, & arduum ob ingentem varietatem, quæ se hîc offert.

Chronologi plerique, qui aliquot abhinc seculis post Bedam scripsêre, fatente *Petavio*, rejectâ Dionysii methodo, Natalem Domini XXI. vel XXII. annis anticipârunt, è quorum numero *Sigebertus*, *Marianus Scotus*, *Matthæus Paris*, aliique. *Pervagata*, inquit, *inter istorum temporum Chronologos opinio fuit, Dionysium* XXII. *annis tardius natalem Christi posuisse*. Quam opinionem ut absurdam & falsam meritò explodit, cũ inde sequatur Christum mortuum tertio anno ante obitum Augusti, contra Euangelii fidem. Eundem errorem errat quoque *Paulus Forosemproniensis*, & illum prolixè tuetur Part. II. lib. X. Audiamus verò lepidum

pidum argumentum, quo commentum hoc orbi Chriſtiano obtrudit. Refert enim, poſtquam diu multúmq; ſe in quæſtione illâ torſiſſet, tandem poſt longam vigiliam apparuiſſe ſibi Paulum Apoſtolum, & Chronologorum omnium errorem indicaſſe, à quibus præteriti fuerint duo & viginti anni in ſerie annorum, adeoque pro duodecimo Chriſti anno numerandum eſſe triceſimum quartum. Vbi & Euſebium in jus vocat, eò quod trium Pontificum, Cleti, Marci & Marcelli annos prætermiſerit, quorum anni collecti ſummam illam efficiant. Inde mali labem ortam, & inter Chronologos diffuſam. Somnium hoc febriculoſum, & nihil niſi ſomnium à *Baronio* rejectum, & à *Petavio* exploſum Foroſemproniensi relinquimus, cujus oſcitatio mira. Si enim ſomnium illud θεόπνευςον credidit, cur à ſententiâ illâ diſcedit in ſequentibus, & loco μεταχρονισμοῦ XXII. annorum προχρονισμὸν biennii impingit Æræ communi? ſin falſum, & ex alterâ ſomni portâ profectum, quâ

--*Falſa ad cælum mittunt inſomnia manes*,

cur illius allegatione ſibi & Lectori ludos facit, & firmamentum inde cauſæ ſuæ quærit? Non video verò, cur *Petavius* lib. XII. cap. IV. Caſaubonum ſibi perſtringendum putârit, quòd Exerc. XIV. *Baronium* temerè fidem divinæ illi revelationi abrogantem notet. *Hoc verò*, inquit, *in tam acri Baronii cenſore non vulgari animadverſione dignum.* Quaſi verò commentum illud anile à Caſaubono pro revelatione divinâ habitum fuerit? quaſi θετικῶς, & non εἰρωνικῶς in Baronio notatum? nec immeritò, quandoquidem ille parum dignitatis Annalium, parum purpuræ ſuæ memor ſæpe κερυνοχυτρολήραιον ſe exhibet, & ejuſmodi fabulis opus ſuum paſſim proſcribit, quod cæteroquin commendationem non vulgarem mereretur. Ipſe ſanè *Petavius* de ſomnio illo gemina habet Caſaubonianis, Foroſemproniensis, inquit capite allegato, *contemptâ revelatione, & Apoſtoli tanti authoritate ſuſque deque habitâ ſententiam mutat.* An ἀληθεύει, an verò εἰρωνεύεται? ſi prius, cur ſomnium illud illudit & explodit? ſi poſterius, cur idem perſtringit in Caſaubono?

XXVIII. Videtur quinetiam quibuſdam, Æram communem argui poſſe μεταχρονισμοῦ authoritate *Iuſtini Martyris*. Innuit ille Apologiâ ſecundâ ad Antoninum Pium, Chriſtianorum ſui temporis ſententiâ, πρὸ ἐτῶν ἑκατὸν πεντήκοντα γεγεννῆσθαι

τὸν Χριστὸν, ἐπὶ Κυρηνίου. Sanè siquidem statuamus Apologiam illam exhibitam fuisse Imperatori, primo Regni illius anno, duodecim annis deficiet Æra communis. Antoninus enim Pius successit Hadriano Anno Mundi 4087. Olympiadis CCXXIX. anno secundo, V.C. Catoniano DCCCXC. Cyclo Solis VII. Lun. VI. lit. F. Coss. Sulpitio Camerino & Quintio Nigro Magno, anno post Christum centesimo tricesimo octauo. At ille annus Iustino est centesimus quinquagesimus, & desunt anni duodecim. Sed tamen, salvâ aliorum authoritate, nullus, Iustini calculo, Æræ communi impingitur μεταχρονισμός. Nec enim vel ex Iustino, vel ex aliis Scriptoribus fide dignis habemus, Apologiam illam Imperatori statim sub initium Imperii oblatam fuisse. *Petavius* quidem illam refert ad Annum secundum Antonini, qui Olympiadis CCXXIX. tertius, Iulianus CLXXXIV. Christi CXXXIX. Cycl. Sol. VIII. Lun. VII. Sed sine probatione. *Funccius* ad annum Antonini tertium quē facit Christi CXLI. *Calvisius* & *Helvicus* ad annum Antonini decimum tertium, qui Olympiadis CCXXXII. secundus, Iulianus CXCV. post Christum CL. Cycl. Sol. XIX. Lun. XVIII. Incertus ergo Iustini character, & ob id impugnatio Æræ communis ex eo.

XXIX. Alii ex Chronologis propius accedunt ad Æram communem, sed & illi in diversa abeunt. Quidam enim contendunt in eâ peccatum μεταχρονισμοῦ *sexennii*, alii *quinquennii*, *quadriennii* alii, alii *triennii*, alii *biennii*, alii *anni unius* eclipsi. *Antonium Cappellum sexennium* addere Aeræ communi contendit *Petavius*, & docere, vulgarem supputationem annorum Christi distare à vero natali annis sex, Christum enim natum Coss. D. Lælio Balbo, & Antistio Vetere, quorum Consulatus incidit in annum Mundi 3944. per. Iul. 4708. Olympiadis CXCIII. tertium, qui Iphiti DCCLXXI. Iulianus VI. Cycl. Sol. IV. Lun. XV. Vitium connexionis Epocharum Olymp. & Nabon. cum annis Iulianis rectè in Cappello notat Petavius cap. VI. libri XII. Nos inconstantiam ipsius Petavii, qui observat capite illo Kepplerum annum adjicere sententiæ Dekerii, Cappellum bienn ium, *Ex quibus apparet*, inquit, *Cappellum ultra Dekerianam Epocham natalem Christi biennio antevertisse*, *Kepplerianam anno uno*, & tamen & Cappelli & Keppleri πρόληψιν ad eundem prorsus an num refert illo ipso capite ad Consulatum nimirum eundem D. Lælii Balbi, &

bi, & C. Antistii veteris, & ad annum eundem Iulianum XL. Cycl. Sol. IV. Lun. XV. Sin iisdem Consulibus, & eodem anno Iuliano natus sit Christus Cappello & Kepplero, cur Epochas illas Petavius ut diversas proponit, & annuo intervallo distantes? sin diversis annis, cur utramque sententiam refert ad eundem Consulatum, & ad eundem annum Iulianum? Hæc sanè ἀλλόκοτα sunt, & conciliari nullo modo possunt. *Sambucam citiùs caloni aptaveris alto.* Vix sapiunt hæc demorsos ungues, & cuivis alii potius quàm *Petavio* tam rigido Scaligeri censori excidere debuerant. Vtique sane, si verum, quod contendit Petavius, Cappellum Dekerianam Epocham in natali Christi biennio antevertisse, Kepplerianam anno uno, Cappelli sententia necessariò referenda foret ad Iulianum XXXIX. & Consulatum Tiberii Claudii Neronis II. & Cn. Calpurnii Pisonis C cl. Sol. III. Lun. XIV. lit. D. nō ad Iulianum XL. Coss. L. Balbo & C. Antistio Vetere, quod ipsum tamen alienum à mente Cappelli.

XXX. Relictâ verò περιλήψει illâ sexennii, quam Ant. Cappello tribuit Petavius, certum, *Ioh. Kepplerum* Mathematicum insignem contendere, *quinquennium* ad Æram communem adjiciendum esse. Tametsi enim in consideratione de vero I. Christi anno natalitio sententiam *Laurentii Suslygæ* Poloni quadriennio Æram illam anticipantis primo intuitu probare videatur, tamen passim innuit, videri sibi æræ Christi apud Suslygam adhuc annum unum deesse, concludit etiam Diatribam illam his verbis. *Desunt igitur nostræ æræ, quâ hodie utimur per Europam, anni minimùm quatuor, & fortaßis omninò quinque. Itaque quem numeramus* 1606. *quo ista scribo, is est vel* 1610. *vel* 1611. Pag. quidem 33. scripti illius, pro summa Disputationis ponit Christum natum anno XLI. Iuliano Aug. XII. & Cornelio Sullâ Coss. quem facit XL. à cæde Cæsaris, XXVII. à pugna Actiacâ, Olympiadis CXCIII. quartum, qui annus habet Cyclum Sol. V. Lun. XVI. In Eclogis verò Chronicis, quas post complures annos ab editione prioris Scripti publicavit, adeoque in quibus δεύτεραι φροντίδες Keppleri, disertè, quod conjecerat ante, tuetur, & inquit pag. 110. verissimè Christum annos quinque ætatis complevisse ante initium Aeræ quâ hodie utimur. Sic in laterculo adiecto sententiam suam distinguit à sententiâ Dekerii & Suslygæ, & annum anticipat. Pag. 115. *Hactenus de Ærâ alterâ hodiernâ.*

quæ hoc anno numerat 1611. *annos à nativitate Domini, cum debeat numerare* 1616. *secundum me, certè* 1613. *secundum præcisum B. Lucæ numerum, & Patres Veteris Ecclesiæ.* Mirum ergo, eundem parum sui memorem scribere Epist. XIX. *usque ad nauseam inculco, Æram Dionysianam solido quadriennio posteriorem natali Christi esse*, cum tamen alibi passim quinquennii περίληψιν urgeat. Sic Responsionem ad Epistolam *Sethi Calvisii* claudit his verbis, *Anno Æræ Christianorum Occidentalium* M.DCXIV. *qui tibi est à natiuitate Christi* M.DCXVI. *mihi* MDCXIX. Sententiam Keppleri adscribit etiam Eruditissimus Casaubonus *Liveléo* cuidam Anglo Exerc. III. Anno II. cujus tamen Chronicon mihi videre non contigit. Fundamentum præcipuum Keppleri, & ante eum *Mæstlini* Mathematici Tubingensis fuit, Herodem mortuum esse anno Iuliano XLII. quod prolixè probat ex Iosepho & Dione, & Eclipsi Lunæ, quæ ante mortem illius conspecta. Notum verò esse ex Matthæo & Lucâ, Christum esse natum Herode superstite, oportuisse ergo Christum jam ante natum fuisse, in fine videlicet anni XLI. vel XL. & hoc ultimum melius quadrare. Idem probare satagit ex censu acto in Iudæâ sub Sentio Saturnino, sub quo contendit Christum natum. Quî verò hoc conciliet cum descriptione institutâ sub Cyrenio Syriæ Præside, cujus meminit Lucas, infrà, Deo favente, suo loco disquiremus.

XXXI. *Laurentius Suslyga* in Theorematibus de anno ortus ac mortis Domini &c. contendit, Christum natum *quadriennio* ante Aeram vulgarem. Fundamentum præcipuum Suslygæ est, Herodem demum fuisse mortuum Iuliano XLIII. anno tardius calculo Keppleri, unde fit ut eodem intervallo posteriorem statuat Christi natalem. Herodis verò mortem incidere in Iulianum XLIII. probat Suslyga prolixè ex Iosepho & Scriptoribus Romanis, quæ omnia videri possunt ibidem. In eâdem sententiâ est I. Dekerius, qui natalem Christi refert ad Iulianum XLI. Consulatum Aug. XII. & L. Cornelii Sullæ, qui habet Cyclum Sol. V. Lun. XVI. lit. BA.

XXXII. *Triennio* ante Æram communem Christi natalem figit *Sulpitius Seuerus* Histor. lib. II. si respiciamus characterem Coss. quem notat, *Sub hoc Herode, inquit, anno Imperij eius tertio & XXX. Christus natus est, Sabino & Rufino Consulibus* VIII. *Kalendas*

lendas Ianuarias. De calculo annorum Herodis suo loco agetur. Consulatus verò ille Sabini & Rufini, vel Rufi, qui aliis Calvisii & Passieni, quia utrumque nomen obtinuerunt, incidit in Iulianum XLII. Olympiadis CXCIV. primum, Cycl. Sol. VI. Lun. XVII. Lit. G. Proinde triennium interjectum inter hanc sententiam & Æram communem quæ figitur in Iuliano XLV. Olympiadis CXCIV. quarto, Cycl. Solis IX. Lun. I. lit. DC. Ad hanc sententiam accedere videntur verba *Tertulliani* quæ exstant libro priore Chronicorum Eusebii, ex tralatione Hieronymi, pag. 41. Edit. Scalig. *Tertullianus in eo libro, quem contra Iudæos scripsit, affirmat, Christum quadragesimo anno Augusti natum, & quintodecimo Tiberij esse passum.* Sed dubio procul hic locus in mendo cubat, cum in libro posteriore ad Olympiadis CXCIV. annum secundum, pro quadragesimo, disertè substituatur quadragesimus primus, nec credibile, vel Tertullianum ita apertè sibi contradixisse, vel Eusebium aut Hieronymum contradictionem illam *Tertulliano* affinxisse. Et meritò *Scaliger* in Animadversionibus suis ad annum MMXV. conjicit verba illa ex glossâ in textum irrepsisse, optimos enim codices, Bongarsianum & Petavianum habere hanc pericopen in margine minusculâ literâ. Tertullianus sanè libro adversus Iudæos connectit disertè annum XLI. Augusti cum natiuitate Christi, *Videmus autem*, inquit, *quoniam quadragesimo & primo anno imperii Augusti, quo post mortem Cleopatræ imperavit, nascitur Christus.* Vnde mendum in Eusebio potius, quàm in Tertulliano. Observat *Scaliger* ibidem manifestâ hallucinatione quadragesimum primum illum annum, quo Christum natum contendit, arcessi à morte Cleopatræ, cum tamen arcessi debeat à cæde Cæsaris. Error ille manifestus est ex collatione Epocharum. Nam quadragesimus primus à morte Cleopatræ incidit demum in annum Mundi 3961. per. Iul. 4725. Iulianum LVII. Olympiadis CXCVII. quartum, Cycl. Sol. XXI. Lun. XIII. Lit. CB. XII. post æram communem, cum mors ejus figatur in Anno Mũdi 3920. per. Iul. 4684. Olympiadis CLXXXVII. tertio, Cycl. Solis VIII. Lun. X. lit. E. Iuliano XVI. XXVIII. ante C.N. Quadragesimus primus verò à cæde Cæsaris rectè connectitur a Scaligero cum XXVIII. Actiaco, ducto videlicet à prælio, non ab expugnatâ Alexandriâ, verùm character ille non ad Consulatum Sabini & Rufi pertinet, sed ad sequentem Lentuli

& Messallini. Aliam Tertulliani hallucinationem notat ibidem Scaliger, dum XV. *Tiberij* connectit cum passione Christi, cum tamen potius cũ baptismo ejus cõnectendus sit. Prior Tertulliani hallucinatio de XLI. anno à morte Cleopatræ tollitur, si cũ Hier. legamus, non *quo post mortem Cleop. imperavit*, sed *qui post mortem Cleop. imperavit*, quam lectionem notat CL. Rigaltius in obseruationibus suis eruditis ad Tertullianum. Solvit illa nodum, si admittatur, nam revera post expugnatam Alexandriam & obitum Antonii ac Cleopatræ demum Augustus plenum imperium & invasit, & obtinuit.

XXXIII. Quamvis verò opiniones hactenus à nobis discussæ suos habeant & patronos & sectatores, duæ tamen postremæ præcipuæ sunt, sive suffragiorum numerum, sive authoritatem illorum spectemus, à quibus feruntur. Prior *biennium* addit Æræ communi, & Christum natum statuit Anno Mundi 3947. per. Iul. 4711. Olympiadis CXCIV. secũdo, qui Iphiteus DCCLXXIV. V. C. DCCL. secundum Palilia Catoniana, secundum Varroniana DCCLI. Nabon. DCCXLV. secundum alios DCCXLVI. Iuliano XLIII. Coss. Corn. Lentulo & M. Valerio Messalâ, vel Messallino, Cyclo Solis VII. Lun. XVIII. lit. F. Actiaco à prælio XXVIII. à captâ Alexandriâ XXVII. Augustali à cæde Cæsaris XLI. à primo Consulatu XL. ab appellatione Augusti XXV.

Pro hac sententiâ citari possunt inter veteres *Irenæus* antiquissimus scriptor, & è primis, qui libro III. adversus hæreses Valentini capite XXV. Natalem Christi refert ad quadragesimum primũ Augusti. *Natus est ergo*, inquit Irenæus, *Dominus noster circa primum & quadragesimum annum Augusti Imperij.* Convenit ergo hic character Imperii Augusti ductus à cæde Cæsaris cum reliquis supradictis. Irenæo succenturiamus *Tertullianum*, admissâ lectione suprà à CL. *Rigaltio* notatâ, & habitâ ratione quadragesimi primi anni Augusti, relati non ad radicem Actiacam, sed ad cædem Cæsaris. *Clemens* quoque *Alexandrinus* iisdem Patribus accenseri solet, sed fatendum, ambigua admodum *Clementis* verba esse, ambiguam mentem, ob diversos characteres qui in eo observari possunt. Nam Stromatum I. à nativitate Christi ad obitum Commodi putat annos CXCIV. Γίνονται οὖν, inquit, ἀφ' οὗ ὁ Κύριος ἐγεννήθη, ἕως Κομόδου τελευτῆς, τὰ πάντα ἔτη ἑκατὸν ἐνενήκοντα τέσσαρα, μὴν εἷς, ἡμέραι ιγ. Cum verò mors Commodi

modi incidat in annũ periodi Iulianæ 4905. Iulianum CCXXXVII. Olympiadis CCXLII. quartum, V.C. Catonianum DCCCCXLIV. Varronianũ DCCCCXLV. Coss. Imp. Commodo VII. & P. Helvio Pertinace II. Cycl. Sol. V. Lun. III. Lit. BA. & is secundum omnes illos characteres sit tantum CXCII. post C.N. utique fatendum, Clementem, secundum hâc hypothesin, Natalem Christi biennio ante Aeram communem figere, anno videlicet periodi Iulianæ 4711. Olympiadis CXCIV. secundo, Iuliano XLIII. Coss. Corn. Lentulo & Valerio Mess. Cyclo Solis VII. Lun. XVIII. lit. F. Si verò alia Clementis verba attendamus, quæ exstant pariter Stromatum primo, videtur idem Author Natalem Christi in annum demum sequentem conjicere: ἐγεννήθη δὲ, inquit Clemens, ὁ Κύριος ἡμῶν τῷ ὀγδόῳ καὶ εἰκοστῷ ἔτει, ὅτε πρῶτον ἐκέλευσεν ἀπογραφὰς γενέσθαι ἐπὶ Αὐγούστου. Si sit vicesimus octauus Actiacus à morte Antonii & Cleopatræ, connectitur demum cum anno sequente periodi videlicet Iulianæ anno 4712. Olympiadis CXCIV. tertio, Iuliano XLIV. Cyclo Solis VIII. Lunæ XIX. lit. E. V.C. Catoniano DCCLI. Varroniano DCCLII. Coss. Augusto Cæsare XIII. & M. Plautio Sylvano. *Calvisius* capite XLIV. Clementem ob characterem Actiacum supradictum in sententiam illam pertrahit, quæ biennium anticipat supra Æram communem, & contendit annum illum XXVIII. Actiacum à morte Antonij habere Cyclum Lunæ XVIII. Solis VII. quod falsum, cum contrà XXVIII. ductus à prælio Cyclos illos habeat, XXVIII. verò ab expugnatâ Alexandria & morte Antonii, utpote posterior, habet Cyclos Solis VIII. Lun. XIX. lit. E. Incidit enim secundum ipsum Calvisium in annum Mundi 3948. Coss. Aug. XIII. & M. Plautii Sylvani, adeoque in per. Iul. 4712. Iulianum XLIV. Olympiadis CXCIV. tertium, V.C. Catonianum DCCLI. Varronianum DCCLII. Incerta ergo Clementis mens, incertus character, incertum etiã, an natalem Christi conjiciat in XXV. Dec. an in IV. Ianuarij ex sententia Ægyptiorum. Nihil itaque illius testimonio promovetur, cum in Chronologicis alioquin vel parum accuratus sit, vel parum felix. V.g. Stromatum primo docet, Christum uno solùm anno prædicasse, secundum id quod Scriptum sit, Annum acceptabilem Domini prædicatum misit me. Ἦν δὲ, inquit, Ἰησοῦς ἐρχόμενος ἐπὶ τὸ βάπτισμα ὡς ἐτῶν λ'. καὶ ὅτι ἐνιαυτὸν μόνον ἔδει αὐτὸν κηρύξαι, καὶ τοῦτο γέγραπται οὕτως. Ἐνιαυτὸν δεκτὸν Κυρίου

κηρύξαι ἀπέστειλέν με. Quam hiulca hæc & ficulnea ! Aliud longè πολιτείας Christi in Ministerio suo intervallum definiunt Scriptores sacri & αὐτόπται. Ἄλλο ἡ γλαῦξ, ἄλλο κορώνη φθέγγεται. Multa id genus alia notari possent in eodem Authore; diffusæ cæteroquin eruditionis.

Eusebium ejusdem sententiæ velut Authorem laudat Calvisius, eò quod Christum natum dicat anno XXVIII. Actiaco ducto à captâ Alexandriâ, & morte Antonii, hunc verò annum inquit habere Cyclos Solis VII. Lunæ XVIII. Sed fallitur vir eruditus, & in Chronologicis cæteroquin versatissimus, præterquam enim quod XXVIII. Actiacus à dicta radice, à quâ illum disertè ducit *Eusebius* Historiæ Ecclesʃ. lib. I. cap. V. habet Cyclum Solis VIII. Lun. XIX. Literam E. repugnant characteres reliqui ab Eusebio adhibiti Olympiadicus, Augustalis, & Consularis. Inspiciat Lector laterculum Eusebii in Chronico Canone.

ΡΩΜ. ΙΟΥΔ.

ΟΛ. ΡϚΔ. Μ. Λ.

ΜΑ. ΛΑ.

ΜΒ. ΛΒ. Γ. ΚΑΙΣΑΡ ΟΚΤΑΟΥΙΑΝΟΣ ΤΟ ΙΓ. Μ. ΠΛΑΥΤΙΟΣ

Κυρήνιος ὑπὸ τῆς συγκλήτου βουλῆς σταλεὶς εἰς τὴν Ἰουδαίαν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο τῶν οὐσιῶν καὶ τῶν οἰκητόρων.

ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰούδα γεννᾶται.

Ὁμοῦ συνάγεται ἀπὸ Ἀβραάμ, ἐπὶ τὴν Χριστοῦ γέννησιν, ἔτη ΒΙΕ.

ΜΓ. ΛΓ.

ΟΛ. ΡϚΕ. ΜΔ. ΛΔ. &c.

Hinc evidens, characterem Olympiadicum repugnare manifestè instituto Calvisii, notatur enim ab Eusebio disertè Olympiadis CXCIV. tertius, non secundus, qui habet Cyclos Solis VIII. Lun. XIX. lit. E. Sic character Augustalis XLII. nimirum Augusti ductus à cæde Cæsaris non habet Cyclos notatos à Calvisio, sed eosdem quos habet character Olympiadicus. Iidem Cycli concurrunt cum Consulatu Octaviani XIII. & M. Plautii.

Errorem librarii hîc ſuſpicari in Euſebio nihil attinet, cum omnes alii characteres bene conveniant, & eôdem recidant. Nec exceptio Calviſii ſolida, XLII. Auguſti notari ab Euſebio, eo quod annos illos numeret ad præſcriptum Ioſephi. Quicquid enim dicatur de charactere Auguſtali, repugnant ſemper & deſignatio Conſulatus, & character Olympiadicus. Non video etiam, cur Calviſius dicat Euſebium expreſsè deſcriptionem orbis ſub Cyrenio factam in ſecundum annum Olympiadis CXCIV. collocare. Contrarium patet ad oculum ex inſpectione Laterculi Euſebiani, & ex notatione Conſulatus præfixi. Primus enim annus dictæ Olympiadis connectendus cum Conſulatu Calviſii & Paſſieni, ſecundus decurrit Coſſ. Lentulo & Meſſallino, tertius demum reſpondet Conſulatui Auguſti XIII. & Plautii. Vim etiam Euſebio hac in parte facit *Baronius* Appar. ad Annales §. CII. & CIII. 1. dum inquit Euſebium in Chronico deſcriptionem factam à Præſide Syriæ Quirino ſub eodem anno ſecundo Olympiadis CXCIV. ponere: quod falſum eſſe oſtendimus. Nec ἔνστασις ab errore librariorum fundamentũ habet niſi in coniecturâ Baronii. Verum quidem, quod contendit Baronius, toto cœlo apparere, tam deſcriptionem à Quirinio factam, quàm natalem Domini uno eodémque anno recenſenda fuiſſe. Id verò præſtitum ab Euſebio, & conjunctim utrumque propoſitum ad Olympiadis CXCIV. annum tertium, non ſecundum. 2. Hallucinatur Baronius, dum contendit, annis Auguſti à cæde Cæſaris ductis, quadrageſimum ſecundum incidere in Olympiadis CXCIV. ſecundum, cum potius incidat in tertium. Conſtat cædem Cæſaris incidere in annum per. Iul. 4670. Iulianum II. Olympiadis CLXXXIV. primum, Cyclum Sol. XXII. Lun. XV. lit. A. Quadrageſimus ſecundus ergo à cæde Cæſaris connectendus eſt cum Iuliano XLIV. Cycl. Sol. VIII. Lunæ XIX. lit. E. adeoque cum Olympiadis CXCIV. non ſecundo, ſed tertio, cum quo anno cyclos illos connectit ipſe Petavius. Et ſanè apud Euſebium, in Canone Chronico, primus Octavii annus init demum ab Olympiadis CLXXXIV. ſecundo, non primo, & à Conſulatu Panſæ & Hirtii, ubi denuò Baronius librariorum errorem ſine causâ affingit Euſebio. Etſi enim Imperii Octavii meminerit dicto anno primo Euſebius, reverâ tamẽ exigua fuit Octavii ὑπεροχὴ eo ipſo anno quo Iulius

occiſus, tametſi enim à ſuis Cæſar vocaretur, & veteranos largitionibus ſibi conciliaret, ſequenti tamen anno demum multa honorificè de illo publicè decreta à Senatu, ut bellum administraret contra Antonium cum Coſſ. ut ad Conſulatum admitteretur decem annis prius quàm per leges liceret, ut ſtatua illi erigeretur, & alia id genus. Quin & victo demum à Coſſ. Antonio, & Panſâ ac Hirtio ſublatis, poſtquam caſtra Romam verſus moviſſet, & Conſulatum Senatui extorſiſſet, cum imperio eminere cœpit. Meritò ergo Euſebius primum Octaviani Imperij annum demum refert ad annum Olympiadis CLXXXIV. ſecundum. Nec quicquam ad cauſam Baronii facit, Euſebium connectere annum XV. Tiberii cum XXX. Chriſti, & quarto Olympiadis CCI. Nam & illi optimè inter ſe connecti poſſunt, natali Chriſti relato ad Olympiadis CXCIV. tertium non ſecundum, initio ſupputationis ducto à dicto anno tertio incluſivè ad quartum Olympiadis CCI. cum quo concurrit XV. Tiberii: contra initio ducto annorum Chriſti ab Olympiadis CXCIV. ſecundo incluſivè ſumpto, XXX. Chriſti incidet in annum tertium, non quartum Olympiadis CCI. Tiberii XIV. Euſebio ergo vis fit, & ejus verba torquentur, ſiquidem biennium anticipaſſe judicetur ſupra Æram communem. Alius illius calculus, πρόσθεσιν ille anni tantum habet, non biennii. Verba illius clariſſima ſunt lib. I. Hiſt. Evang. cap. V. Ἤδη οὖν τοῦτο δεύτερον καὶ τεσσαρακοστὸν ἔτος τῆς Αὐγούστου βασιλείας, Αἰγύπτου δ᾽ ὑποταγῆς, καὶ τῆς τελευτῆς Ἀντωνίου καὶ Κλεοπάτρας, εἰς ἣν ὑστάτην ἡ κατ᾽ Αἴγυπτον τῶν Πτολεμαίων κατέληξε δυναστεία, ὄγδοον ἔτος καὶ εἰκοστὸν, ὁπηνίκα ὁ Σωτὴρ καὶ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ἐπὶ τῆς τότε πρώτης ἀπογραφῆς, ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου τῆς Συρίας, ἀκολούθως ταῖς περὶ αὐτοῦ προφητείαις ἐν Βηθλεὲμ γεννᾶται τῆς Ἰουδαίας. Characterum horum Auguſtalis & Actiaci tum deſignationem, tum collationem repetere hîc nihil attinet. Plana omnia ex ſuperioribus, ubi utriuſque radix & colligatio cum Epochis aliis prolixè oſtenſa.

Alia hallucinatio Baronii diſſimulari non debet, ubi errorem quem ipſe errat Euſebio quoque affingit §. CV. in Apparatu ad Annales, inquit ille, Euſebium in Chronico debellatos ab Auguſto Antonium & Cleopatrã ponere Olympiadis CLXXXVII. anno tertio, inde numeratis XXVIII. annis confirmari natum Dominum Olympiade CXCIV. anno ſecundo Coſſ. Lentulo & Meſ-

Messallino, illam tamen victoriam, addit Baronius, contigisse dictæ Olympiadis anno II. Augusto III. & Messalâ Coss. At hoc verè est κολοκυνταις λημᾶν. Eusebius ne verbo quidem notat prælium Actiacum contigisse Olympiadis CLXXXVII. anno tertio, quod notum contigisse secundo, sed potius disertè excessum Cleopatræ conjicit in tertium illum annum, quo & revera mortem sibi conscivit, quo & Antonius occubuit, & Alexandria victorem admisit Augustum. Vide Diagramma Eusebianum.

	Χρον.	καν.	
	ΡΩΜ.	ΑΛΕΞ.	ΙΟΥΔ.
ΟΛ ΡΠΖ.	ΙΒ.	ΙΘ.	Β
	ΙΓ	Κ	Γ
	ΙΔ	ΚΑ	Δ. Γ. ΚΑΙΣΑΡ ΟΚΤΑΟΥΙΑΝΟΣ ΤΟ Δ. Μ. ΛΙΚΙΝΙΟΣ ΚΡΑΣΣΟΣ.

Κλεοπάτρα ἑαυτὴν διεχρήσατο
Ἀλεξανδρείας εἰλημμένης πρῶτον ἡγεμὼν Αἰγύπτου πέμπεται Γ. Κορνήλιος.

Sic in libro posteriore ex tralatione Hieronymi

	Rom.	Alex.	Iud.
OL. CLXXXVII.	XII.	XIX.	II.
	XIII.	XX.	III.
	XIV.	XXI.	IV. Cleopatra & Antonius semet interficiunt, & Ægyptus fit Romana prouincia &c.

Quâ in re optimè convenit Eusebio & cum Scriptoribus veteribus, & cum Chronologis recentioribus plerisque, qui eodem modo calculum ponunt, adeoque quod Eusebius de morte Cleopatræ dicit, perperam Baronius ad prælium Actiacum trahit, inter quæ διάστημα annuum, quod à Baronio sine ratione confunditur. Eusebium verò annum Christi natalem conjecisse in Olympiadis CXCIV. tertium, non secundum, probat prolixè *Arnoldus Pontacus* in notis eruditis ad Eusebium, qui collatione diligenti XXVIII. Mss. & octo editionum diversarum institutâ, disertè profitetur, omnes ferè libros concurrere; ut

nativitatem Salvatoris prænotent ad eundem annum Herodis XXXII. Augusti XLII. & Olympiadis CXCIV. tertium, solum MS. Lodonense habere ad annum Herodis XXXI. Aug. XLI. & Olympiadis CXCIV. secundum. Victorinum quoque & Oisellinum dissidere tantum ab universâ cohorte librorum in Olympiade, & constituere ad annum Olympiadis dictæ secundum. Idem aperit fontem erroris, ortum hoc ex omissione anni X. Ptolemæi in serie Alexandrinorum. Aliam verò fuisse mentem Eusebii probat Pontacus ex eo, quod referat annum XX. Constantini ad annum Christi CCCXXIX. Olympiadis CCLXXVI. tertium, siquidem vero cursu retrogrado numeremus, reperiri annum primum Christi esse Olympiadis CXCIV. tertium. Idem confirmat ex numero MMXV. quem Eusebius ducit ab Abrahamo ad natalem Christi. Plura in hanc rē eruditè notata ab eodē Authore ibidem videri possunt, qui & calculi Baroniani errorē notat, & illi opponit Pererium in Commentariis ad Danielem, diversum ex fundamento Baronii colligentem, & rationes ac authoritates alias. Sic Vir illustris *Iosephus Scaliger* in prologo de Emendatione temporum ingenuè fatetur, tametsi ipse præferat sentētiam diversam, Eusebium quoque inter multos veteres putasse, Christum natum anno XLIV. Iuliano, tribus circiter mensibus ante excessum Herodis, anno solido ante Epocham Dionysii. *Montacutius* quoque vir CL. Exerc. XI. sect. I. eandem Eusebio mentem fuisse probat, & ex collatione numeri MMXV. ducti ab Abrahamo ad Christi nativitatem, & ex fundamentis aliis, quæ prolixè hîc referre nihil attinet. Vindicat idem locum citatum à Baronio §. CII. ex Eusebii lib. X. τῆς προπαρασκευῆς cap. III. & notat illum lapsum, ob non observatam inæqualitatem anni Olympiadici collati ad annum Romanum.

XXXIV. Cæterùm, tametsi constet calculum Eusebii non patrocinari sententiæ illi, quæ biennio antevertit Epocham communem, sunt tamen multi alii viri magni & eximii, qui eam & probant & propugnant. Ex veteribus ad hanc classem referuntur *Aurel. Cassiodorus, Maximus Monachus, Prosper, Georgius Cedrenus, Sigebertus, Cuspinianus*, aliiq; complures, quorum mentem & dicta excutere esset κύματα μετρεῖν, & ἀνθηρίκοις θερίζειν. *Maximi Monachi* mens aperta, notat enim anno illo quo ab

Angelo

Angelo Iohannis nativitas prædicta fuit Zachariæ, XXVII. Sept. fuisse feriam V. literam ergo Dom. G. Cyclum Sol. VI. Lun. XVII. per. Iul. 4710. Vnde natalis Christi necessariò referendus ad annum sequentem Cycl. Sol. VII. Lun. XVIII. lit. F. per. Iul. 4711. Contradictionem tamen ejusdem Maximi notavimus Sectione XIII. *Florentium VVigorniensem* accensere possumus prioribus, qui Chron. lib. II. disertè refert natalem Christi ad Consulatum Lentuli & Messalini. Inter recentiores familiam ducunt viri celeberrimi, *Iosephus Scaliger, Pererius, Baronius, Calvisius, Torniellus, Helvicus, Alstedius*, aliique complures. *Scaliger* vel in primis vir supra laudem, & de studiis his insigniter meritus multis aliis hac in parte præivit. Docet ille passim & in eximio opere de Emendatione temporum, & in Eusebianis, de Natali Christi ita censuisse veteres, & rectè quidem, Christum natum anno XXVIII. Actiaco, circa ultimos menses anni Iuliani, à cujus Augusto iniverit XXVIII. Actiacus. Omnium vetustiorum hanc fuisse sententiam. Natalem Christi ergo incidere in Cyclum Lunæ XVIII. per. Iul. 4711. Græcorum computi paschalis 5506. L. Cornelio Lentulo & M. Valerio Messalino Coss. quibus etiam Cassiodorus Christum natum scribat. Sic Cedrenum non solùm anno 5506. Græcorum natum dicere, sed etiam feriâ quartâ, Cyclo Solis Græcorum XVIII. Lunæ XV. Omninò igitur fuisse Cyclo Lunæ Dionysiano XVIII. Solis Romano VII. Lit. Dominic. F. Idem docere Maximum Monachum, Cedreno CCCC. annis vetustiorem. Veteres docet *Scaliger* id collegisse ex loco Lucæ, Iesum enim accessisse ad baptisma anno ætatis suæ tricesimo absoluto & tricesimo primo ineunte, qui erat Actiacus LVIII. Tiberii XV. Sic *in Animadvers. in Euseb.* ad annum MMXVI. concludit idem Scaliger, Christum natum biennio ante Epocham vulgarem, Epocham quidem Dionysianam nobis conservasse memoriam annorum plus minus noningentorum, eoque nomine in usu retinendam esse, quanquam Eusebianis rationibus minor sit anno uno, vero autem natali Christi, biennio. Sic in *proleg. de Emend. Temp.* Vetustatem Christianismi natalem Christi rectè retulisse ad annum XXVIII. Actiacum. Baptizatum fuisse anno XV. Tiberii duobus Geminis Coss. anno Iuliano LXXIV. Ergo XXV. Dec. anni LXXIII. illi inivisse annum primum à XXX. Deductis annis XXX. absolutis de LXXIII. rema-

nere annum Iulianum XLIII. in cujus XXV. Decemb. natus fuerit Dominus Cyclo Lunæ XVIII. Anno XXVIII. Actiaco, duobus annis ſolidis ante Epocham hodiernam Dionyſianam. Sic *Scal. de Emend. Temp.* Biennio integro à vero nos removit ſanctio Dionyſiana, quod utinam nunquam in mentem veniſſet aut illi hoc imperandi, aut nobis parendi. De fundamentis *Scaligeri* diſpiciendi penitiùs occaſio dabitur in Dubiis ſequentibus, ubi & de calculo annorum Herodis, & de loco Lucæ III.1. & 23. diſſertatio plenior inſtituetur.

XXXV. *Sethus Calviſius* Chronologus CL. cap. XLVI. verum nativitatis Chriſti annum eruere ſatagit ex Scriptoribus ſacris Lucâ & Matthæo: ex illo ob characterem anni XV. Tiberii connexi cum triceſimo Chriſti anno: ex iſto, ob characterem annorum Herodis, quo regnante natus dicitur Chriſtus. Annum XV. Tiberii eruit Calviſius ex annis obitus Auguſti, ex annis ætatis Tiberii, & ex annis Imperatorum ſequentium. De annis Herodis etiam, ubi regni illius principium figendum ſit, ubi finis, prolixè ex Ioſepho diſputat, & illius characteres ſibi ac ſententiæ ſuæ vindicat. Concludit verò, cum Chriſtus ferè fuerit annorum triginta eo anno qui habuit Cyclum Lunæ X. Sol. IX. qui XV. Tiberii, neceſſe eſſe eum natum fuiſſe Cyclo Lunæ XVIII. Solis VII. triginta enim annos ab illis numeratos ordine retrogrado exhibere dictos cyclos. Sic probat *Calviſius* Herodem mortuum Cyclo Lunæ I. & Chriſtum natum Cyclo Lunæ XVIII. h.e. biennio ferè ante. Mortem Herodis probat charactere Aſtronomico, Eclipſi nimirum lunari, quam habet Ioſephus lib. XVII. Antiqu. cap. VIII. conſenſu Evangeliſtarum cum Hiſtoricis profanis, & ſuffragiis antiquiſſimorum Eccleſiæ Scriptorum. Epocham ergo Dionyſianam falſam eſſe, & minorem quàm debebat biennio, & Chriſtum natum Olympiadis CXCIV. anno ſecundo Alexandreo CCCX. Act. vict. XXVIII. Nabon. DCCXLVI. V.C. DCCL. finiente, Iuliano XLIII. Mundi 3947. finientibus. De utroque Calviſii charactere & XV. Tiberii & annorum Herodis agetur in Dubiis ſequentibus, Deo favente. Euſebio, quem in eandem ſententiam pertrahit Calviſius, vim fieri jam modò ſatis ſupérque demonſtratum.

XXXVI. *Baronius* prolixus etiam eſt in eâdem ſententiâ adſtruendâ in Apparatu Annalium à §. XCIX. ad CXX. ubi operosè diſqui-

diſquirit, quibus Coſſ. quo anno Olympiadico, Auguſtali, V.C. Regni Herodis, & Mundi Chriſtus natus fuerit. Inquit vero §. CI. ſe quidem aliâs pedibus in illam ſententiam iuiſſe, natum Dominum Auguſto & Sylvano Coſſ. re tamen accuratiùs perveſtigatâ, ſe potius acquieſcere Caſſiodoro, figenti Natalem Chriſti in Conſulatu Corn. Lentuli & Valerii Meſſalæ ſeu Meſſalini, anno præcedente. *Eſto*, inquit §. CIX. *velut* γνώμων *totius futuri tẽporis fixus atque firmatus, primus Chriſti annus, ſub Conſulatu Lentuli & Meſſalini, Olympiadis* CXCIV. *anno ſecundo, ab V.C. ſecundum Varronianam ſupputationem, anno* DCCLI. etſi fateatur §. CX. in numerandis Olympiadibus, & annis V.C. diverſitatem magnam reperiri, adeóque tutò & certò non poſſe annos Chriſti à conditæ urbis tempore numerari. In ſententiam ſuam pertrahit Baronius Patres veteres, & diverſa illorum dicta conciliare nititur: Lucæ quinetiam teſtimonium de XV. anno Tiberii connexo cum XXX. Chriſti prolixè excutit, & ex eo cauſæ ſuæ firmamentum quærit. Laudanda ſanè ſingularis illa *Baronii* diligentia in anno natalitio, qui vera Annalium Chriſtianorum baſis, eruendo, ubi erudita multa & operosè conquiſita.

Quædam tamen deſiderari meritò poſſunt ſive in judicio, ſive in ingenuitate Baronii, quæ ad cautelã Lectoris notanda. I. *Primò*, Euſebio eâdem quam Calviſius vim facit, unde & meritò ab *Arnaldo Pontaco* in notis ad Euſebium notatur. Παρεράματα ejus ſuprà excuſſa. II. *Secundò* contradicit ſibi ipſi ſuper calculo Epiphanii, §. C. & CI. ut in ſententiæ ultimæ conſideratione oſtendemus. III. *Tertiò*, cum in annum Mundi inquirit, quo Chriſtus natus fuerit §. CXVIII. calculum LXX. vitioſum obtrudit Lectori, rationibus ductis 1. à conſuetudine ſanctæ & antiquæ Eccleſiæ. 2. à commendatione Auguſtini, Iuliani, & Anaſtaſii. 3. à praxi omnium Patrum antiquorum, 4. ab Eccleſiæ Romanæ profeſſione in Martyrologio. Fateri tamen cogitur ipſe Baronius propter exemplarium diverſitatem, & alias innumeras difficultates, perdifficile eſſe veritatem conſequi, dum inemendata de inemendatis ſcribuntur, Hieronymo teſte. At ſi tanta exemplarium diverſitas, & innumeræ in Editione Græcâ difficultates, quæ & Lectori & veritati officiunt, cur uniformem textus Hebraici calculum poſtponit Baronius ſupputationi ambiguæ, & involutæ? cur voci divinæ præfert hu-

manam , textui Authentico Verſionem? Et talem quidem, quæ,omnium eruditorum,Ieſuitarum etiam, conſenſu, non errori tantum obnoxia eſt , ſed & apertè vitioſa. Tornielli, Saliani,Petavii & Barradæ cõfeſſiones ingenuas vidimus Sect.VII. Nequicquam verò provocat Annalium ſcriptor ad editionem LXX. Interpretum ab Antonio Carafâ Cardinali Romæ procuratam , eámque vocat opus *planè divinum , & divinitùs inſpiratum*. Hoc verò eſt παραφέρεσθαι & ἕλειν ἀντιφυτεύειν. Verſionem illam divinam non agnoſcimus,nedum planè divinam.*Alii Myſorum ſunt,alii Phrygum termini.* Sixti V.Pontificis diploma homines obnoxios movere poteſt , non liberos , & ſuæ ſpontis, tranſalpinis cornea fibra eſt, & ὅσιον, προτιμᾷν τὴν ἀλήθειαν. De authoritate cæteroquin & integritate verſionis LXX. actum Dubio XXIII. parte primâ. Adſperſa quinetiam ibidem quædam de Editione procuratâ à Carafâ. Opponimus tantum hîc *Baronio* & *Galeſinio*, hujus mercis propolis, judicia contraria *Serarii* & *Bonfrerii*, non infimæ notæ Doctorum , à quibus non obſcurè ſuggillatur,à Serario vel inprimis,quæſt.XXI.cap.XXVII. Proleg.qui rationibus compluribus oſtendit,illam aliis quidem præferendam , at nec ab errore nec à corruptelis immunem eſſe.Rationes,quas Baronius pro calculo LXX.adfert,jejunę ſunt &evanidæ,ἐπιφυλλίδες ταῦτ᾽ ἐστὶ καὶ στωμύλματα,vt ſenarium Ariſtophanicum habet.Nam I.conſuetudo Eccleſiæ ſanctæ nunquam ex ſcripto humano divinum , vel ex verſione textum authenticum facit , vel facere poteſt , & quæ id molitur,illa nec ſancta eſt,nec vera.Adde nomen Eccleſiæ ſanctæ & antiquæ inane hîc μορμολυκεῖον eſſe, & crepitaculum Archytę,quo illi homines vel obnoxios,vel ſtolidos terrent,neque enim unius vel alterius Scriptoris opinio ſtatim vox Eccleſiæ Catholicæ cenſeri debet. 2.Auguſtinum quidem in Verſione illâ commendandâ nimium fuiſſe norunt omnes, qui in Scriptis ejus ſunt verſati, ut & cauſam erroris, imperitiam nimirum linguæ Hebraicæ, à quâ cum imparatus eſſet ſanctiſſimus vir , in illius verſionis laudes effunditur,quâ & uti poterat,& quæ ob antiquitatem commendationem peculiarem mereri videbatur.Fatendum tamen,& pręconia quæ congerit , & conciliationes quas molitur,eſſe ſupra dignitatem LXX.& infra dignitatem Auguſtini. *Iuliani* quoque authoritas tanti non eſt , & illi æquè ac Auguſtino Hieronymi judicium

judicium hac in parte longè castigatius opponendum, inquit ille in Apolog. adversus Rufinum. *Non damno, non reprehendo* LXX. *sed confidenter cunctis illis Apostolos præfero. Per istorum os mihi Christus sonat, quos ante prophetas inter spiritualia charismata positos lego, in quibus ultimum penè gradum Interpretes tenent. Anastasii Sinaitæ* suffragium nec validum, nec pro Baronio, inquit ille tantùm, Annalistâ teste, aliter computare Hebræos, aliter Romanæ Ecclesiæ traditionem. Hoc verò est ἐξορχεῖσθαι. Quid in his verbis Anastasii pro causâ Baronii? Adde, illa *facti* tantùm indicium esse, non *juris*. Immò quia aliter Codices Hebræi computant, aliter traditio Romanæ Ecclesiæ, Ecclesia Romana discedit ab officio, & sibi ipsi oculos configit. Et cur Ecclesia Romana hîc Versionem vulgatam deserit? quam ut ἀξιόπιστον & authenticam orbi Christiano alioquin obtrudit, quum tamen constet eam discedere à supputatione LXX. & adhærere calculo Hebraico. Vtrum jam opus divinum & divinitus inspiratum? Hîc sanè vadimonium deserendum, & vel LXX. Interpretibus vel Interpreti vulgato renuntiandum. 3. Scriptorum antiquorum praxis nec universalis hîc est, nec si esset, parendi necessitatem adferret, vel αὐτόπιστος aut αἰδέσιμος foret, sed *facti* tantùm index, non *juris*. 4. Sic Ecclesiæ Romanæ professio in Martyrologio suo & recens est, & nullius authoritatis apud homines cordatos, & non affixos glebæ Romanæ. Ejusmodi rationibus pugnat præclarus ille Annalium Scriptor. Scilicet verè simul & eleganter Vir Summus *Hugo Grotius* de vasto illo Opere,

Annales docti nimium servire Baroni
Qui legis, & Romæ quale probatur opus,
Credere ne propera: multo vigilata labore
Pagina, sed nutu sub dominantis erat.
Auctoramentum non est leve, purpura: pridem
Pontifices verum non didicere pati.

IV. *Quartum* quod in *Baronio* desideratur, & meritò, est, eum non animadvertisse discrimen inter Æram communem, & Epocham, quam sequitur, sed utramque promiscuè habuisse, inter quas tamen biennii διάστημα. Concedit ille pedibus in sententiam *Cassiodori*, Christum natum Coss. Lentulo & Messalino, Olympiadis CXCIV. secundo. Æra verò communis natalem ejus conjicit in Olympiadis CXCIV. quartum, adeoque in Con-

ſulatum Lentuli & Piſonis. Prior habet Cyclos Sol. VII. Lun. XVIII. Lit. F. poſterior, Sol. IX. Lun. I. Lit. DC. Quæ diverſarum Epocharum confuſio τερατώδης eſt & intoleranda. Συγγνώμην πρωτοπείρῳ, non Annalium Scriptori. Meritò proinde *Sethus Calviſius* cap. XLVII. παρόραμα illud impingit Baronio, & inquit, eum characteres Chronologicos non obſervando magnum illud diſcrimen inter annum nativitatis Chriſti à ſe conſtitutum, & inter Epocham Dionyſianam non vidiſſe, & utroque principio confuſo multis modis Hiſtoriam turbaſſe, inter cætera etiam Ioſephum Hiſtoricum miſerè flagellaſſe, & abſurda varia invexiſſe, v. g. initium regni Herodis figendum poſt prælium Auguſti & Antonii ad Actium commiſſum, cum à victore Auguſto regnum iterum obtineret, quod commentum prolixè etiam confutat *Montacutius* Exercit. X. Sect. V. Exempla quoque adducit Sethus confuſarum à Baronio Epocharum, ubi calculum illius verum eſſe oſtendit relatum ad Epocham quam ſequitur, falſum, relatum ad Epocham Dionyſianam. Continuatus verò fuit error iſte à Baronio ad annum uſque CCLXXXIV. qui primus Diocletiani, ſed tandem animadverſus, ὀψὲ αἰσθανόνται οἱ Κυμαῖοι, & remedium quæſitum, violentum quidem illud, neceſſarium tamen ſiſtendo errori, dum ex Hiſtoriâ Romanâ duo anni exempti, & Aurelii Probi Imperium totidem annorum intervallo à Baronio truncatum. Ejuſdem erroris confuſarum Epocharū cum Baronio reos peragit *Petavius* Onuphrium, Ianſenium, & Pererium, & fatetur eos conſtituti à ſe Chriſti natalis, & Dionyſiani vel communis diſcrimen non animadvertiſſe, aut certè non ſignificaſſe, ſed promiſcuè utrumque habuiſſe. Eundem errorem non animadverſæ, & non notatæ diſcrepantiæ inter Æram Dionyſianam, & veram perſtringit in Baronio Caſaubonus Exerc. I. Num XCIX. §. XXXIV. & Exerc. IV. ad annum III. ubi & alia quædam paradoxa eidem impingit 1. Ioſephum novem annos vitæ Herodis prætermiſiſſe ſilentio. Et ſanè Ioſepho iniquiſſimè multa ab Annalium Scriptore affingi fatetur Petavius ad Hær. LI. Alogorum, in Animadverſionibus eruditis ad Epiphanium. 2. Primum regni illius annum rejiciendum eſſe in tempus Actiacæ victoriæ à confirmatione Herodis in regno per Auguſtum, quod & notatum à Calviſio. 3. Herodem nonniſi octavo demum anno à nativitate Chriſti

fuiſſe

fuisse exstinctum. 4. In ratiociniis annorum Mundi LXX. versionem esse sequendam, & LXX. Editionem Græcam Romæ curatam esse ipsissimam LXX. Versionem, quod & paulò ante discussum.

Et hæc de *προλήψει* biennii supra Æram communem disputata sunto. *Petavius* tametsi assensum sustineat, fatetur tamen tolerari posse sententiam Scaligeri & Calvisii, Christum biennio ante Epocham Dionysianam natum statuentium. Probatur verò disertè ab *Augustino Torniello* Novariensi Chronologo Italo erudito, qui quamvis in collatione Epocharum quarũdam discrepare videatur, in Annalibus suis sacris ad annum Mundi 4051. inquit tamen, Christum natum Olympiadis CXCIV. anno secundo, Lentulo & Messalino Coss. currente anno Imperii Cæsaris Augusti à nece Iulii Cæsaris XLII. ab extorto autem primo ejus Consulatu, & inito cum Antonio & Lepido triumviratu XLI. A pugnâ Actiacâ h. e. ab ipsâ ejusdem Augusti Monarchiâ, quam Antonio & Cleopatrâ ad Actium devictis invasit, anno XXIX. & ex quo eandem Monarchiam Romanam de S.P.Q. voluntate retinere cœpit, anno XXV. In tribus characteribus hîc peccatum à Torniello. Consulatus enim Lentuli & Messalini incidit demum in annum XLI. à cæde Cæsaris, XL. ab extorto primo Consulatu, & XXVIII. Actiacum à pugnâ.

XXXVII. *Vltima* sententia, eaque multis Authoribus eximiis & veteribus & recentioribus probata, est, peccatum esse in Epochâ communi *μεταχρονισμῷ anni unius*, & Christum natum Anno Mundi 3948. period. Iul. 4712. Olympiadis CXCIV. tertio, qui Iphiteus DCCLXXV. V.C. Catoniano DCCLI. Varroniano DCCLII. Nabonass. vel DCCXLVI. vel secundum alios DCCXLVII. Actiaco à prælio XXIX. à captâ Alexandriâ XXVIII. Anno Augustali à cæde Iulii Cæs. XLII. à primo Consulatu XLI. Iuliano XLIV. Coss. Augusto Cæs. XIII. & M. Plautio Sylvano, Cyclo Solis VIII. Lunæ XIX. lit. E. In hac sententia videtur fuisse inter veteres *Epiphanius*, si characterem anni Augustalis & Consulatum, quem notat, respiciamus. Vide Epiphanium Tomo I. libro II. *κατὰ αἱρέσεων*. Hæresi LI. *κατ' ἀλόγων*. Γεννᾶται μὲν γὰρ, inquit, ὁ Σωτὴρ τῷ τεσσαρακοστῷ δευτέρῳ ἔτει Αὐγούστου βασιλέως τῶν Ρωμαίων, &c. Concludit Epiphanius ibidem characterem hunc, &

duos alios adiectos tum à tempore, quo Romanis vectigalis facta Iudæa, tum ab annis Antipatri & Herodis, his verbis, ταῦτα δὲ ἐπραγματεύθη ἐν ὑπατείᾳ Ὀκταυΐου Αὐγούστου τρισκαιδέκατον, καὶ Σιλανοῦ ὑπάτου, &c. Sic Tomo II. lib. III. Hæresi LXXVIII. Antidico-Marianitarum. §. X. Edit. Petav. hæc habet, ἐν γὰρ τῷ ξ' καὶ ὀκτακοσιοστῷ ἔτει τοῦ πρώτου Ἡρώδου, υἱοῦ Ἀντιπάτρου, γεννᾶται ὁ Σωτὴρ ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ιουδαίας, ὅπερ ἦν τεσσαρακοστὸν δεύτερον ἔτος Αὐγούστου βασιλέως, &c. Prior character ab annis Herodis obscurior est, quia non liquet, ubinam ex sententia Epiphanii sit figendum initium annorum Herodis, quæ enim adjiciuntur ab Epiphanio Hær. LI. Sibyllæ folia sunt, & meræ tenebræ, in quibus discutiendis & Petavius in Animadversionibus suis, & Montacutius Exerc. X. Sect. VI. diu multúmque seipsos simul ac Lectorem torquent, nec expediunt tamen. Character secundus ab annis Augusti clarior est, collatus cumprimis cum charactere Coss. notato ab Epiphanio Hær. LI. ambiguum enim alioquin foret, ob quintuplicem radicem annorum Augusti, (de quâ actum Sectione X.) ubi XLII. annorum illorum Epoche figenda esset. Cum verò illos consignet Epiphanius Consulatu Augusti XIII. & Silani, (qui rectiùs Sylvanus secundum Fastos tum Capitolinos, tum Siculos) inde constat, annos illos Augustales ducendos à cæde Cæsaris, cum XLII. à primo ejus Consulatu ductus respõdeat demum Consulatui Lentuli & Pisonis. Actiacus uterque, ut & calculus ductus à delato illi nomine Augusti, remotior est, quàm ut huc referri debeat. Fallitur itaque *Montacutius*, qui annos illos XLII. ducit à Consulatu Pansæ & Hirtii, & anni eclipsi peccat. Certum ergo, Epiphanium πρόληψιν anni supra Æram communem statuisse.

Mirum verò, Baronium in Epiphanii sententiâ referendâ §. C. & CI. adeò apertè sibi contradicere, §. enim C. quod ad Consules spectat quibus natus est Iesus, tres inquit, easdémque diversas repertas fuisse antiquorum sententias, quarum primæ auctor sit Epiphanius, secundæ Cassiodorus, tertiæ verò Severus, testari Epiphanium natum esse Dominum Iesum Augusto decimum tertiùm & Sylvano Coss. Cassiodorum verò natalem Domini Cornelii Lentuli & Valerii Messalini Consulatu consignare, præcedentis scilicet anni Coss. Sic §. CI. inquit Onufrium Panvinium ejus fuisse sententiæ, natum fuisse Dominum, quod sensit Epiphanius, Augusto & Sylvano Coss. Et tamẽ

paulò post inquit, Epiphanium non reverâ videri dissensisse à Cassiodoro, nisi quod dum ipse de die natalis Christi est secutus Ægyptios, qui sextâ Ianuarii Christum natum esse dicebant, non debuerit sub dictis Coss. Lentulo & Messalino, sed sub Coss. sequentis anni Augusto & Sylvano natalem Domini constituere. Id verò facturum fuisse Epiphanium, si natum Dominum existimasset æquè cum Latinis & Græcis XXV. Dec. Annon verò hoc est simul flare & sorbere, θερμὸν ϗ ψυχρὸν ἐξάγειν ἐκ τοῦ αὐτοῦ στόματος? Si Epiphanius reverâ non dissentit à Cassiodoro cur eum Baronius §. C. diversæ sententiæ authorem facit? sin dissentit, cur ei vim facit, & diversa connectit? Demus, Epiphanium & Ægyptiorum morem secutum, & ob id natalem Christi consignasse Consulatu Augusti & Sylvani, sanè causæ nihil fuit, cur Baronius ex suâ æquè ac aliorum sententiâ Epiphanio diversam sententiam affingeret. Nequicquam etiam Baronii interpretamentum probat Petavius in notis ad Epiphanium, nec enim tam de mente Epiphanii litem movemus Baronio, quàm de contradictione quam duobus paragraphis allegatis nectit. Baronium enim §. C. non tantum ex aliorum sententiâ, sed & ex suâ loqui constat ex verbis quæ habentur §. CI. *Scimus in his desudasse disertorum virorum ingenia, & eum qui inter recentiores de Fastis Consularibus fusius disputavit, ejus fuisse sententiæ, ut,* quod sensit Epiphanius, *natus fuerit Dominus Augusto & Silvano Coss.* Si enim hoc sensit, utique non consensit Cassiodoro, & Baronius immisit δεξιὸν εἰς ὑπόδημα, ἀριστερὸν εἰς ποδόνιπτρον. Vnde ingenuè & Scaliger & Calvisius *Epiphanium* in illorum censum referunt, qui statuunt Christum natum Cyclo Lunæ XIX. Solis VIII. tametsi id sententiæ, quam tuentur, adversetur. *Eusebium* verò iisdem characteribus consignare natalem Christi, quibus Epiphanius, suprà satis superque demonstratum, sive characterem Olympiadicum respiciamus, sive Augustalem, sive etiam Consularem. Hoc tantum addimus ad errorem suprà notatum in Calvisio & Baronio, qui ἐπιγραφὴν, velut de mente Eusebii, relatam volunt ad Olympiadis CXCIV. secundum, repugnare non tantum Editiones Eusebii omnes, quotquot quidem mihi videre contigit, sed & Arnaldum Pontacum disertè notare, illam periodum à se repositam ex fide omnium Mss. (quorũ viginti octo ipsi excussa,) præter Fabritia-

num & Petavianum, ad annum XLII. Augusti, ita poscente non tantum auctoritate Lucæ, sed & ipsius Eusebii in Historia Ecclesiastica. Si quis ergo Codex vetustus reperiatur, (quali fortè usi Baronius & Calvisius) qui descriptionem Cyrenii rejiciat ad annum secundum Olympiadis CXCIV. is ex aliis multis, & castigatioribus quidem, emendandus, secundum mentem Eusebii. Idem profitetur *Montacutius* Exerc. XI. Sect. I. in suo Codice Eusebiano, τὴν ἀπογραφὴν ad annum Servatoris natalitium, non ad præcedentem, annotari. Epiphanio verò accensentur à multis *Augustinus*, *Hieronymus*, *Orosius*, *Marianus Scotus*, *Freculphus Episcopus Lexoviensis*, *Urspergensis*, aliique complures, quorum omnium scrinia & mentem prolixè excutere sterilis operæ foret. *Mariano Scoto* περίληψιν aliam à Petavio tribui vidimus Sect. XXVII. Mihi Authorem ipsum videre non contigit. Siquidem verò ille natalem Christi consignet Olympiadis CXCIV. tertio, quod quidam referunt, manifestum, sententiam illius ad ultimam hanc classem pertinere, cum quo charactere congruunt alii qui adscribuntur Mariano, Augustalis XLI. & V. C. DCCLII. si illum Marianus ducat à primo Augusti Consulatu, istum à Palilibus Varronianis. Siquidem eadem Palilia sequatur *Freculphus*, idem annus tertius, ab eodem notatus rectè connectetur cum Consulatu Plautii & Sylvani: sin sequatur Catoniana vel Capitolina, referri debet inter fautores Epochæ communis.

E recentioribus pro hac sententiâ citari possunt celebris Fastorum Scriptor *Onufrius Panvinius*, *Henricus Buntingus*, *Richardus Montacutius*, Ecclesiasticarum Exercitationum scriptor, *Arnaldus Pontacus*, *Henricus Savilius*, aliique complures viri præstantes. *Genebrardus* iisdem quidem Consulibus Christum natum scribit, Octavio nimirum Cæsare & Plautio Sylvano, malè verò cum illis connectit Olympiadis CXCIV. annum quartum, qui tertius tantum erat. *Ioh. Funcius* Chronologus celebris in eadem sententiâ est, si characterem Olympiadicum respiciamus, etsi idem non tantum in annis Mundi longiùs recedat, sed & in eo hallucinetur, quod Consulatum Lentuli & Messalini connectit cum Olympiadis CXCIV. tertio, qui connectendus erat cum secundo, cum notum sit tertium demum consignari Consulatu Augusti XIII. & Plautii Sylvani.

XXXVIII.

XXXVIII. Et hactenus quidem moleſtiſſimo labore defuncti fuimus, in digerendis & explicandis tot diverſis opinionibus ſuper Natali Chriſti. Quod quidem eò accuratius præſtitum, quod id à nullo adhuc, quod ſciam, hac Methodo plenè tentatum fuerit. Inde etiam conſtabit, quàm perplexa ſint omnia & involuta, & quàm parum tutum ſit quidquam hîc ſtatuere, cùm longè facilius ſit aliena convellere in hoc argumento, quàm propria ſtabilire. Reſtat tamen, ut judicium noſtrum liberè ſubjiciamus. Fatendum ſanè, perquam operoſum eſſe ſe in hoc negotio arbitrum interponere, & litem iſtam eâ parte decidere, quâ decidi debet. Multa quidem hîc & ſpecioſa adferuntur,

--- *δοκὸς δὲ ἐπὶ πᾶσι τέτυκται.*

Difficultas rei eo ipſo non parùm augetur, quod nullam certam baſin habeamus, cui tutò inniti poſſimus. Nec enim vel conjecturæ, vel rationes, vel authoritates humanæ tanti in hoc argumento, ut talibus auſpiciis *rem*, ut inquit Poeta, *factam* habeamus. Adde, conjecturas conjecturis, rationes rationibus opponi, & Chronologos eruditiſſimos etiam inter ſe ſuper hoc argumento calidè confligere, & alios aliorum demonſtrationes evertere. Si authoritatem divinam conſulamus, in quâ ſolâ tutò conquieſcere licet, nec tum rem confectam habebimus, quum illa characteres natalis Chriſti communes tantum proponat, non ſingulares, & indefinitos potius quàm definitos, qui tempus quidem natalitium aliquatenus circumſcribunt, annum verò præciſè nuſquam deſignant. Mihi quidem tres tãtùm exſtare videntur in Hiſtoriâ Evangelicâ, ex quibus judicari poſſit de tempore natalitio, quorũ unus apud Matthæum legitur, duo apud Lucam. I. Character *primus* eſt in notatione regni Herodis, ſub quo Chriſtum natum ſcribit *Matthæus*, II. I. II. *Secundus* character exſtat *Lucæ* II. I. 2. 6. 7. Chriſtum natum imperante Auguſto, deſcriptione totius orbis inſtitutâ Cyrenio Syriæ præſide. III. *Tertius* character legitur *Luc.* III. I. & 23. ubi annus Chriſti XXX. videtur connecti cum XV. anno Tiberii. Si jam demonſtretur, nullum ex characteribus illis præciſam anni natalitii deſignationem proponere, ſed communem tantùm & indefinitã, nec dentur certiores alii in Scripturâ; quid reſtabit, niſi ut dicamus, Spiritum S. nos jubere hîc *ἐπέχειν*, nec definiendum eſſe cum periculo, quod ſine periculo ignorari poteſt. Characteres verò illos omnes communes eſſe & indefi-

nitos,tam clarum,Deo favente, faciemus, quàm ſolis radii eſſe, quum ſudum eſt, ſolent, in Examine illorum, quibus totidem Dubia diſquiſitione digna deſtinabimus, eaque ad veritatis & Lectoris compendium ſigillatim exequemur. Conſtabit inde, primum characterem docere quidem συνδρομὴν regni Herodis cum natali Chriſti, quo verò anno regni Herodis præciſè Chriſtus fuerit natus, ubi etiam figendum ſit principium regni Herodiani,ubi finis,id verò non docere. Sic patebit, de cenſu ſub Cyrenio acto litem eſſe ingentem, dubia varia, ſententias multiplices,deciſiones ancipites,& tempus indefinitum. Oſtendetur quinetiam, XV. Tiberii nec neceſſariò connecti cum XXX. Chriſti anno,nec triceſimum illum ſine latitudine proponi. His expenſis liquebit, Scripturæ S. declarationem ſuper hoc argumento ubique laxam eſſe & indefinitam, & id tantùm docere, Chriſtum natum eſſe ἐν ἡμέραις Ἡρώδου,tempore ὑπογραφῆς τῆς πρώτης, imperante Auguſto, & Syriæ Præſide Cyrenio. Et iſta quidem ſufficere judicavit Spiritus S. & ad veritatis cognitionem, & ad fidei Chriſtianæ integritatem, & ad ἀσφάλειαν Eccleſiæ Chriſtianæ,& ad ἔλεγχον τῶν ἔξωθεν.Si quis hîc urgeat deſignationem ſpecialem anni natalitii, præ omnibus characteribus in S. Scripturâ notatis,propius ad illam accedi poſſe cenſemus ex obſervatione anni emortualis Herodis,prout enim demonſtratum fuerit,ocyus vel ſerius illum obiiſſe,ocyus etiam vel ſerius Chriſti natalis figendus erit. De quo quidem Dubio ſequente diſpiciemus, quum hoc definiri non poſſit, quin ante periodus tota regni Herodiani definita fuerit.Id intereà obſervandum,quum Scriptura Sacra hîc indefinitè loquatur, mirum non eſſe, ſi anni unius vel alterius προχρονισμὸς vel μεταχρονισμὸς in argumento obſcuro nec præciſè definito à Chronologis peccetur. Privatorum alia ratio, alia Eccleſiæ Romanæ quæ ſe judicem omnium ἀνυπεύθυνον profitetur, adeoque authoritatem ſuam interponere debet. Ob id verò ſententias varias ſuis fundamentis inſtructas propoſuimus, ut optio libera eſſet Lectori in quamcunque partem ſe vertendi. Nec hîc ob opinionum diſſenſum cum ullo expoſtulandum, modò ille ſe contineat intra fines illos, quibus nos Spiritus S. circunſcriptos voluit, & in collatione Epocharum exoticarum illi anni inter ſe connectantur qui ſibi invicem reſpondent.Subtiliora hîc & magis præciſa proponi poſſunt,demonſtra-

monstrari non item. Nec sapientis est exigere, quæ nec peti debent, nec præstari possunt. Vt enim illa non definire quæ Scriptura sacra definit, stolidum est & iniquum; sic cum imperio definire quæ Spiritus S. non definit, non temerarium duntaxat, sed & impium. Tametsi verò ex collatione Iosephi cum Historiâ Romanâ super periodo regni Herodis propiùs accedi possit ad natalem Christi designandum, tamen argumenta illa omnia topica potiùs sunt quàm apodictica, quæ assensum quidem à Lectore impetrare possunt, extorquere non item. Duo verò tantùm solidè ex Historiâ Evágelicâ haberi possunt. I. *Negativè*, quando non natus fuerit Christus, videlicet nec ante regnũ Herodis Magni vulgò, vel Ascalonitæ, nec ante imperium Augusti, nec post. II. *Positivè*, natalem Christi incidere in vltima Herodis tempora, cùm post mortem Herodis Christus redux ex Ægypto adhuc ut παιδίον describatur *Matth.* II. 20. quæ vox apud Evangelistas plerunque de ætate tenerâ admodum usurpatur, quamvis interdum etiam laxiùs accipiatur, maximè apud LXX. Interpretes, ut & voces cognatæ aliæ, de quibus quædam annotavimus ad *Dubium* II. Adde, Herodis mortem immediatè subnecti velut θεήλατον, & non diu dilatam post insidias Christo structas, & crudelitatem in infantes Bethleemitanos exercitam. Cæterum observatu dignum, sacrorum Scriptorum Evangelicæ Historiæ manum, non sine singulari Dei providentia, ita directam fuisse, ut communibus tantùm characteribus consignarint tempus natalitium, quò constaret, nec fidei, nec salutis cardinem in scrupulosâ temporum supputatione verti: imò vt in illis ipsis characteribus, quos Sacri Scriptores habent, admirandam veteris & noui Testamenti harmoniam contemplaremur, & sic quasi manu duceremur ad solidum divinarum promissionum complementum. Cujus verò characteris meminit Spiritus S. in veteri Testamento in designando tēpore ἐπιφανείας illius salutaris: Occasus Sceptri Iudaici, & αὐτονομίας Iudaicæ, venturum Messiam everso penè Iudæorum regno, & quidem è trunco arido Isaï, radicibus ejus ferè succisis, sine designatione speciali & præcisâ temporis, quo ille exhibendus foret. Factum id dubio procul, præter causas alias, ut uno anno latente obseruarentur omnes. Idem in Novo Testamento præstitum. Indicatur tempus exhibiti Messiæ, sed cum latitudi-

ne aliquâ, & quidem ejusmodi characteribus insignitum, qui respondent directè vaticiniis Propheticis, & prolixam illis fidem faciunt. Huc facit & designatio regni Herodis, & mentio census exacti in Iudæâ à præside Romano, imperante Augusto: & notatio Imperii Tiberiani. Quæ omnia disertè indicant sceptrum à Iudâ jam tum fuisse ablatum, vaticiniorum periodum exactam, & πλήρωμα illud χρόνου, quo aduentus Messiæ iam olim divinitùs circumscriptus fuerat, exhibitum. Quæ collatio simul & harmonia styli & Prophetici & Evangelici suavis admodùm est & jucunda homini Christiano. Nec verò ob id periclitatur fides Historiæ Evangelicæ, quod annum natalitium præcisè non designet, ut nec aliarum id genus Historiarum, quarum calculus exactè subduci nequit. Duo enim rerum genera sunt, de quarum tempore quæri potest: Vel enim τὸ ὅτι illarum certum est & notum inter litigantes, vel incertum & dubium. Si de priori rerum genere agatur, & quæstio *An sit*, velut in confesso apud omnes, præsupponatur, determinatio temporis ignorari potest sine dispendio veritatis: Sin de posteriori, sanè circumstantiarum ignoratio in causæ, de quâ agitur, præiudicium trahi potest, & illi qui affirmatiuam tuentur, ob hypothesin suam, ostendere tenentur, quando hoc vel illud vel fuerit, vel factum fuerit, quod vel extitisse, vel factum fuisse supponunt. Vbi tamen notanda cautio, id valere in rebus quæ *esse permanens*, seu *existentiam*, ut loquuntur barbari in scholis, *simultaneam* habent, non fluxam & *in fieri*. Quâ de re eruditè disputat CL. *Vedelius*, Comment. de temp. vtriusque Episcopatus Petri, *lib.* 1. Sic v.g. Pontificiis reddenda ratio temporis Episcopatus Petri, quia de quæstione *An sit* controvertitur inter litigantes. Idem verò in argumento, de quo agimus, locum non habet, cum nemo inter Christianos dubitet, Christum Servatorem & natum & mortuum esse, tametsi de περιστάσει temporis natalitii & emortualis disputatum jam olim fuerit, hodiéque adhuc disputetur. Nec vel Iudæi ipsi diffitentur, Iesum Nazarenum vixisse in gente suâ, tametsi, ut suprà demonstratum, in tempore illo definiendo graviter hallucinentur. Exoticis quinetiam Paganorum Scriptorum testimoniis constat, Christum natum Augusto imperante.

Sufficere ergo meritò potest & debet Christianis designa tio

tio temporis natalitij, qualem S.Scriptura exhibet. Vlterior & ſpecialior quæri potiùs quàm definiri poteſt, & ſiquidem definiatur, humanâ potiùs, quàm divinâ authoritate definitur, quod in examine Dubiorum ſequentium nobis demonſtrandum. Hoc tamen liberè profiteor, ſi Ioſephi authoritate res decidenda foret, iis, quæ de annis Herodis, & Archelai ac Philippi ſucceſſorum ejus, ab illo conſignantur, ſtudioſè expenſis, & cum Dione ac Scriptoribus aliis Romanis collatis, maximè probabile mihi videri, Chriſtum natum ante XLIII. Iulianum, ut patebit ex Examine *Dubii* II. adeóque Æram Dionyſianam, quâ hodie vtimur, *μεταχρονισμῷ* triennii ad minimum peccare. Vtrum autem XLII. Iuliano an XLI. natus fuerit Servator noſter, illud verò nullis indiciis ſolidis ex Hiſtoriâ veteri erui poſſe, adeóque non inter *δύσπορα* tantùm, ſed *ἄπορα* prorſus referendum cenſeo, donec alia producantur monumenta antiquitatis, ignorata hactenus, quæ lucem inferant his tenebris, & cogant *τὸν πεττὸν ἀναθέσθαι*. Interea primam iſtam Diatribam claudimus veriſſimo & æquiſſimo Summi Viri *Ioſephi Scaligeri* dicto: *Infinita res, Epochæ & internalla temporum: ſed in quâ materiâ nulla juſtior venia ſit: Siquidem nullius eſt, vt omnia noſſe, ſic omnia literis complecti.* Prolixitatem & argumenti difficultas, & ſententiarum varietas ingens, & peculiaris Diſſertationis hujus methodus æquo Lectori, ut ſpero, excuſabunt. Siquidem etiam olim Cenſorino licuit, pleráſque gentium Epochas ſuper Natali Q. Cærellii ſui anxio & ſtudio & labore congerere, nemo Chriſtianus ægrè feret, ſi de tempore natalitio illius paulò fuſiùs à nobis actum fuerit, cujus natalis noſter natalis eſt, & *τὸ πᾶν* Eccleſiæ Chriſtianæ.

DVBIVM II.

De tempore Herodis, ac periodo regni Herodiani, *Matth.* II.1. & An ex illo charactere certa anni natalitii Chriſti deſignatio haberi poſsit?

EXAMEN.

Hiſtoria Herodis intricata. Conflictus Chronologorum. Scriptorum de Herode duo genera. Sacrorum deſcriptio indefinita: Profanorum incerta & perplexa. Ioſephi *commendatio. Duo hîc notanda. I. Periodus regni Herodis. II. Inveſtigatio anni certi Herodis concurrentis cum Natali Chriſti. Periodi regni Herodis ſpectanda, initium, duratio, finis. Diſſenſus Authorum circa initium. Epocha ejus duplex apud Ioſephum. Pericope Hiſtoriæ Herodianæ, & ejus connexio cum Hiſtoriâ Romanâ. Characteres Epochæ primæ apud Ioſephum. Difficultas in Characteribus illis. Solutio duplex.* Ὑποφορά. Ἀνθυποφορά. *Connexio prioris Epochæ Ioſephi cum Epochis aliis. Epocha poſterior regni Herodis. Geſta inter primam & ſecundam Epocham. Aſſamonæorum periodus. Characteres Epochæ poſterioris apud Ioſephum. Connexio ejus cum Epochis aliis.* Dionis *character Conſularis vitioſus, Ioſephi probus. Cauſa. Conciliatio* ἐναντιοφανῶν *in Ioſepho.* Petavij *intempeſtiva in Ioſe-*

Iosepho correctio. Epochæ falsæ initii regni Herodiani. Eusebij *error. Demonstratio.* ἀντιχρονισμοὶ *alij Eusebii. Insigne mendum in* Petavio. Cyrilli Hierosolymitani *hallucinatio duplex.* Epiphanii *in initio Herodis* μεταχρονισμὸς. *Hallucinatio alia ejusdē.* Sulpitii Severi *error duplex.* Bedæ *error.* Προχρονισμὸς Onuphrii Panuinii. *Nova initii Herodiani Epocha à* Baronio *conficta. Causa speciosa. Rationes Baronii. Confutatio Epochæ Baronianæ. Hypothesis alia Baroniana falsa. Solutio rationum Baronii. Nodus difficilis super conciliatione calculi Iosephi cum S. Scripturâ. Solutiones quorundam. Confutatio. Obseruatio subtilis* Sethi Calvisii. *Solutio* Iosephi Scaligeri. *Difficultates utriúsque.* Augustini Tornielli *solutio. Examen. Solutio prior probabilis nodi propositi. Emendatio mendi in Iosepho. Solutio posterior.* Ἔνστασις *alia pro Baronio. Responsio. Termini ætatum varij, & diversa earum* χρῆσις. *Vis & usus vocum* νέος, νεανίας, νεανίσκος, νεότης, κομιδῆ ἢ παντάπασι νέος, *apud Iosephum & Authores alios Græcos. Quid* Adolescentulus *apud Ciceronem? Observationes eruditæ* Casauboni. *Illustratio locorum* Marc. XIV. 51. Act. VIII. 58. 1. Tim. IV. 12. *Vis vocum* נער ילד παιδίον, παιδάριον. *Hallucinatio* Petavii, *& contradictio. Duratio regni Herodiani. Contextura reliqua Historiæ Herodis. Varietas*

Authorum circa annum emortualem Herodis. Eusebii *sententia. Confutatio.* Scaligeri παρόραμα. Epiphanii, Nicephori & Genebrardi *error super eodem argumento. Hallucinatio Authoris* Novæ Veræque Chronologiæ. Baronii *calculus absurdus.* Ἄτοπα *sententiæ Baronianæ. Conciliatio* ἀντιλογίας *apparentis in Iosepho.* Sulpitii Severi *error.* Annii *commentum.* Scaligeri & Calvisii *opinio. Examen.* Suslygæ *calculus. Confutatio.* Keppleri *sententia. Iudicium de illa.* Petavii *inconstantia. Conflictus Authorum super* συνδρομῇ *anni certi Herodis cum Natali Christi.* Pererii *iudicium. Conclusio &* ἐπίκρισις *Authoris.*

I. VOD Socrates olim de quodam Heracliti libro pronuntiasse fertur, *Delio natatore* opus esse, ne quis in eo præfocetur; id jure aptari potest Historiæ Herodis vulgò Ascalonitæ, vel Magni, qualem quidem nobis Scriptores prisci exhibent, *Iosephus, Eusebius, Dio, Appianus*, aliíque inter Veteres, qui illorum vestigia pressêre, & Acta Herodis litteris prodidêre. Eruditissimi sanè nostræ ætatis Chronologi acriter super hoc argumento inter se confligunt, & *Gamma Betam, Beta Gammam persequitur.* Docent id velitationes *Ios. Scaligeri, Baronii, Calvisii, Casauboni, Montacutii, Suslygæ, Keppleri, Tornielli, Petavii*, & aliorum id genus virorum celeberrimorum, qui in hanc curam sedulò incubuerunt, ut tempora Herodiana nobis clara essent & liquida. Hoc vnum verò ex illorum conflictu & lucubrationibus certum, incerta admodum esse tempora Herodis, adeóque incertam ex iis anni natalitii designationem, quod nobis demonstrandum.

II. Cum verò duo sint Scriptorum genera, à quibus rerum gesta-

gestarum fides peti possit, divini quidam & αὐτόπτοι, humani alii, adeóque humanis affectibus obnoxii, de utroque genere dispiciendum: sed cum discrimine, prioribus enim debetur fides, posterioribus judicium, illorum relatio certa & indubitata quà talis, istorum non item, nisi quà probata. Si excutiamus Scriptores divinos; reperiemus, Matthæum quidem & Lucam meminisse regni Herodiani *Matth.* 11. 1. *Luc.* 1. 5. Matthæum etiam mortis 11. 19. Sed neutrum ex illis vel tempus figere, vel annum definire, vel alium aliquem characterem addere, ex cujus collatione solidum de anno emortuali Herodis judicium fieri possit. Reliquum itaque, ut ad secundum Scriptorum genus confugiamus, sed cum examine & judicio, ob conflictus crebros, & ἀντιλογίας varias. Inter omnes verò, qui Historiam Herodianam attigerunt, palma debetur citra controversiam *Flavio Iosepho*, homini quidem Iudæo, Historico tamen eximio, & raræ tum diligentiæ, tum fidei, & cui major adhuc æstimatio deberetur, siquidem temporum & librariorum iniuriis minus obnoxius fuisset, & purus ac integer ad manus nostras pervenisset.

Duo verò Historiam Herodianam quoad institutum nostrum absolvunt. I. Consideratio periodi integræ regni Herodis. II. Designatio anni Herodis, quo Christus natus. Prior spectari potest 1. ratione *initii*. 2. ratione *durationis*. 3. ratione *finis*.

III. *De initio* Regni Herodiani lis magna est inter Scriptores & veteres & recentes. Neque enim v. g. Eusebio vel Epiphanio convenit cum Iosepho, vel Baronio & Novæ Chronologiæ Authori cum Chronologis aliis, ut qui aliam prorsus regni Herodis supputationem instituunt, & in diversa abeunt. Cum verò rectum sui simul index sit & obliqui, primò ex Iosepho veram illius Epocham constituemus, postmodum erroneas & designabimus, & euertemus. *Epocham* quidem regni Herodis Iosephus notat *duplicem*, utramque verissimam, *priorem* ab Herodis ad fastigium Regium sublimatione, *posteriorem* ab ejusdem & occupatione & administratione, post Hierosolymę expugnationem, & Antigoni cædem. Quod ut ex fundamento intelligi possit, pauca quædam nobis ex Historiâ Herodis à Iosepho prolixè descriptâ sunt delibanda, & cum Historiâ Romanâ connectenda.

IV. Bellum civile inter Cæsarem & Pompeium exortum, Cęsare in Macedoniā trajiciente, excepit decretoria illa pugna in campis Pharsalicis depugnata Olymp. CLXXXIII. anno primo V.C. Capitolino DCCV. Varroniano DCCVI. Coss. C. Iulio Cæsare II. & P. Servilio Vatiâ Isaurico. Pompeius ingenti clade affectus in Ægypto receptum quærit, fiducia amicitiæ quæ illi cum patre Ptolemæi Dionysii, tum rerum ibi potientis, intercesserat. Sed prævaluit Cæsaris metus, unde infelix Pompeius, de consilio curatorum regni, & Theodoti Rhetoris, qui Regi juveni ab institutione erat, per insidias & petitur, & tollitur. Cæsar tamen perfidiam & flagitium detestatus, Theodotum in crucem egit, Cassius quoque in percussores ejus severè animadvertit. Alexandrinis verò ob id tumultuantibus, & Ptolemæo lecto exercitu se opponente Cæsari, pugnâ nauali denuò de summa rei dimicatur: sed Ptolemæi cadaver, loricæ aureæ indicio agnitum, & è Nilo flumine erutum, integram Cæsari victoriam, Alexandrinis deditionis necessitatem, Cleopatræ verò sorori Ptolemæi, cum quâ stupri consuetudinem Cæsar habuisse fertur, Ægypti imperium peperit. In quo bello Antipater Herodis pater, qui exstincto Pompeio se in clientelam Cęsaris dederat, strenuam & utilem illi operam navavit, subsidiario milite in Iudæa lecto, Mithridate sublevato, Pelusio expugnato, Arabum primoribus, Iudæis, Ægyptiis, ac vicinis Syriæ Regulis in partes Cæsaris pertractis, & Ægyptiorum copiis fusis. Cujus officii memor Cæsar, cum confecto bello Alexandrino in Pharnacē Bosphori Regem exercitum duceret per Syriam, Iudęam transiens Antipatrum civitate Romanâ, immunitate, & Dynastiâ aliquâ in Iudæâ, cujus ipse optionem haberet, donat, eum Iudææ procuratorem constituit, & Hyrcano Sacerdotium confirmat, rejectis Antigoni Aristobuli filii contra utrúmque criminationibus. Legatis Romam missis, dignitates illæ SC. utrique confirmantur, & mœniorum Hierosolymitanorum à Pompeio eversorum instauratio permittitur. Antipater hâc potestate impetratâ, Cæsare in Syriam deducto, mœnia instaurat, Spiritus ferocientes Iudæorum partim minis, partim arte compescit, Hyrcaníque segnitie in rem suam versâ, Phasaëlum filium natu majorem Hierosolymis & vicinę regioni præficit, Herodi filio secundo juveni quidem, sed strenuo & acri Galilææ cura-

curationem committit. Factum id Olympiadis CLXXXIII. tertio, V.C. Varroniano DCCVIII. ante Æram Dionysianam XLVI. Cyclo Solis XX. Lunæ XIII.

Herodes rebus gerendis admotus, Ezechiæ latronis primipili*, & sociorum excursationibus materiam virtutis sibi objectam ratus, arma in illos expedit, & iisdem cæsis Syriam latrociniis liberat, sibi nomen ac famam, & Syrorum gratiam comparat. Hoc facinere Sexto Cæsari Syriam tum administranti innotescit. Phasaelus fratris gloriâ excitatus, & ipse Hierosolymitanos omni studio demeretur, & moderatæ potestatis usu apud omnes se gratiosum reddit. Spes filiorum surgentes magnam quidem Antipatro authoritatem, sed & invidiam apud æmulos, Hyrcani in speciem studiosos, conciliant. Quanvis verò ille in Hyrcani fide & obsequio constanter perstaret, Optimates tamen Iudæorum, sive crescentem Antipatri potentiam, sive sævum Herodis ingenium pertimescentes, criminationibus variis Hyrcani animum in Herodem exasperant, ita ut illi dies diceretur, in speciem, ob latrones indictâ causâ & privatâ authoritate cæsos, reverâ, ob invidendum Herodianæ potentiæ incrementum. Sistit se Herodes judicio, sed ab Antipatro monitus, non sine lectâ militum manu, & literis Sexti Cæsaris Syriæ Præsidis ad Hyrcanum, ut Herodem à criminationibus falsis, & per invidiam impactis absolveret. Scribentis potentia & minæ pro imperio erant. Accedebat prolixa Hyrcani erga Herodem benevolentia. Exasperatis verò judicibus masculâ & vatidicâ Sameæ oratione, Hyrcanus judicium in diem sequentem differt, & Herodi fugam suadet. Paret ille, & secedit Damascum ad Sextum. Nova ibi dignitate à Sexto auctus, & Cœlesyriæ præfecturâ donatus, non judicibus tantùm suis, sed & Hyrcano sui terrorem exprimit, & vindictæ cupiditate ardens Hierosolymam cum lectis cohortibus movet, Hyrcani dignitati æquè ac Iudicum sibi infestorum vitæ imminens; sed Antipatri patris, ac Phasaelis fratris alloquio & deprecationibus mitigatus, vindictâ dilatâ pedem refert in Galilæam. Factum id adhuc Olympiadis CLXXXIII. anno tertio, Coss. Iul. Cæsare III. & M. Æmilio Lepido.

Iulius Cæsar intereà, bello Hispanico feliciter confecto, & filiis ac copiis Pompeianis fusis, summum Imperium, & Di-

ctaturam perpetuam Senatui extorquet. Nec tamen adhuc à Pompeianis cessatum, inter quos Cæcilius Bassus, Sexto Cæsare Syriæ præfecto dolo circumvento, Syriam vnà cum legionibus Romanis occupat. Restituunt exercitum Cæsariani, cum quibus socia arma jungunt in Cæsaris gratiam Antipater, & filii Phasaelus & Herodes. Ancipiti eventu diu pugnatur. Cæsar pòst à Cassio & Bruto, & conjuratis reliquis viginti tribus vulneribus confossus occumbit. Cassius in Syriam cum potestate missus, oppositos Marci successoris Sexti & Bassi exercitus sibi conciliat, & Iudæam septingentis talentis mulctat. Antipater Iudææ Procurator necessitati obsecundandum ratus, ad demerendam Cassii gratiam, pecuniam per filios & Malichum quendam summâ cum festinatione cogit: Herodes primus centum talenta Galilææ imperata expedit, & summam apud Cassium gratiam init. Malichus cunctator, centum talentis ex ærario Hyrcani persolutis, iræ Cassii simul ac pœnæ, Antipatri operâ, subductus servatur. Nec tamen homo ingratus hoc beneficio delinitur, sed insano livore correptus benefactori suo insidias struit: earum tamen suspicionem, Antipatri & filiorum potentiam veritus, simulatione amicitiæ amolitur, & ab eodem Antipatro denuò seruatur, cum molitionū novarum apud Marcum Syriæ Præsidem insimulatus ad supplicium posceretur. Audito verò rumore de bello ab Octauio & Antonio in Macedonia contra Brutum deliberato, Cassius copias suas conjuncturus cum Bruto, & è Syria excessurus, Herodem, hominem rebus gerendis aptum, totius Cœlesyriæ, & copiarum equestrium simul ac pedestrium Ducem constituit, &, spe de regno Iudaico injectâ, arctè sibi obstringit. Crescens hæc Herodis potentia furorem Malichi ita inflammat, ut non conquiesceret, donec Antipatro sublato ad Herodem tollendum gradum sibi strueret. Tentatum id veneno, & cum successu, Antipatro apud Hyrcanum epulante, pincernâ pecuniâ corrupto, cujus perfidiâ Antipater toxicum inter pocula haurit, & è convivio ferali & sontico non exit, sed effertur. Herodes à Cassio monitus, ne patris cædem inultam relinqueret, consilio dissimulato, Malicho se purganti in speciem assentitur, & ultionem differt, tantisper dum, occasione oblatâ, apud Tyrios parricidam Cassii militibus trucidandum objicit. Post Felicem Malichi fratrem

fratrem profligat, mox Antigonum Ariſtobuli filium res novas Tyriorum & Ptolemæi Mennæi ope molientem, fundit. Victor & redux cum ſummo omnium applauſu excipitur, & Mariamne Hyrcani ex filiâ Alexandrâ neptis, ſed comperendinatis nuptiis, ei deſpondetur, quamvis jam ante Doræ, ex qua ſuſceperat Antipatrum, conjuncto.

Bruto verò & Caſſio Philippenſi clade attritis ab Octavio & Antonio, & ſibi ipſis necem conſciſcentibus, Antonius victor in Syriam profectus, Bithyniæ legationes gentium plurimarum obvias habet, Iudæorum etiam, qui eum variis criminationibus in fratres Phaſaelum & Herodem, tanquam regnum invaderent, & Hyrcano nomen, ſibi verò imperium omne vindicarent, armare ſatagunt. Herodes tamen ſive virtutis ſpecie, ſive auro gratiam Antonii occupat, & omnem accuſatorum impetum eludit. Antonius Epheſum progreſſus, & à Iudæis coronæ aureæ munere placatus, Iudæos à Caſſio ſervituti addictos libertati, & agros illis ademptos priſtinis poſſeſſoribus publico edicto reſtituit. Antonio poſtmodum in Ciliciâ Cleopatræ amoribus irretito, Herodes denuò à centum Iudæorum primoribus accuſatur, verùm ab Hyrcano ipſo Antonio commendatus non tantùm abſolvitur, ſed & cum Phaſaelo fratre Tetrarcha renunciatur. Iudæorum legati Tyrum denuo reverſi, ſuæ in Herode inſectando pertinaciæ pœnas luunt, vinculis primò, poſt militum furori ab Antonio pecunia corrupto objecti, & Tyrii de Herode & fratre juvandis mandata accipiunt.

Nec tamen tantis Herodis ſucceſſibus Antigonus Ariſtobuli filius ab inſtituto dimovetur, ſed denuò ad exſcindendam cum Hyrcano Antipatri familiam ſibi viam facit. Parthis enim talenta mille & quingentas mulieres pollicitus, ſiquidem eorum copiis in regnum reſtitueretur, Hieroſolymam movet. Iudæorum multi Antigoni partes ſequuntur, Hyrcanus & Phaſaelus, legationis ſpecie, in inſidias præcipitant & vincula, Pacori & Barzapharnis perfidiâ. Herodes calamitate fratris auditâ, fugâ ſe proripit Hieroſolymâ cum pignoribus ſuis, ac militum fidiſſimis, & morâ objectâ, mœrore in deſperationem verſo, gladium in ſe ipſum ſtringit, ne vivus hoſtium ludibriis & crudelitati obnoxius fieret: Sed ab adſtantibus virtutis & ſuorum

admonitus, inter pugnas varias cum ſucceſſu depugnatas, Maſadam arcem petit, ibíque depoſitis neceſſitudinibus ſuis, & loco milite firmato, ipſe in Arabiam concedit. Parthi reducunt Antigonum, Hyrcanus & Phaſaelus deduntur vincti Antigono. Factum id videtur Iuliano V. circa Pentecoſten, Coſſ. P. Servilio Iſaurico II. & L. Antonio Olympiadis CLXXXIII. finiente, Cyclo Solis XXV. Lunæ XVIII. Lit. E D. Antigonus, ne Iudæi, gens novandi cupida, Hyrcano ſacerdotium denuò reſtituerent, eum auribus truncat, adeóque & ſpe omni ejus vnquam adeundi. Phaſaelus, cum ſe morti deſtinatum comperiſſet, & aliter ob vincula non poſſet, capite ad parietem alliſo voluntariam ſibi mortem conſciſcit. Herodes, poſtquam ſummâ cum trepidatione ægrè ſe periculo ſubduxiſſet, Malcho Arabum Rege, homine ſibi obnoxio, fruſtrà tentato, uxoribus & liberis ſub Ioſephi fratris cuſtodiâ in caſtro Maſadâ, quod munitiſſimum habebat, relictis, in Ægyptum ad Cleopatram, indéque Romam, adverſo licet anni ſidere, tendit. Gravi verò tempeſtate conflictatus, ſarcinarum etiam diſpendio, ægrè periculo ſubductus, Rhodum appellit, & inſtauratâ ibi, amicorum operâ, triremi Brunduſium defertur, & Brũduſio Romam, ubi Antonii opem implorat, & illi Parthorum victorias, Antigoni reſtitutionem, Hyrcani vincula, Phaſaeli obitum, & charitatum ſuarum diſcrimen exponit, nihílque ſibi præter ſpem in illius patrocinio repoſitam profitetur, ad quem ſolum per medias tempeſtates itinere perículoſiſſimo confugiſſet. Antonius Antigoni odio, Parthorum metu, commiſeratione calamitatis amici veteris, ſpe belli Parthici ipſius ope feliciter conficiendi, & precibus ac promiſſis ejus expugnatus operam illi omnem prolixè pollicetur, & reipsâ pręſtat. Octauius quin etiam, memor operæ Iulio Cæſari nauatæ in bello Ægyptiaco ab Antipatro Herodis patre, calamitati Herodis, in Antonii etiã gratiam, favet. Antonii itaque commendatione, & Octavii aſſenſu, commemoratis Antipatri patris & filiorum in rem Romanam ſtudiis ac officiis, Parthorum ſimul & Antigoni audaciâ, qui contemptis Romanis barbarorum armis regnum invaſiſſet, Herodes regno Iudaico S.C. donatur, & inter Octavium & Antonium medius in Capitolium aſcendit, apud Antonium convivatur, & inſperatâ felicitate ac dignitate auctus, poſt ſeptidui moram in Syriam redit,

redit, ut, Antigono regno dejecto, & injuriam ulcisceretur, & regnum sibi collatum adiret.

V. Ab istâ Herodis ad fastigium regium promotione ducenda est prima Regni Herodiani Epocha. Incidit verò illa, si Iosephi characteribus hæreamus, in Consulatum secundum Cn. Domitii Calvini, & C. Asinii Pollionis, & Olympiadem CLXXXIV. Vtroque enim hoc charactere signatur disertè à Iosepho Antiq. Iud. lib. XIV. cap. XXVI. καὶ ὁ μὲν οὕτως τὴν βασιλείαν παραλαμβάνει, τυχὼν αὐτῆς ἐπὶ τῆς ρʹ καὶ πʹ καὶ δʹ ὀλυμπιάδος, ὑπατεύοντος Γαΐου Δομετίου Καλβίνου τὸ δεύτερον, καὶ Γαΐου Ασινίου Πωλίωνος. Si Fastos consulamus, in his ipsis Iosephi characteribus nodum non vulgarem reperiemus, Consulatus enim secundus Domitii Calvini, & Asinii Pollionis non incidit in Olympiadem CLXXXIV. sed in Olympiadis sequentis CLXXXV. annum primum, Iulianum VI. V.C. Catonianum, vel Capitolinum DCCXIII. Varronianum DCCXIV. Priorem sequitur *Sigonius*, posteriorem *Onuphrius* in Fastis. Peccatum hic, secundum quosdam, vel à Iosepho, vel in Iosepho à Librariis, & posita Olympias CLXXXIV. pro CLXXXV. Habita tamen ratione principii Olympiadum, quod, ut notum, incidit in mediam æstatem, dici potest, Consulatum illum concurrere cum fine anni quarti Olympiadis CLXXXIV. & principio anni primi Olympiadis CLXXXV. Sic Iosepho bene côueniet cum Scriptoribus aliis. Et sanè multi colligunt ex Iosepho, Herodi dignitatem illam collatam fuisse demum sub ultimos menses Olympiadis CLXXXIV. eò quod hyberno sidere (χειμῶνός τε ὄντος cap. XXV.) Alexandriâ solvisse, & in Insula Rhodo ad triremis exstructionem moram fecisse legatur, adeoque nonnisi vere jam adulto Romam appellere potuerit. Quanvis non dissimulandû, verba illa Iosephi, [χειμῶνός τε ὄντος] ab aliis non ad anni, sed ad cœli tempestatem referri: parum tamen verisimile videtur, Herodem se mediis tempestatibus mari commissurum fuisse, potiùs ergo ad anni tempestatem id referendum videtur. *Aug. Torniellus* ad annum ab V.C. 4014. id ipsum vult contigisse circa finem anni primi Olympiadis CLXXXV. sed fundamento parum solido, & conjecturâ potius quàm demonstratione, vt infrà videbitur. Imò, cum Iosephus non certi anni Olympiadici, sed Olympiadis indefinitè meminerit, si cum rigore verba illius urgeantur, primus illius annus,

quamvis prӕter rem & Iosephi mentē, de more Scriptorū intelligendus foret, non quartus & finiens. Sive ergo, quod quidā volunt, vel à Iosepho, vel in Iosepho ab aliis peccatum, & pro Olympiade illa CLXXXIV. substituenda Olympias CLXXXV. Charactere indefinito Olympiadico correcto ex charactere definito Consulari, quem disertè notat Iosephus: sive ultimi menses Olympiadis CLXXXIV. intelligantur, character Olympiadicus & Consularis sibi bene respondebunt, & primus Herodis annus concurret maximâ sui parte cum primo Olympiadis CLXXXV. Figamus ergo primam Regni Herodiani Epocham Coss. Cn. Domitio Calvino II. & C. Asinio Pollione, Olympiadis CLXXXV. primo, qui connectitur cum per. Iul. 4674. Mundi 3910. V.C. Capitol. DCCXIII. & in Fastis apud Sigonium, Varron. DCCXIV. & secundum Dionem & Onuphrium. Nabonass. DCCVIII. secundum alios DCCIX. Iuliano VI. Augustali à cӕde Cӕs. IV. à primo Consul. Octavii III. Cycl. Solis XXVI. Lun. XIX. lit. C.

VI. Datur verò & secunda alia regni Herodiani Epocha apud Iosephum. Neque enim Herodes illo ipso anno, quo Rex salutatus à Romanis, in plenam regni possessionem immitti potuit, sed triennium ferè cum Parthorum & Antigoni armis colluctari necesse habuit. Historia apud Iosephum in pauca contracta talis est. Herode in Italiam concedente, Antigonus Masadam castrum, ubi Herodis pignora & preciosissima, omni conatu oppugnat, obsessos aquâ intercludit, Iosephum Herodis fratrem ad desperationem ferè, & consilium de fugâ ad Arabâs capessendâ cogit. Repentino verò imbre dejecto, & cisternis repletis, mutat ille institutum, & conatibus Antigoni virtutem opponit & constantiam, donec sub Herodis reditum ex Italia, Antigonianorum impetu represso, periculo eriperetur. Herodes in Syriam reversus omni ope annititur, ut diademate sibi delato potiretur. Paulò ante reditum Herodis P. Ventidius, Dux Romanus, Parthis è Syria pulsis, moverat in Iudӕam, in speciem, ut Iosepho periclitanti & ab Antigono obsesso opem ferret, reverâ, ut aurum, cujus sitientissimus erat, extorqueret Antigono. Morbo hominis agnito, Antigonus, Romanorum impetum facile à se amolitur. Ventidius, prӕdâ extortâ, Hierosolymis, quò castra promouerat, discedit, & Silone cum quibusdam copiis,

piis,ne fraus patesceret, in Iudæa relicto, cũ maxima exercitus parte,necessitates alias causatus,pedem refert.Silon ipse iisdem artibus expugnatus ab Antigoni oppugnatione militem cohibet, & spem Herodis frustratur. Herodes verò Ptolemaidem reversus collecto ex gente Iudaica milite, accitis etiam copiis quibusdam Ventidii & Silonis, quibus ab Antonio imperatum erat,ut SC.adeóque Herodis restitutionem exequerẽtur, exercitum instaurat. Castris per Galilæam adversus Antigonum promotis, & Ventidio in componendis Syriæ tumultibus Parthorum irruptione excitatis, occupato, Herodes Galilæa subacta, servato Silone, liberata Masada, & suis in tuto constitutis, *Hierosolymam* obsidione cingit, & populum magnificis promissis ad deditionem hortatur, sed denuò à Silone Antigonianis obnoxio impeditur: Miles enim Romanus, cõmeatus uberiores, hyberna & missionem petere, Herodes contrà obtestari, necessaria omnia non promittere tantùm,sed & præstare. Frustra verò omnia, tandem enim Hierichunte expugnata necessitati & dolo socij cedere, & copias per Idumæam, Galilæam, & Samariam in hyberna mittere cogitur. Ipse, fratre Iosepho in Idumæam misso,& matre ac familia Samariæ depositis, reliqua Antigoni præsidia è Galilæa ejicit, latronum manum reprimit, eorúmque lustra mira arte expugnat. Præfecto postmodum Ptolemæo Galilææ, & dimisso Silone ad Ventidium contra Parthos pugnantem, Samariam proficiscitur. Audita tamen Ptolemæi nece, & Galilæorum defectione,denuò in Galilæam revertitur,perduelles profligat,arces illorum evertit,& centum talentis civitates mulctat.

Ventidius, anno sequente, qui Iulianus VIII. Olympiadis CLXXXV. tertius, Claudio & Norbano Coss. Parthis fusis,Pacoro etiam cæso, & clade Crassi eadem, qua antehac illata fuerit, die,ulta,mandata noua accipit ab Antonio,de restituendo Herode. Cui rei destinat Machæram Ducem cum duabus legionibus, & mille equitibus, sed & ille pecunia ab Antigono corruptus,& postmodum ab eodem delusus, nec Herodem juuat,nec res ejus promovet, verùm in Iudæos passim sine discrimine sævit,sive illi Herodianis partibus,sive Antigonianis faverent. Herodes socia illa arma sibi gravia ratus, non hosti, ad Antonium de scelere Machæræ conquesturus contendit,sed il-

lius precibus delinitus, fratrem Iosephum ei adjungit, cum monitis, ne vel Machæram irritaret, vel res suas in discrimen adduceret. Ipse ad Antonium Samosatam tum temporis oppugnantem, cum copiis & equestribus & pedestribus, abit, aliis quoque ad Antonium ituris se Ducem præbet, in itinere cum barbaris iter ei intercludere satagentibus aliquoties feliciter confligit, & Antonio fidem suam & operam prolixè probat. Samosata postmodum expugnata, & Antonio in Ægyptum concedente, Sosius Syriæ Præfectus ad res Herodis juvandas ablegatur. Ille duabus legionibus in Iudæam præmissis, cum reliquo exercitu sequitur. Interim, Herode absente, Iosephus frater, parum memor monitorum Herodis, ne quicquam temerè moliretur, propè Hierichuntem, quò ad fruges demetendas excurrerat, fortiter quidem, infeliciter tamen pugnans ab Antigoni milite circumventus occumbit, caput Antigoni iussu præcisum, & à Pherora fratre quinquaginta talentis redemptum, conditur. Galilæa, rebus Antigoni in speciem restitutis, denuò ab Herode deficit, & partium ejus studiosi in lacum vicinum præcipitantur. Herodes auditâ fratris cæde, & Galilæorum defectione, exercitu ex Iudæis & Romanis conflato, in Galilæam revertitur, hostes fundit, urbes multas occupat, & asperrima etiam anni tempestate res jacentes & spes suorum depressas erigit. Hierichuntem progressus, triclinii cuiusdam ruinæ, è quo vix cœna finita discesserat, rarâ felicitate subducitur, cum Antigonianis pugnat, Pappum Antigoni ducem Samariam missum fundit, fratrísque Iosephi necem severè ulciscitur, & brevi post ingens vitæ discrimen adit, hostium armatorum violentiæ ipse nudus in balneo præter spem objectus, à quibus se è latebris proripientibus occidi facilè potuisset, nisi illi de suâ potius vitâ tuendâ, quàm de alienâ petendâ cogitassent. Quam primum verò per anni tempestatem licuit, anno tertio à delato Regno, qui Iulianus VIII. Hierosolymam revertitur, & eam arctâ obsidione cingit. In mediâ obsidione Samariam profectus, desponsam antehac sibi ab Hyrcano Alexandri filiam Mariamnen, Aristobuli neptem ducit. Reversus in castra, Sosio exercitum ejus magnâ militum accessione roborante, oppugnationem urget. Iudæi pertinaciam opponunt & spem, agrum vicinum vastant, Herodes commeatu aliunde proviso, &
magnis

magnis molibus excitatis, inſtat operi, machiníſque murum quatit. Obſeſſi magnâ virtute pugnant, deſperatione in fortitudinem verſâ, donec tãdem urbem, poſt acrem ſeptem menſium oppugnationem, tribus à Soſii adventu menſibus, expugnat, menſe anni ſacri tertio, eodem die menſis, quo ante annos XXVII. occupata fuerat à Pompeio, ipſa iejunii feriâ, anno Sabbathico. Ingens Iudæorum ſtrages ibi edita, & Antigonus Aſſamonæorum vel Maccabæorum poſtremus, fruſtrà Soſii genibus advolutus, & ab eodem increpitus, vinctus ad Antonium ducitur, à quo Herodes & largitionibus, & precibus impetrat, ne triumpho, cui deſtinabatur, ſervaretur, ſed virgis cæſus, & cruci illigatus ſecuri percuteretur, ὃ μηδεὶς ἄλλος, inquit *Dio* lib. XLIX. βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπεπόνθει. Factum id, ut Iudæi, gens ferox & alieni iugi impatiens, nullo Aſſamonæorum amplius ſuperſtite, Herodis imperium patientius ferrent, cum prius multi ex illis, *Strabone* referente apud Ioſephum lib. XV. Antiqu. cap. I. ne tormentis quidem expugnari poſſent, ut Herodem regio titulo dignarentur, οὐδὲ γὰρ βασανιζόμενοι, inquit, βασιλέα αὐτὸν ἀναγορεύειν ὑπέμειναν. Accedebat & cauſa alia, quam Ioſephus notat *cap.* XXVIII. *lib.* XIV. *Ant.* ne Antigonus, velut regio ſanguine natus, Romæ de regno cum Herode plebeio contenderet, & vel ſibi, vel filiis ſaltem Regnum impetraret. In hoc Antigono principatus Aſſamonæorum, poſtquam CXXVI. annis, ſecundum *Ioſephum* CXXVIII. vel CXXXIII. ſecundum alios ſtetit, inteſtinis diſſidiis collapſus, alienæ potentiæ ceſſit.

VII. Annus illc captæ Hieroſolymæ *ſecundam* nobis regni Herodiani *Epocham* ſuppeditat, quo Herodes plenam ejus poſſeſſionem adiit. Ioſephus tempus hoc ſignat charactere Conſulari & Olympiadico, *cap.* XXVIII. *lib.* XIV. *Ant.* τοῦτο τὸ πάθος, inquit, συνέβη τῇ Ἱεροσολυμιτῶν πόλει, ὑπατεύοντος ἐν Ῥώμῃ Μάρκου Ἀγρίππα, καὶ Κανιδίου Γάλλου, ἐπὶ τῆς ρπέ ὀλυμπιάδος, τῷ γ' μηνὶ, τῇ ἑορτῇ τῆς νηστείας, ὥσπερ ἐκ περιτροπῆς τῆς γενομένης ἐπὶ Πομπηίου τοῖς Ἰουδαίοις συμφορᾶς, καὶ γὰρ ὑπ' ἐκείνου τῇ αὐτῇ ἑάλωσεν ἡμέρᾳ μετὰ ἔτη κζ. Incidit ergo expugnatio Hieroſolymæ in Conſulatum M. Vipſanii Agrippæ, & L. Caninii Galli, Olympiadis CLXXXV. annum tertium deſinentem, & quartũ ineuntem, qui connectitur cũ per. Iul. anno 4677. Mundi 3913. V.C. Capitol. vel Caton. DCCXVI. Varron. DCCXVII. Nabon. DCCXI. ſecundũ alios DCCXII. Iulianũ IX. Au-

gustalem à cæde Cæsaris VII. à primo Consulatu Octavii VI. qui habet Cyclum Solis I. Lun. III. lit. GF. XVI. Iul. Fer. III. XXXVII. annis ante Æeram Dionysianam. *Dio* ergo fallitur, qui Hierosolymæ expugnationem in Consulatum Claudii & Norbani, adeóque in VIII. Iulianum conjicit, ἐπὶ μὲν δὴ, inquit lib. XLIX. τοῦ τε Κλαυδίου τοῦ τε Νωρβανοῦ τοῦθ' ἔτος ἐγένετο, cum character Consularis Iosephi firmetur charactere anni Sabbathici, paulò ante cap. XXVIII. expresso, τὸν γὰρ ἑβδομαδικὸν ἐνιαυτὸν συνέβη κατ' ταυτὸν εἶ. Nisi ad Dionis cum Iosepho conciliationem dicamus, Dionem initium obsidionis, Iosephum finem & successum notasse.

VIII. Et hæc quidem ad pleniorem initii Epochæ Herodianæ, & argumenti, de quo agimus, cognitionem paulò diffusius proponenda erant. Fixum ergo habemus *duplex initium* regni Herodis, quorum utrumque Iosephus constanter spectat, maximè posterius à captâ Hierosolymâ, quod variis exemplis ex Iosepho demonstrare proclive foret. Sic sanè commodè conciliari possunt ἐναντιοφανῆ quædam, quæ in Iosepho occurrunt, interdum enim XXXVII. annos, interdum XXXIV. tantum tribuit regno Herodis, utrúmque sine contradictione, prius ab institutione, posterius à restitutione Herodis. Sic geminæ hujus radicis respectu, quanvis præter mentem Iosephi, annos XL. alii, alii XXXVII. Herodis regno adscribunt. Sic *Iosephus* ab aliâ contradictione liberatur: Libro enim XV. Antiq. cap. XIV. instaurationem templi refert ad annum XVIII. in libro περὶ ἁλώσ. I. cap. XVI. ad annum XV. quod notat Scaliger lib. V. de Em. Temp. Vtrumque verum esse potest relatum ad diversa illa principia. Et causæ nihil est, cur *Petavius* lib. XI. de Doctr. Temp. cap. I. errorem ibi in Iosepho à Librariis admissum suspicetur, & scripta ιε'. pro ιη'. Sic lib. XV. cap. VII. prælium ad Actium inter Octavium & Antonium commissum scribit Iosephus ἑβδόμου ὄντος Ηρώδῃ τῆς βασιλείας ἔτους, cum verò apud Actium pugnatum fuerit Iuliano XV. necessariò IX. Iulianus constituendus primus Herodis, adeóque hîc secundam Epocham sequitur Iosephus, secundum primam enim XV. Iulianus esset decimus Herodis.

IX. Verâ Epochâ geminâ initii regni Herodiani & propositâ & probatâ, rejiciendæ sunt falsæ & commentitiæ, sive

vete-

veteres auctores habeant, sive recentiores. Peccant hîc I. *Eusebius*, qui regnum Herodi collatum asserit anno X. Augustali à cæde Cæsaris, Olympiadis CLXXXVI. tertio, &c, hoc fundamento substrato, orditur annos Herodis à quarto dictæ Olympiadis, & Consulatu II. Cæsaris Octaviani & L. Volcatii Tulli. Μεταχρονισμὸς hic occurrit septennii, cum annus ille incidat demum in annum per. Iul. 4681. Iul. XIII. Aug. XI. à cæde Cæsaris, V.C. Caton. vel Capitolin. DCCXX. Varron. DCCXXI. Cycl. Sol. V. Lun. VII. Lit. BA. Anachronismi varii Eusebii in annis Herodis noti sunt viris eruditis. v.g. Antigoni cædem refert ad Olympiadis CLXXXV. secundum, Augusti V. qui Iul. VII. Cycl. Sol. XXVII. Lun. I. Lit. B. & tamen regnum in Herodem translatum supponit demum Olympiadis CLXXXVI. tertio, quod integro tamen septennio citius, & ante Antigoni cędem triennio prius factum. Errorem agnoscit *Arn. Pontacus*, & varietatem in Cod. Euseb. annotat, aliis Antigoni cædem ad IV. aliis ad V. Aug. referentibus, ipse illorum sententiam pręfert qui eam in X. Aug. rejiciunt, qui concurrit cum Iuliano XII. Coss. M. Anton. II. & Scribonio Libone Cycl. Sol. IV. Lun. VI. Lit. C. per. Iul. non (ut *Petavius* habet, cap. II. lib. XI.) 4780. sed 4680. tantùm: quod insigne mendum vel ab incuriâ, vel ab amanuensi aut Typothetâ potiùs quàm ab Authore, quibus vtique ob immane σφάλμα id imputare malim, quâ æquitate *Petavius* sæpe non utitur erga Summum virum *Iosephum Scaligerum*. Falsum tamen, Antigonum occisum XII. Iuliano Aug. X. Coss. prædictis Antonio & Libone, cum cædes ejus, ut suprà ostensum, incidat in Iulianum XI. Coss. Vipsanio Agrippâ & Caninio Gallo, Cycl. Sol. I. Lun. III. eodem videlicet anno quo Hierosolyma ab Herode & Sosio expugnata. Alios Eusebii anachronismos hic operæ compendifaciendæ causâ prætermittimus. Eusebium sequitur inter alios in vitiosâ regni Herodiani supputatione *Cyrillus Hierosolymitanus Catech.* XII. φωτιζομένων, ubi Herodis annos arcessit ab anno quarto Olympiadis CLXXXVI. cui anno etiam immani errore Natalem Christi alligat. Sic enim XXXIII. annis in Natali Christi peccaret Æra Dionysiana, & Christus non sub Tiberio sed sub Augusto passus fuisset, quod absurdum. II. *Epiphanius* verò etiam calculum annorum Herodis vitiosum habet. Hæresi enim LI. Alogorum, & LXXVIII. Antidicomariani-

tarum initium Herodis conjicit in Iulianum XI. Cum enim componat XXXIII. Herodis cum XLII. Aug. & hic incidat in XLIV. Iulianum, primus Herodis erit XI. Iulianus, qui incidit in Cõsulatum Sexti Pompeii & L. Cornificij, Augustalem IX. à cęde Cæsaris, Olympiadis CLXXXVI. secundum V. C. Capit. DCCXVIII. Varron. DCCXIX. Cycl. Sol. III. Lun. V. Lit. D. per. Iul. 4679. Vbi μεταχρονισμὸς quinquennii ratione primæ Epochæ Iosephi, biennii ratione secundæ. A vitiosâ illa radice putat Epiphanius annos XXXVII. Herodis, adeóque non potest non peccare in anno emortuali Herodis designando. Ejusdem commatis est, quod sanctissimus & eruditissimus ille Pater habet Hær. LXXVIII. Herodem, quo regnante passus Dominus, fuisse Archelai filium, cum notum sit fuisse Herodem Antipam Herodis Magni filium, qualia multa passim apud Epiphanium. III. *Sulpitius Severus* peccat etiam in annis Herodis designandis, sed mitius. Cum enim lib. II. sacr. Hist. annum XXXIII. Herodis componat cum Consulatu Sabini & Rufini, qui est Iulianus XLII. Olympiadis CXCIV. primus, necessariò conjicit initium Herodis in Consulatum L. Gellij Poplicolæ & M. Cocceij Neruæ, adeóque in Iulianum X. Olympiadis CLXXXVI. primum, Augustalem VIII. à cęde Cæsaris. Vbi duplex itidem error. I. Μεταχρονισμὸς quadriennij ratione primæ Epochæ Herodis, anni ratione secundæ. 2. Putatio XXXVII. annorum Herodis ab illâ radice, quę ducenda erat à Consulatu Calvini & Pollionis, Iuliano sexto. IV. *Bedæ* calculus hîc quoque vitiosus est, qui graviùs impingit, libro de sex ætatibus Mundi, ubi annos Herodis ab anno XI. principatus Augusti orditur, quemcunque annum Augustalem ibi intelligamus, sive à cęde Cæsaris, sive à primo ejus Consulatu, sive ab appellatione Augusti, peccat ille μεταχρονισμοῖς multorum annorum, sequutus dubio procul Eusebium. V. *Onuphrius* contra peccat προχρονισμοῖς, dum initium Herodis refert ad annum tertium Augusti à cęde Cæsaris, adeóque ad Iulianum V. Coss. P. Servilio Isaurico II. & L. Antonio. Qui anno ante Consules à Iosepho notatos ad primam Epocham, Magistratum gesserunt.

X. Sed à nullo inter veteres in principio annorum Herodis adeò grauiter peccatum, ac à *Baronio* §. CXV. & CXVI. in Apparatu ad Annales, ubi novam fabricat Epocham annorum Herodis,

rodis, & contendit Iosephum deceptum dum XXXVII. annos Herodis ducit à primâ ejus institutione Coss. Domitio & Pollione, cum illi demum duci debeant à restitutione regni factâ Herodi ab Augusto, à quo denuò diadema suum, quo ob adjutum Antonium excidisse videbatur, velut precariò obtinuerit, quod quidem Baronius vult contigisse eodem anno quo ad Actium pugnatum Augusto III. & Val. Messala Coss. Olympiadis CLXXXVII. anno secundo, qui Iulianus XV. Augustalis à cęde Cęsaris XIII. à primo Octavii Consulatu XII. *Causa*, quæ Baronium ad novum hunc calculum impulit, hęc potissimùm ab illo proponitur. §. CXIII. & CXIV. Inter Scriptores sacros & Iosephum bellum ἄσπονδον esse, si anni Herodis ducantur, à gemina illa Epocha suprà à nobis ex Iosepho & proposita & probata. Ex Matthæo enim & Luca constare, Herode vivente Christum esse natum. Si verò anni XXXVII. & XXXIV. regni Herodis numerentur per Consules & Olympiadas à gemina illa radice, Herodis obitum anteriorem futurum natali Christi, illum enim incidere in finem mensis Martij, anni primi Olympiadis CXCIV. istum novem post menses demum in XXV. Decembris, anni secundi dictæ Olympiadis, ex sententia illorum, qui cum Baronio Christum natum arbitrantur Coss. Lentulo & Messalino, annum unum verò & menses circiter novem, secundum illos, qui natalem Christi rejiciunt sub Consulatum Augusti XIII. & Plantii Sylvani. *Rationes*, quibus Baronius novam illam annorum Herodis Epocham adstruit, hæ potissimùm sunt, §. XV. I. Herodem demeruisse regnum, eò quod partes Antonii contra Augustum sequutus esset, idque fassum Herodem supplicem, & culpæ suæ conscium, posito diademate ad veniam impetrandam Rhodum ad Augustum se conferentem, à quo precibus fusis regnum denuò promeruerit. 2. §. CXVI. ab eo tempore in publicis monumentis adscriptum fuisse primum annum regni Herodis, & sic sequentes, eò quod Augustus ex SC. resciderit, & irrita reddiderit quæ ab Antonio in Imperio perduelle gesta erant: Non ergo licuisse Herodi illos regni sui annos numerare quibus regnavit Antonii beneficio, sed ab eo demum tempore quo ab Augusto id illi restitutum. 3. Nihil non in gratiam Augusti facturum fuisse Herodem, qui quicquid habebat ei acceptú ferebat, civitates etiam, Theatra ac Templa

ejus nomine dedicabat. 4. Tempus septuaginta annorum, quod Herodi adscribit Iosephus, aliter non impleri, nec Iosephum à contradictione liberari; inde ergo numerandos esse XXXVII. annos Herodis, utpote ab insigni & novâ regni restitutione. Iosephum contra numerando annos illos regni Herodis à Consulatu Domitii & Pollionis, nouem saltem annis ejus obitum anticipare, & portentoso errore descriptionem à Quirinio factam tempore natalis Christi post novem demum annos recensere.

XI. Εὕρημα istud Baronii vt novum prorsus, sic vanum & paradoxum viris eruditis meritò visum, unde à Chronologis magnis magno consensu exploditur. Et sanè nova illa Epocha nec cum Iosepho, nec cum veritate Historicâ conciliari potest, nec vel à Iosepho, vel à Nicolao Damasceno, vel à Philone, aut ullo Scriptore alio sive rerum Iudaicarum, sive Romanarum vspiam indicatur. Mirum ergo Baronium solum ita oculatum fuisse & perspicacem. At cui credendum potius, Baronióne, an Iosepho homini Iudæo, Historico eximio, non multùm remoto ab ævo Herodis, & qui ex libris Nicolai Damasceni contemporanei Herodi scriptoris, ex monumentis publicis, & gentis suæ, æquè ac Romanorum actis petiit, quicquid de Herode litteris consignauit? Certè petere potuit, nec causa fuit cur prętermitteret tam insignem regni Herodiani Epocham. Adde, non tantùm à Iosepho nuspiam spectari, vel indicari Epocham illam, sed & eâ admissâ Historiam Herodianam & innumeros Iosephi locos conturbari, & pudendis contradictionibus involui. Quæ tamen pleráque plana sunt & expedita, initio ducto à geminâ illâ Epochâ suprà à nobis propositâ. Ἐπιχείρημα ergo illud Baronii non precarium tantùm, & à mera conjectura, sed ἀσύςατον & falsum, ut invictè demonstrabitur in Examine anni emortualis quo Herodem extinctum contendit Baronius. Hîc tantum obseruetur, in eo etiam hallucinari Baronium, quòd supponit Herodem illo ipso anno Augustum invisisse in insula Rhodo, & regnum denuò ab eo impetrasse, quo apud Actium pugnatum, h.e. Iuliano XV. unde novam illam Epocham ducit. Constat verò disertis Iosephi verbis quæ leguntur *cap.* X. *lib.* XV. *Antiqu.* Herodem etiam post pugnam Actiacam adhuc Antonij partes sequutum fuisse, quod ipsemet Herodes liberè profite-

tur

tur apud Augustum, & id sibi laudi ducit, *τὸ μηδ' ἡττηθέντα τὴν ἐν ἀκτίῳ μάχην καταλιπεῖν, μηδὲ συμμεταβῆναι ταῖς ἐλπίσι, φανερῶς ἤδη μεταβαινούσης τῆς τύχης*: & addit, se fuisse *σύμβουλον ἀξιώτατον* Antonij etiam post illam cladem. Idem docet Iosephus libro primo *περὶ ἁλώσεως cap.* XV. Ex Historiâ etiam Romanâ liquet, Augustum non traiecisse in Asiam illo ipso anno, quo victus Antonius ad Actium, sed à victoria illa insigni Italiam petiisse, & anno demum sequente in Græciam & insulam Rhodum, ubi ab Herode compellatus, concessisse. Initium ergo Baronio ducendum foret nouæ hujus Epochæ non à Iuliano XV. Augusto III. & Mess. Coss. ut supponit §. CXVI. sed à Iuliano XVI. Augusto IV. & M. Licinio Crasso Coss.

XII. Rationes quoque, quibus commentum hoc superstruit Baronius, tipulâ leuiores sunt, & nihil nisi Hiberæ næniæ. 1. Demus Herodem demeruisse, vt loqui amat Annalista, regnum, ob adjutum Antonium contra Augustum, doceat Baronius id ei fuisse ablatum ab Augusto, quod nuspiam indicat Iosephus *cap.* X. *lib.* XV. vbi & congressum Herodis cum Augusto, & Herodis orationem, & Augusti responsum, & favorem ejus in Herodem describit. Nec verba Herodis ibi abjecta coram Augusto, sed generosa, nec rei & supplicis, sed hominis præfidentis, & multa magnificè de se predicantis, & disertè Iosephus inquit, *οὔτ' εἰς ἱκεσίας, ὡς εἰκὸς ἐπὶ τούτοις, τραπόμενος, οὔτε δέησιν τινὰ προτείνων, ὡς ἐφ' ἁμαρτήμασιν, ἀποδοὺς δὲ τὸν λογισμὸν τῶν πεπραγμένων ἀνυποτιμήτως.* Vbi hic preces fusæ, de quibus Baronius? diademate sanè posito accessit Augustum, sed addit Iosephus, nihil illum de reliquo cultu regio mutasse, *τοῦ δ' ἄλλου περὶ αὐτὸν ἀξιώματος οὐδὲν ὑφεικὼς*, &c. *ἐνέφηνε τὸ μεγαλεῖον τοῦ κατ' αὐτὸν φρονήματος.* Similia habet Iosephus *lib. I. περὶ ἁλώσεως cap.* XV. *προσεισιν αὐτῷ δίχα διαδήματος, τὴν μὲν ἐσθῆτα καὶ τὸ σχῆμα ἰδιώτης, τὸ δὲ φρόνημα βασιλεύς.* Restituisse quidem dicitur Augustus Herodi diadema, non quod abstulerat, sed quod auferre poterat, non novâ inauguratione, sed confirmatione tantùm in regno. 2. Ab eo tempore in publicis monumentis adscriptum fuisse primum annum regni Herodis, & deinceps cæteros sequentes, supponit gratis Baronius, non probat. Nec sanè probare potuit ullius Scriptoris veteris authoritate, apud quos non tantum altum eâ de re silentium, sed & supputatio annorum Herodis diversa

planè. Ratio à Baronio adjecta levis est & vana, Augustum ex SC. rescididisse & irrita reddisse quæ ab Antonio in Imperio perduelle gesta fuerant. At cum Herodi regnum collatum, nondum perduellis erat Antonius. Adde, non ab Antonio Herodi regnum collatum, sed à Senatu Romano, commendante quidem Herodem Antonio, sed & ipso Augusto, & Messalâ ac Atratino. Non ergo hoc inter Antonii acta, sed inter acta & consulta Senatus. Vide Iosephum *lib.* XIV. *Antiqu. cap.* XXVI. Καῖσαρ μὲν οὖν, inquit, καὶ διὰ τὰς Ἀντιπάτρου στρατείας, ἃς κατ' Αἴγυπτον αὐτοῦ τῷ πατρὶ συνδιήνεγκε, καὶ τὴν ξενίαν, καὶ τὴν ἐν ἅπασιν εὔνοιαν, χαριζόμενος δὲ καὶ Ἀντωνίῳ, σφόδρα περὶ τὸν Ἡρώδην ἐσπουδακότι, πρὸς τὴν ἀξίωσιν καὶ τὴν, ὧν ἐβούλετο Ἡρώδης, συνεργίαν ἑτοιμότερος ἦν. Idem habetur *libro* I. περὶ ἁλώσεως *cap.* XI. ubi post Messalæ, Atratini, & Antonii commendationem innuitur, omnium suffragio Herodi regiam dignitatem decretam fuisse, & hoc δόγμα Senatus relatum in capitolium. Rescissio ergo actorum Antonii perduellis, quà talis, v.g. quæ in Cleopatræ gratiam patrârat, nihil obstabat, quominus Herodes regni sui annos à primâ institutione numeraret, etiam post victum ab Augusto Antonium, æquè ac antehac. Nec ea conditione Herodi diadema ab Augusto restitutum uspiam legit Baronius vel legere potuit. Cur enim Augustus regnum suo etiam suffragio Herodi delatum rescinderet? Eusebius, anno Olympiadis CLXXXVI. tertio, ad Romanos indefinitè dignitatem Herodis refert, Ἡρώδης, &c. οὐδὲν αὐτῷ προσήκουσαν τὴν Ἰουδαίων βασιλείαν ὑπὸ Ῥωμαίων ἐγχειρίζεται. Et paulò pòst, τὴν τῶν Ἰουδαίων βασιλείαν ἀπὸ Αὐγούστου καὶ τῆς συγκλήτου λαμβάνει. Vbi nulla Antonii, sed Augusti potius mentio. Idem Augusto, non Antonio adscribit *Africanus*. *Tacitus* Historiarum *libro* V. regnum quidem ab Antonio Herodi datum scribit, sed non ablatum ab Augusto victore, verum sancitum. Datum verò ab Antonio, velut à parario, quia ejus favore & gratia conciliatum, *Regnum ab Antonio Herodi datum, victor Augustus sanxit*, inquit Tacitus, ubi *I. Lipsius* notat quosdam legere *auxit* pro *sanxit*. Et sanè *cap.* X. à Iosepho dicitur reversus in Iudæam πλείονι τιμῇ. 3. Ponamus, libenter in Augusti gratiâ ita Herodem annos regni sui numeraturum fuisse, probet Baronius, vel Augustum id petiisse, vel Herodem id fecisse, vel Scriptorem ullum probæ notæ id docere. 4. Tempus

pus LXX. annorum Herodis aliter impleri, & commodè quidem, infrà oſtendetur, ſervatâ vtrâque Ioſephi Epochâ. Nec inde Ioſephum ſecum committi, ex ſolutione ſcrupulorum à Baronio notatorum, patebit. Ioſephum enim non novem annis obitũ Herodis anticipare, ſed Baronium novennium ferè vitæ Herodis adjicere ſine ulla causâ docebimus, cum Ioſephi calculus ex Dione & Scriptoribus aliis Romanis ſolidè probari poſſit. De Deſcriptione, præſide Syriæ Cyrenio, factâ infrà etiam ſuo loco agetur.

XIII. Cauſam quod attinet, quæ Baronium movit, ut in nouâ annorum regni Herodis Epochâ inveniendâ laboraret, difficultatem videlicet conciliandi Ioſephum cum Sacrâ Scripturâ, quæ Herode adhuc ſuperſtite Chriſtum natum docet, cum tamen, initio XXXVII. annorum Herodis ducto à Conſulatu Domitij & Pollionis, ex mente Ioſephi, ante Chriſtum natum Herodes vitâ functus videatur: Fatendum ſanè nodum hunc difficilem eſſe & perplexum, & alterutrum neceſſarium videri, vel ſacræ Scripturæ, quod abſit, contradicendum, aſſerenti Herode vivente adhuc Chriſtum natum, vel Ioſephum pauciores annos regno Herodis aſſignaſſe, quàm reverâ regnarit. Sic *Pererius* Commentario in Danielem de ſolutione deſperat, & concludit, vel aliquot annis poſterius quàm notat Ioſephus Herodem conſtitutum fuiſſe Regem, vel plus quàm XXXVII. annis regnaſſe. Laborarunt in nodo hoc expediendo viri eruditi complures, ſed infeliciùs alii, alii feliciùs, I. Quidam exiſtimârunt de alio Herode Ioſephum, de alio Matthæum loqui: Vtrumque ergo de diverſis perſonis intellectum facile poſſe conciliari. Sed conciliatio hæc inanis eſt, certum enim, & Matthæum, & Ioſephum de eodem Herode loqui, & de illo quidẽ, cujus & filius & ſucceſſor fuit Archelaus, *Matth.* II.22. adeòque de Herode Magno vel Aſcalonitâ vulgò, Antipatri filio. II. Nec meliùs ſe expediunt illi qui, Faſtorum Scriptorem *Panuinium* ſequuti, contendunt XXXVII. annos regni Herodis non numerandos eſſe ab inauguratione Herodis, ſive ab impetratione regni, ſed potiùs à plenâ ejus poſſeſſione & adminiſtratione, quam adiit Hieroſolymâ expugnatâ. Coſſ. Agrippa & Gallo. Ioſephum ergo in eo hallucinari quod XXXIV. tantùm annos inde numeret pro XXXVII. Sed & hæc ſolutio precaria

L

eſt,& aliena à mente Ioſephi, aliena etiam à characteribus aliis Herodis obitū deſignantibus,adeóque meritò à Baronio etiam exploditur. III. *Sethus Caluiſius* Vir CL. arbitratur conciliari poſſe Ioſephum cum Matthæo, ſi XXXVII. anni regni Herodis computentur ratione paſchatum totidem celebratorum ſub ipſius Regno: Iudæos enim ſolitos fuiſſe numerare regum ſuorum annos à feſtivitate paſchali, & dicere, hunc vel illum Regem tot annos regnaſſe, quot paſchata ſub illo celebrata fuerint. Probat hoc Calviſius exemplo Abiæ.1. *Reg*.XV. & Theſi hac applicatâ ad hypotheſin, inquit, Herodem deſignatum fuiſſe Regem à Senatu Iuliano VI. ineunte æſtate poſt paſcha jam celebratum. Ioſephum ergo ab hoc anno regnum ejus non ordiri, ſed à ſequentis demum anni Paſchate. Sic dicit Herodem anno tertio Hieroſolymam expugnaſſe, cum tamen dici deberet id factum anno quarto. Sic pro XXXVII.annis XXXVIII. ferè compleviſſe Herodem, mortuum enim eſſe paulò ante paſcha.Si ergo ad VI.annum Iulianum,quo Rex creatus Herodes, XXXVII. paſchata addantur, perveniri ad Paſcha anni Iuliani XLIII. inde vixiſſe Herodem uſque in annum ſequentem, & mortuum eſſe paulò ante paſcha XXXVIII. ſui regni. Ingenioſa revera hæc Viri eruditi ſolutio, ſubtilior tamen quàm ſolidior, durum enim videtur integrum annum ferè,inde à renunciatione Herodis, è faſtis expungere, unum etiam ferè ſub finem vitæ, tum quia poſt paſcha demum Rex creatus, tum quia ante paſcha exſpiravit. Nec computus hic vel univerſalis eſt, vel perpetuus, nec aptari poteſt multis locis aliis, ubi nulla habita ratione paſchatum anni Regum computantur. Huc ferè redit ſummi viri *Ioſephi Scaligeri* ſententia, Iudæos Regum ſuorum annos à Niſan ordiri ſolitos, poſt ſub Simone Pontifice ab Iiar putare cœpiſſe. Tametſi ergo Herodes renuntiatus fuerit Rex Cyclo Lunæ XIX. tamen Ioſephum non ordiri annos ejus ante Niſan, aut Iiar Cycli I. Regnaſſe Herodē annos ſolidos XXXVII. à renunciatione,XXXIV. à captis Hieroſolymis. Deceſſiſſe verò ante Iiar,adeóque ultimum annum à Ioſepho non computari. Subtile hoc viri Incomparabilis εὕρημα, ſed videntur itidem quædam gratis ſupponi, neque enim probatum adhuc, Iudæos annos Regum ſuorum ab Iiar menſe communiter ordiri conſueuiſſe, quod exemplis variis ex ipſo Ioſepho ductis oppugnari

pugnari poteſt. Et ſanè idem calculus non obſervatur à ſummo illo viro in primordiis Tetrarchiarum Archelai & Philippi. Cæteroquin idem Scaligero quod Calviſio opponi poteſt, parum veriſimile eſſe, Ioſephum integrum fermè biennium hac ratione in regni Herodis ſupputatione prætermittere, annum unum in principio, annum alium in fine regni ejus. Et ſanè vir Illuſtris ipſe huic ſolutioni videtur diffidere, dum in Animadverſionibus in Euſebium aliam ſolutionem quærit, & inquit liberè, Ioſephum hallucinatum eſſe in computo XXXVII. annorum Herodis cum XXXIX. anni intercedant ab inauguratione ad obitum ejus. Parum tamen credibile Ioſepho non compertam fuiſſe ſummam annorum Herodis, cujus Hiſtoriam adeò prolixè & anxiè exſequitur. Præſtat utique culpam in Antiquarios vel librarios rejicere, ſi hîc culpa eſt, quàm in Ioſephum. IV. *Auguſtinus Torniellus* Chronologus Italus eruditus proponit ſolutionem aliam hujus nodi ad annum ab O.C. 4014. petitam à diverſa ſupputatione annorum Vrbis, Capitolinâ unâ, Varronianâ alterâ. Secundum priorem, conjici Conſulatum Calvini & Pollionis in annum Vrbis DCCXIII. qui annus totus concurrat cum anno IV. Olympiadis CLXXXIV. Secundum poſteriorem, referri eundem Conſulatum ad annum Vrbis DCCXIV. qui concurrat, non, ut malè calculum ponit *Pererius,* cum anno ſecundo Olympiadis CLXXXV. ſed cum anno primo ejuſdem. Sic, ſecundum priorem ſupputationem, Conſulatum Lentuli & Meſſalini incidere in annum Vrbis DCCL. & primum Olympiadis CXCIV. ſecundum poſteriorem in annum Vrbis DCCLI. & ſecundum dictæ Olympiadis. In utraque verò ſubductione à Conſulatu Calvini & Pollionis, ſub quo Herodes Romæ Rex renuntiatus, ad Conſulatum Lentuli & Meſſalini, ſub quo ſupponitur natus Chriſtus, numerari præciſè annos duntaxat XXXVII. Totidem annos regni Herodis numerare Ioſephum, & Olympiade quidem CLXXXIV. figere inaugurationem Herodis, eò quod ſequatur ſupputationem priorem, quæ tamen ſecundum poſteriorem incidit in annum primum Olympiadis CLXXXV. Sic non diſcedi à Ioſepho, & eundem annum juxta metiendi rationem, quam ſequutus Ioſephus, fuiſſe quartum Olympiadis CLXXXIV. & tamen ſimul primum CLXXXV. ſequentis, ſecundum alterum calculandi modum.

Sed nec ſic bene conſulitur vel *Ioſepho*, vel *Torniello*. Nam 1. ſupponitur gratis à Torniello, Ioſephum ſpectaſſe annorum Vrbis ſupputationem Capitolinam, vel Faſtorum in tabulis Capitolinis contentorum. Præterquam enim quod de annis Vrbis ibi ne verbum quidem habet, & charactere tantùm Conſulari & Olympiadico utitur, probari non poteſt, in charactere Olympiadico reſpexiſſe Ioſephum ad unam potius quàm ad alteram ſupputationem annorum Vrbis. 2. Si ſtrictè agendum foret, quia indefinitè Olympiadis tantùm meminit Ioſephus, non anni illius certi & definiti, Conſulatus ille, quanvis falsò, rejiciendus foret in annum primum illius Olympiadis: ſecundum conſuetudinem enim Scriptorum probatorum, Olympiadem indefinitè numerare, eſt primum ejus annum deſignare, tametſi fateamur, Ioſephum calculo Olympiadum aliter uti. 3. Largiamur tamen, indefinitâ illa locutione quartum & ultimum demum annum à Ioſepho deſignatum fuiſſe Olympiadis dictæ CLXXXIV. unde conſtabit annum illum intelligi qui componatur cum anno Vrbis Capitolino DCCXIII. Varroniano DCCXIV. potius quàm cum anno Capitolino DCCXII. Varroniano DCCXIII. Nec ἔνστασις valida, quam ducit Torniellus à Conſulatu L. Hortenſii & L. Metelli Cretici, quem conjicit Ioſephus libro XIV. Antiq. cap. I. in annum tertium Olympiadis CLXXVII. cum tamen pertineat ad quartum: nec enim error errore tollitur, & hoc unum evincitur, parum accuratum fuiſſe Ioſephum in calculo Olympiadico, etſi in rerum deſcriptione ſummæ fuerit & fidei, & diligentiæ. 4. Probat quidem Torniellus, ſub anni Olympici finem Herodem renuntiatum fuiſſe Regem, ſed non ſub finem anni primi Olympiadis CLXXXV. magis quàm ſub finem anni quarti Olympiadis CLXXXIV. ſecundum diſertũ Ioſephi calculum. Niſi, ut ſuprà dictum, mendum in Ioſephi Codices irrepſiſſe ſtatuamus, & Olympiadem ρ' καὶ π' καὶ δ', pro ρ' καὶ π' καὶ ε' legi: quæ conciliatio facilior, & nodum ſolvit. Prius probat tantùm Torniellus, non poſterius, adeóque gratis infert vir Eruditus cæteroquin & candidus, annum primũ regni Herodis ferè totum concurriſſe cum anno ſecundo dictæ Olympiadis. 4. Quin &, aliorum interpretatione admiſsâ, qui χειμῶνα apud Ioſephum interpretantur non anni, ſed cœli tempeſtatem, qua incumbente mari, triſti ni-

sti nimirum & parum sereno cœlo, navigârit Romá Herodes, dici potest ex sententiâ illorum, qui nullum in Olympiadis charactere mendum apud Iosephum agnoscunt, Herodem renuntiatum Regẽ Romæ priore parte Iuliani sexti, non posteriori, adeoq; adhuc CLXXXIV. quarto, nõ primo Olympiadis CLXXXV. ut qui inibat demum à solstitio æstivo Iuliani sexti. Supponit ergo denuò Torniellus, non probat, χειμῶνα, quo navigasse dicitur Romam Herodes, fuisse tempus hybernum Iuliani sexti exeuntis, & Parthos in Syriam irrupisse, & Hierosolymam occupasse demum illo anno: Contrà *Kepplerus* contendit, rationibus speciosis admodum, quinto Iuliano Parthos Saxam Antonii Legatum fudisse, in Syriam irruisse, Hierosolymam expugnasse, & Antigonum sub tempus Pentecostes ad fastigium regium evexisse. Sic itaque gratis, & præter Iosephi mentem, statuitur, sub finem anni primi Olympiadis CLXXXV. Herodem demum renuntiatum fuisse Regem, adeóque primum annum regni Herodis ferè totum concurrisse cum anno secundo dictæ Olympiadis. Basi hac subductâ reliqua omnia concidere necesse habent. 5. Precarium verò etiam, & à conjectura mera, quod hoc loco opponit Torniellus Baronio, statuenti consulatum Pollionis & Calvini referri debere pro medietate in annum quartum Olympiadis CLXXXIV. & pro aliâ medietate in annum primum Olympiadis CLXXXV. Consulatum nimirum non semper iniri consuevisse Calendis Ianuariis, nec semper anno integro perdurasse: imò variis temporibus Consules fuisse suffectos, sive ob priorum mortem vel abdicatio nem, sive aliis de causis, ídque maximè factũ durante triumviratu, Octavio pro suo & collegarum arbitrio consulatum profusissimè, nullâ habitâ temporum ratione, in plures pauciorésve menses distribuente. Nam ut concedamus id quandoque factum, probet Torniellus licentiâ eâdẽ usum fuisse Octavium in Consulatu Calvino & Pollioni conferendo; probet quibus, & quando, & quousque suffecti fuerint. In fastis sanè nihil tale legitur, nec in Historiâ Romanâ, adeóque longè probabiliùs, Consules illos pro more creatos Calendis Ianuariis, die solenni dicato successionibus Consulum, & annum integrum consulatum gessisse. v. *Montacutius* Vir CL. Exerc. x. Sect. IV. sic quoque nodum hunc incidit, Herodem nimirum renuntiatum fuisse Re-

gem Romæ, demum ſub finem Conſulatus Calvini & Pollionis. Id ipſum ex rerum geſtarum Hiſtoria liquere. Annum ergo illum non eſſe computandum pro primo Herodis, ſed ſequentem tantùm. Annis itaque XXXVII. inchoatis à Conſulatu ſequenti Martii & Calviſii, quo dignitas illa innotuerit Iudæis, illos finiri Conſulatu Lentuli & Meſſalini, & pertingere ad initium uſque conſulatus Aug. XIII. & Sylvani. Si ergo, ſecundum aliquos, Chriſtus natus dicatur menſe Septembri vel Octobri, Coſſ. Lentulo & Meſſalino, ex ſententia Baronij, relinqui Herodem adhuc ſuperſtitem natali Chriſti. Sed & huic ſolutioni opponi poſſunt I. *Hypotheſes* ipſius *Montacutij*. Hoc contrarium ſententiæ Authoris, qui ſtatuit Chriſtum natum Coſſ. Aug. XIII. & Sylvano, nec admittit Novatorum, quos vocat, opinionem de natali Chriſti conjiciendo in Septembrem vel Octobrem. Admiſſo verò etiam calculo Montacutij, & primo anno Herodis ducto à Conſulatu Martij Cenſorini & Calviſii Sabini, terminabuntur tamen XXXVII. anni, completi etiam, Conſulatu Lentuli & Meſſalini. At ſic ſemper poſt obitum Herodis, niſi prorogemus ejus regnum & ætatem, natus fuerit Chriſtus. II. Adde, opponi poſſe *hypotheſin Ioſephi*, cum enim ille ſtatuat Herodem renuntiatum fuiſſe Regem Olympiade CLXXXIV. oportet id accidiſſe non ſub finem Conſulatus Calvini & Pollionis, qui ſex poſterioribus menſibus ferè reſpondet initio Olympiadis CLXXXV. ſed primis Magiſtratus illorum menſibus, niſi correctionem ante allatam admittamus.

XIV. His omnibus rejectis, ob rationes allegatas, duplex reſponſio alia præferenda, utraque commoda ſatis & expedita. I. Errorem fortè reperiri in numero annorum regni Herodis, qui apud Ioſephum legitur, non Ioſephi culpâ, qui illum ignorare non poterat, ſed temporum & Librariorum injuriâ, à quibus paſſim malè habitus Ioſephus. Nec novum, in numeris peccatum vel à Ioſepho quandoque, vel in Ioſepho plerunque ab aliis, mendoſiſſimos enim in talibus inprimis illius Codices eſſe, & viri eruditi notant, & res docet. Præſtat tamen cum *Cano* libro II. cap. V. Locor. Commun. ejus rei culpam in pleriſque removere ab Hiſtorico eximio, raræque & diligentiæ & fidei. Hac reſponſione, quæ alibi ſæpe neceſſaria, admiſſâ, dici

dici poteſt, cum viris eruditis, Herodem diutius regnaſſe, quàm à Ioſepho literis proditur, & in codicibus Ioſephi vitium hærere, ſubſtituendóſque numeros in priori Epochâ λϑ'. pro λζ'. in poſteriori λς'. pro λδ'. qui error in numeris facillimè admitti potuit, & alibi diverſis in locis neceſſariò concedi debet.
II. Quanvis etiam Ioſephi numeros admittamus, nodus à Baronio propoſitus aliter etiam incidi poteſt, & ſolidè quidem: ſiquidem dicamus, Baronium nectere contradictionem inter Matthæum & Ioſephum ex hypotheſi dubiâ, nec dum probatâ, natum videlicet eſſe Chriſtum Coſſ. Lentulo & Meſſalino, vel Auguſto & Sylvano, quarum opinionum authores & ſectatores tantùm urgeri poſſunt illo Ioſephi calculo, alii non item, qui Chriſti natalem anticipant, & eum in conſulatus anteriores conjiciunt. Quid, verbi gratiâ, Baronius opponet illis qui cum *Sulpitio Severo* Chriſtum natum ſtatuunt Coſſ. Sabino & Rufino, ſive Calviſio & Paſſieno, vel cum *Dekerio & Suſlygâ* Coſſ. Auguſto Cæſare XII. & Cornelio Sulla, vel iis qui ulterius adhuc aſcendunt cum Kepplero & Cappello? illis enim optimè conſtabit annorum illorum ratio, & perquam facilè erit conciliare Ioſephum cum Matthæo, vt Chriſtus natus dicatur Herode adhuc vivente. Et ſic nihil mutabitur in charactere Olympiadico CLXXXIV. quo Ioſephi Codices ſignant inaugurationem Herodis. Et ſanè ratio illa ex potiſſimis, ob quas & Æra Dionyſiana explodenda, & natalis Chriſti aliquot annis anticipandus videtur.

XV. Non diſſimulandum tamen, ſententiam Baronii ſtabiliri in ſpeciem loco alio Ioſephi, qui exſtat *libro* XIV. *Antiq. cap.* 17. ubi Herodes dicitur fuiſſe annorum XV. eo tempore, quo Cæſar confecto bello Alexandrino tradidit Antipatro adminiſtrationem Iudææ, iſte filio Herodi Galilææ curationem. Cùm verò idem Ioſephus rurſus affirmet libro XVII. Antiq. cap. 8. & de bello Iudaico libro I. cap. 21. Herodem vixiſſe ad annum vſque ætatis ſuæ ferè ſeptuageſimum, ſiquidem numeremus cæteros Herodis annos à Conſulatu Caleni & Vatinii, quo à Cæſare tributa fuit Iudæa Antipatro, quando Herodes annum agebat XV. videtur negari non poſſe Herodem vixiſſe ad annum IX. ætatis Chriſti. Sed viri eruditi jampridem demonſtrarunt, Ioſephum iſtic in mendo cubare, & κε' ibi reperiri pro ιε' XV.

pro xxv. qui error facile obrepere potuit ταχυγράφοις. Et ſanè rationes validæ correctionem illam exigunt, nec enim credibile puero xv. annorum commendatam fuiſſe Galilæam, tum maximè latronum excurſionibus, & Parthorum armis perſtrepentem, vel à puero potuiſſe res tantas illâ ætate geri, quales à Ioſepho adſcribuntur Herodi. Addi poſſunt argumenta alia invicta ex Ioſepho, v.g. 1. ſequeretur inde Herodem Romæ Regem renunciatum fuiſſe anno xxii. ætatis, à Conſulatu enim Caleni & Vatinii ad Conſulatū uſque Calvini & Pollionis anni tantùm viii. incluſivè. Additis annis xxxvii. regni annis xxii. ætatis, ſequeretur Herodem obiiſſe circa annum ætatis lix. At Ioſephus diſertè narrat eum ferè ſeptuagenarium deceſſiſſe. 2. ſequeretur, ut ſolidè infert *Torniellus*, Herodem regnaſſe annos ad minimum xlvii. ab obtentâ regiâ dignitate, & xliv. à victo Antigono, & falſa eſſe varia Ioſephi loca quæ diverſum innuunt. 3. repugnat etiam annus emortualis Herodis, quem Baronius conjicit in annum Chriſti octavum, & regno, & relegationi Archelai, ut infrà ſuo loco videbitur.

XVI. *Inst.* Non prætermittendum verò, videri numerum Ioſephi ιε ſtabiliri ex eo, quod dicatur Herodes à Ioſepho fuiſſe tum temporis νέος παντάπασιν cap.xvii. Ant.lib.xiv. & lib.i. περὶ ἁλώσ. cap.viii. κομιδῇ νέος, & νεανίσκος: adeóque xv. annorum potiùs quàm xxv. R. Reſpondendum tamen, nec ſic quicquam iuvari cauſam Baronii. Nam 1. adoleſcentiæ, juventutis, virilitatis, & ætatis in genere termini variè circumſcribuntur à variis; & laxi admodum ſunt. Sic Varro apud Cenſorinum adoleſcentiam ad annum xxx. ætatis extendit. Et lex comitialis vel annuaria de Magiſtratibus certa ætate capeſſendis varias interpretationes ſæpe paſſa fuit. Interdum ætatis termini ἁπλῶς conſiderantur, interdum σχετικῶς & συγκριτικῶς, illud, quando ſolius ætatis habetur ratio, iſtud, quando habetur ratio ſive rei ſtrenuè geſtæ immaturâ ætate, ſive dignitatis aut muneris, quod hac vel illa ætate aliquis conſequitur. Abſolutè ſanè durius videri poſſet homini imperito Hebraiſmi, & bonorum Authorum parùm gnaro, juvenem xxv. annorum vocari νεανίσκον, νέον κομιδῇ vel παντάπασιν. At tantilla ætate regnum non hæreditate, ſed virtute obtinere, & virtute bellicâ multíſq; facinoribus inclytum eſſe, illud verò vix videtur illi ætati competere,

petere,

petere, adeóque mirum esse, iuvenem tam paucorum annorum ea & facere & consequi, ad quæ homines maturæ ætatis vix adspirare possunt. Sic, si quis Consulatum vel Episcopatum adeat, etiam XXV. annos natus, dici potest, sine absurditate, hominem illum *νέον παντάπασιν* hanc vel illam dignitatem fuisse cõsecutum, quia illæ reservantur cõmuniter ætati magis provectæ. Nec dubium quin Iosephus ita *ὑποκοριστικῶς* loquatur ad maiorem Herodis commendationem. 2. Adde, nec probatis Authoribus græcis insolens esse, hominem XXV. annorum, imò ætatem illam prætergressum vocare *νεανίσκον*, & *κομιδῆ νέον*. Exempla multa apud Polybium de Hierone & Tito Flaminio, quæ notat *Casaubonus*. Sic Hannibal Polybio *νέος lib.* II. quanvis XXVI. annorum, *συγκριτικῶς* videlicet, ratione muneris illi demandati, quia ei jam tum exercitus & rerum in Hispania administratio commissa, quod rarum in illa ætate. Sic Cicero, cum pro Roscio causam diceret, se vocat *adolescentulum*, cum tamen annum ageret XXVII. tum temporis, secundum A. Gellium *lib.* XV. *cap.* 20. secundum Cornelium Nepotem XXIII. 3. Idem *Casaubonus* observat, Iosephum non solere voces *νέος*, *νεανίσκος* vel *νεανίας* usurpare de iis qui annos pubertatis nondum sunt assecuti, sed de illis potius, qui excesserunt ex ephebis, & annum XV. transcenderunt. *Exerc.* I. ad *Appar. An. Num.* XCIX. eo ipso itaque per *βίαιον* mutatio τοῦ ιέ in κέ confirmatur potiùs, quàm infirmatur. 4. Addit Casaubonus, *νεανίσκον* militem significare *Polybio*, quod dubio procul ortum habet ex Hebraismo, milites enim Abrahami vocantur נערים *νεανίσκοι* LXX. Et sanè illa ætas militiæ apta, utpote laborum & imperii patiens. Sic *Marci* XIV. 51. in græco habetur *καὶ κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι*, qui sanè pueri non erant, sed juvenes ad minimum. Adde Paulum *νεανίαν* vocari, *Actorum* VII. 58. qui tricenario major secundum Chrysostomum: & sanè paulò post *ἀνὴρ* appellatur ab Anania. Nec credibile puero à Pontifice maximo tantùm potestatis in Christianos tributum fuisse. Sic I. Tim. IV. 12. de Timotheo dicitur, *μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω*, qui tamen jam Episcopatu fungebatur. 5. LXX. etiam Interpretibus *νέος* non tantum respondet voci ילד quæ notat primæ ætatis gradum, sed & voci נער quæ de ætate juvenili & virili sæpe usurpatur. *Gen.* XXXIV. 19. Sichem vocatur נער *νεανίσκος*, & Iosephus in Ægypto XLI. 12.

Sic administri sacrificiorum missi à Mose *Exod.*XXIV.5. vocantur נערי νεανίσκοι,& *Ios.*VI.22.Speculatores Iosuæ.Isaac παιδάριον Gen. XXII. 5. quem tamen Iosephus lib.I. *Antiq.*XIV.docet jam tum fuisse annorum XXV. τοῦ δ' Ισαάκου πέμπτόν τε καὶ εἰκοςὸν ἔτος ἄγοντος. Sic Benjaminus in Ægyptum abducendus vocatur παιδάριον. Salomo jam in regno constitutus & gener Pharaonis vocatur נער קטון παιδάριον μικρὸν.Hoc significatu παιδίον etiam quandoque usurpatur. Proclive foret exempla alia hîc concenturiare. Sed hæc sufficiunt. Non mirum ergo à Iosepho Herodẽ etiam XXV. annorum juvenẽ vocari νεανίσκον vel κομιδῆ νέον & νέον παντάπασιν. Hallucinatur ergo admodum *Petavius*,qui putat non à librariis in Iosepho , sed à Iosepho ipso hîc peccatum fuisse, nec Herodem juvenem jam XXV.annorum νέον παντάπασιν vocatum iri,*libro* X. de *Doctrinâ Temporum cap.*65.Contrarium ex Iosepho,& scriptoribus probatis tum sacris,tum prophanis satis supérque demonstratum , & ipse Petavius in notis ad Epiphanium Hæresi LI. Alogorum, fatetur vocem νέος virilem etiam ætatem significare. Cur ergo tam cruda ipsi Iosephi phrasis? Prę̃stat itaque unum Iosephi locum corrigere ex pluribus,quàm plures ex uno,aliâs enim intoleranda temporum confusio inferretur in Iosephum. Fatendum sanè , antiquum esse istud mendum,& jam tempore Rufini in Codices Iosephi infartum. Correctione verò suprà notatâ admissâ,& XXV. Herodis anno collocato in Consulatu Vatinij & Caleni, omnia commodè fluent, & finietur LXIX. Herodis annus in Consulatu Lentuli & Messalini. Sic Herodes fuerit annorum XXXII. cum Romæ Rex renuntiaretur, & septuagenarius decesserit, & tamen non nisi post Christum exhibitum.

Restant ergo duo tantum initia probata regni Herodiani, unum ab institutione , alterum à restitutione , non Baronianâ per Augustum , sed ab immissione ejus in regnum integrum, triennio post,expugnatâ Hierosolymâ,& deleto Antigono. Ab his principiis regnum Herodis durasse docet Iosephus XXXVII. quidem annis à prima Epochâ,XXXIV.à secundâ.

XVII. Vt verò & de duratione regni Herodiani,& de excessu Herodis solidiùs judicari possit, hominis illius , famosi cæteroquin etiã in sacris literis, vita inde à regno occupato paucis perstringenda est. Antigono securi percusso, Iuliano IX. & fir-

mato

mato principatu, Herodes Hyrcanum Babylonem abductum, gratiæ referendæ obtentu, revocat, reverâ ut eum in potestate haberet. Ananelo sacerdoti Babylone accito homini obscuro quidem, sed fido, nec ob ignobilitatem natalium formidabili, Sacerdotium tum primùm post multos annos è Maccabæorum familiâ translatum committit, sed post Alexandræ socrus molitionibus & Mariamnes conjugis suæ, quam deperibat, precibus expugnatus, illud in Aristobulum Mariamnes fratrem XVI. vel XVII. annorum eximiæ formæ & staturæ adolescentem transfert. Nec hujus Pontificatus diuturnus, cum enim videret Herodes juvenem illum apud populum gratiosum esse, & acclamationibus extraordinariis in Scenopegiæ festo excipi, ei rei prævertendum ratus homo immanis, adfinem, cùm vix annum in sacerdotio egisset, statim à convivio, quo ab Alexandrâ socru exceptus fuerat, subornatis quibusdam ex suis, inter desultorias natationes in piscinâ quadam per dolum suffocari iussit. Factum id Iuliano XI. Mœror in civitate ex morte Aristobuli ingens, in matre verò altus dolor, & luctus inconsolabilis, pressus tamen metu pejorum. Herodes luctum fingit, & funus magnificum ducit defuncto. Delatus interim ab Alexandrâ apud Cleopatram, & ejus interventu necis Aristobuli postulatus apud Antonium, & ad causam dicendam Laodiceam evocatus, Antonium muneribus & verbis facile placat, & domum reversus in domesticis dissidiis componendis laborat: Iosephum sororium ab uxore Salome consuetudinis cum Mariamne accusatum tollit: Alexandram socrum in vincula conjicit, à quâ apud Cleopatram & Antonium reus cædis Aristobuli & aliorum criminum peractus fuerat. Cleopatra interim apud Antonium sibi obnoxium regulos vicinos accusat, & provincias illorum sibi vindicat, immensæ spei & vasti animi fœmina; partem etiam Iudææ, & multas Syriæ vrbes extorquet Antonio amoribus suis implicito, Herodem tamen regno excutere nequit. Antonium postmodum ad bellum contra Armenios euntem prosecuta Herodem invisit, ei partem Arabiæ & reditus agri Hierichunthini, ubi balsamum pretiosissimum, locat, concubitum etiam Herodis petit, sive libidine, sive astu ut Herodem tolleret. Renuit Herodes, & vix ab amicis repressus, manus ab ejus cæde abstinet. Post Aretæ Arabum Regi tri-

buta neganti bellum infert,& Arabas magno prælio vincit. Repetunt illi aciem in Cælesyriâ,sed malo suo, ingenti denuò clade affecti,quæ ultima gentis fuisset,nisi, proditione Athenionis Ducis Cleopatræ, ex improviso cinctus Herodes utrique exercitui impar, & victoriam & castra amisisset. Instaurato tamen exercitu excursionibus fatigat hostem, post præliis variis atterit, totam gentem subigit, & sibi vectigalem facit. Factum id Iuliano XV. Herodis VII. à posteriore Epochâ. Vincitur intereà ab Octavio Antonius ad Actium Epiri promontorium, pugnâ navali, eodem anno Augusto III. & Messala Coruino Coss. Olympiadis CLXXXVII. anno secundo V.C. Catoniano DCCXXII. Varroniano DCCXXIII. Herodes auditâ Cęsaris victoriâ,& Antonij clade graviter afficitur, nec tamen adhuc deserit Antónium, sed illi suadet vt Cleopatram,velut victimam, Cæsaris & Romanorum iræ objiceret, oblatis ei hâc conditione & pecuniis & copiis suis. Antonio hoc consilium adspernante, ad Cæsaris favorem captandum se convertit,auxiliis Ventidio missis, Hyrcanum tamen Asamonæorum postremum occidit, quanvis jam decrepitum, in speciem, quod, suasu Alexandræ filiæ, mulieris inquietæ, iter ad Arabas moliri voluerit, reverâ, ne illi regni gratia denuò à Romanis fieret. Metuens interim sibi ab Augusto, Pheroræ fratri regni curam committit, & matre ac sorore in arce Masadâ, uxore verò Mariamne, & socru in Alexandrio castro collocatis,Rhodum petit,ut Cæsarem ex Italiâ redeuntem placaret. Rhodum delatus Augustum accedit, sine diademate quidem, regio tamen fastu, & causam pro se confidenter dicit, Antonium de se bene meritum,nec à se desertum, ne post cladem quidem Actiacam, eandem verò sibi fidem erga Augustum constituram, siquidem ejus periculum facere, & se inter suos cooptare vellet. Augustus magnum hominis animum miratus,ei & regnum restituit,& amicitiam spondet,hortatus ut eandem sibi fidem, quam antehac Antonio, præstaret. Factum id Iuliano XVI. anno post prælium Actiacum. Herodes præter spem in regno confirmatus, Cæsarem in Ægyptum euntem omnibus officiis prosequitur, liberalitatem, comitatem, dexteritatem & Cæsari & Romanis ex Ægypto redeuntibus probat, exercitui de commeatu in locis squalidis prospicit, & Cæsarem regio octingentorum talentorum munere donat.

Magnam

Magnam id Herodi existimationem apud Romanos, gratiam etiam apud Cæsarem non vulgarem conciliavit.

Ex Ægypto reversus Herodes familiam invenit turbatam, & Mariamnen simul ac Alexandram matrem haud parum erga se mutatas, tum quod loco munito non securitatis, sed custodiæ causâ se inclusas opinarentur, tum quod intellexissent sævum Herodis mandatum, quod clam Iosepho primùm, & post Alexandrii castri præfectis dederat, iugularent Mariamnen, si quid sævius de se statueret vel Laodiceæ Antonius, vel Rhodi Augustus, ne tantæ pulchritudinis fœmina unquam alienum torum subiret. Nequicquam Herodes blanditias obtendere, uxorem demereri, illa nihil nisi gemitus opponere, & severos vultus prospera de rebus suis narranti. Mater & soror Herodis, gliscentibus iurgiis, non cessavère Herodis animum fodicare, calumniis implere, in Mariamnen exasperare, & paulatim ingentem illum, quo deperibat coniugem, affectum ei expectorare. Cæsar interim, Herodem in Ægyptum sibi occurrentem, & de victoriâ gratulantem arctiùs devincit, & partem Iudææ à Cleopatrâ occupatam, ut & contermina quædam regioni oppida regno ejus addit. Cæsare Antiochiam deducto, ad suos reversus Herodes eosdem vultus in Mariamne reperit. Fœmina illa supra sortem animi ingens, non Herodem tantum fastidire, sed & Salomæ sorori Herodis, & Cypro matri vilitatem generis objectare, Herodi etiam patris & fratris necem. Accessit Salomes sororis dolus, quæ subornato pincernâ, veneficii crimen intentabat Mariamnæ, unde accensus Herodis animus, diu tamen inter amorem & indignationem suspensus, tandem judicum suffragiis oppressam potius quàm criminis convictam occidi iubet Iuliano XVIII. Mortem magni animi fœmina summâ fortitudine excepit, & ingentem sui admirationem reliquit, Herodi verò seram pœnitentiam, mœrorem ingentem, & *inconsolabile vulnus*, ita ut parum abesset, quin in rabiem ageretur. Et sanè non ita diu post hominem non amplius sui compotem ægritudo ingens & tantum non ultimus dies oppressit. Alexandræ Mariamnes matri hinc spes altæ, & studium novandi, sed infaustum. Nuntiatis enim molitionibus illius Herodi, accersitur majestatis, & capite ambitiosa vota luit. Herodes sanitati restitutus, & præter morem efferatus in quosvis pro-

miſcuis cædibus ſæuit , Coſtobarum ſororium ſibi inſidiantem cum conjuratis tollit, Salomes conjugis proditione, quę & contra leges patrias, novo more, marito libellum repudii miſit. Babæ liberi, & quicquid ex Hyrcani cognatione reliquum, exciſum. Gratia apud populum, & virtus propria multis pro crimine erat. Hac ſævitiâ toti genti gravis Herodes paulatim à ſacris Iudæorum recedere, peregrinos ritus miſcere, athletica certamina in Cæſaris honorem inſtituere, theatro Hieroſolymis, amphitheatro in urbis viciniâ exſtructis, & athletis, ludionibus ac feris paſſim conquiſitis. Iudæi patrii moris tenaces, fremere, trophæa Cęſaris ut imagines lege vetitas deteſtari, in caput etiam Herodis conjurare. Sed detecta illorum molitio, & repreſſa. Nec terrore tantùm & ſuppliciis coerciti Iudęi, ſed & novis molibus multis in locis, Samarię maximè, quã Sebaſtē, & ad turrim Stratonis, quam Cæſaream in honorem Auguſti dici voluit, excitatis. Fibulâ hac genti impoſitâ, Herodes principatum ſibi firmat, & libertatem quiduis audendi.

Eodem anno, qui Herodis XIII. (Ioſ. *lib.* XV. *Antiq. cap.* XII.) Iulianus XXI. fame ſimul & peſte vexatur Iudæa, & animi Iudæorum in Herodem, tanquam calamitatum publicarum cauſam, non parum exaſperantur. Herodes ambitione potius, quàm affectu ſupellectilem regiam conflat, & magnâ argenti vi in Ægyptum miſſâ, à Petronio ejus Præſide frumentum conquirit, averſos à ſe Iudæorum animos mitigat, & ſibi gloriam conciliat & famam. Has Herodis curas excepêre aliæ in diſpenſando commeatu, in curandis pauperibus, in ſublevandis Syris vicinis, in ſuppetiis non Ælio Gallo, ut habet Ioſephus, ſed Ælio Largo mittendis, in exſtruendâ & exornandâ regiâ, & magnificentia ſuâ omnibus modis oſtentandâ.

Mox animum adjecit ad novas nuptias, ductâ ob eximiam formam Sacerdotis cujuſdã Simonis filiâ, & ſocero, ne indigna illa, vel ſterilis affinitas foret, ad Pontificatum evecto. Cæſarea quoque magnificis operibus munitur ſimul & ornatur XII. annorum continuâ curâ. Cæſare verò modis omnibus delinito, mittit Romam filios Herodes Alexandrum & Ariſtobulum, in ſpeciem ad obſequia, & cultum Romanum, reverâ ut Auguſtum hac quoque honoris ſpecie demereretur. Nec officia illa vel Auguſto ingrata, vel Herodi infructuoſa. Excipit Cęſar adoleſcentes

lescentes obvia humanitate, Herodi potestatem facit hæredem è filiis scribendi, & regnum illius nova accessione Trachonitidis, Batanææ & Abranitidis auget. Agrippa intereà mittitur in Asiam, Herodes illũ circa Mitylenen invisit, à Gadarenis accusatur, sed accusatores vincti Herodi deduntur. Anno XVII. Herodis, à posteriori Epochâ (*Ios. lib.* XV. *cap.* XIII.) qui Iulianus XXV. Augustus in Syriam trajicit, Herodes denuò à Gadarenis accusatur, sed frustrà. Accusatoribus enim ejus, ob Cæsaris affectum in Herodem de successu desperantibus, & in seipsos sævientibus, absolvitur Herodes à criminibus impactis, & novo beneficio, Zenodori provinciis, ornatur, Augusto simul & Agrippæ gratus, & in impetranda Pheroræ fratri Tetrarchia felix. Deducto Cæsare, templum è candido marmore in honorem ejus ad radices Iordanis exstruit, & Iudæorum animos talibus offensos onerum imminutione placare satagit. Coitionem tamen plebis veritus, conventicula prohibet, quadruplatores subornat, ipse se aliena veste cœtibus miscet, in sui osores severè animadvertit, reliquos terrore, & suppliciis coercet, Pharisæorum tamen & Essæorum institutis indulget ob fatidicas Manaemi Essæi de fortuna sua voces.

Anno XVIII. à primâ Epochâ, XV. à secundâ Templi Hierosolymitani exstructionem molitur, famæ potius & gratiæ populi, quàm pietati suæ operaturus; spondet id publica oratione, & Iudæorum animos magnifico promisso non tã erigit, quã terret, ne veteri destructo impar operi spẽ populi eluderet potius quã impleret. Materiâ tamen summo & studio & sumptu mille plaustris convectâ, decem millibus artificum selectis, & mille sacerdotibus architecturæ gnaris ad opus adhibitis, id animosè aggreditur, Templum à fundamentis saxis immanis magnitudinis instaurat (quæ & Discipuli mirantur *Marc.* XIII. I.) magnificentię Templi prioris æmulus, posterioris contemptor. Octennio ambitus & exteriora, sesquianno adyta præter spem perfecta, nec ullis pluviis diurnis, si *Iosepho* credimus, unquam interrupta. Hinc ingens populi gaudium, summa Herodis admiratio, & in dedicatione Templi plausus & victimæ sine numero.

Populo Iudaico sibi hunc in modum placato, navigat Herodes Romam Augusti causâ & liberorum, & summam ibi

Cæsaris benevolentiam, filiorum verò laudes & spes surgentes magnâ cum voluptate excipit. Iuvenes illi, regiâ formâ, & animo fortunæ pari, in patriam cum Herode reuersi magno quidem applausu à Iudæis excipiuntur: sed & insidiis Salomes & aliorum Mariamnes oppressorum. Matris illi ultionem veriti, rumores in populum spargere, filiorum aversos à patre ob maternam cædem animos iactare, Herodem variis terroribus implere. Duravit tamen ad tempus Herodi affectus in filios, nondum patens tam atrocibus calumniis, & uterque novam affinitatem, patre nuptias conciliante, contrahit, Aristobulus ductâ Berenice Salomes, Alexander Glaphyrâ Archelai Cappadocum Regis filiâ.

Agrippam intereà Iuliano xxx. in Asiam missum, Herodes invitat, venientem omnibus obsequiis & studiis demeretur, abeuntem prosequitur, & exacta hyeme cum classe in Ponto hærentem adit, summam apud eum gratiam init, multis aliis, Iudæis maximè Ionicis Agrippam conciliat, petita impetrat, & libertatem vivendi secundùm patria instituta. Dimisso Agrippâ, Cæsaream Herodes, inde Hierosolymam reversus, & regni sui, Iudæorum etiam suâ operâ felicitatem deprædicans, foris prospera, domi aduersa experitur. Pheroræ enim & Salomes artibus & calumniis petuntur Aristobulus & Alexander, quasi maternæ cædis vindices in Patrem conspirassent. Herodes ferociæ adolescentum compescendæ Antipatrum Dorâ natum in aulam reducit, ratus æmulatione fratris studia illorũ erga se excitanda. Antipatri fortunã suam injuriam ducunt Alexander & Aristobulus, & lacrymis simul ac liberis vocibus Antipatri & sequacium calumnias fovent, æquè ac Herodis indignationem. Dora Antipatri precibus in aulam reducitur, Mariamnes filii deprimuntur, Agrippæ commendatur Antipater, & per Agrippam Cæsari. Antipater quoque in Agrippæ comitatu Romam delatus, & paternarum amicitiarum ibi hæres fit, & gradum sibi struit ad regnum, prensando Cæsarem, & Herodem patrem monendo, caveret sibi à Mariamnes filiis. Pietati hoc dabat Herodes, non arti, adeoque in Aristobulum & Alexandrum iniquior, in utrumque animadvertere constituit, Cæsaris tamen potius quàm suo arbitratu, ne affectus officeret vel juri, vel suæ securitati. Romam itaque navigat cum filiis, &

Cæsa-

Cæsarem Aquilejæ tum hærentem insequitur, ei filios sistit, eósque reos peragit veneficii, & affectati principatus: Pietate & obsequiis in parenté regnum quærendum esse, non malis artibus: Se arbitrum etiam Cæsarem ferre causæ, quam natura, quam jura omnia decidant. Patris oratio singultibus & fletu excepta à filiis, quòd nec decorum esset contra patrem loqui, nec tutum causam suam deserere. Alter tamen ex filiis Alexander ad patrem conversus crimen impactum diluit, sed moderata oratione, & tali, quæ & patrem flecteret & judicem. Affectu itaque Herodis, & Cæsaris æquitate absolvuntur filii. In amplexus ruit Herodes, addit Cæsar monita, ut nullâ re nisi pietate inter se certarent. Herodes, causâ disceptatâ, Augustum ccc. talentis donat, & donatur redituum è metallis Cypriis parte, & libertate etiam vel hæredem ex asse scribendi, vel dividendi regnum pro arbitratu. Antipater fratribus patri conciliatis, ficto schemate, gratulatur, & cum iis in Iudæam redit. In itinere Cappadocum Regem Alexandri socerum in Ciliciâ obvium habent, & ab eo gratulationes, & munera. Herodes redux concionem cogit, filios & aulicos ad concordiam hortatur, Antipatrum regni hæredem pronuntiat, & post illum Mariamnes filios. Sufficere hoc poterat ad æmulationem inter fratres, & turbas secutas. Cæsarea exædificata Olympiadis CXCII. tertio, anno regni XXVIII. (Iosl. *lib.* XVI. *Ant. cap.* IX.) à posteriori nimirum Epochâ, magnificè dedicatur, & quinquennalia instituuntur. Pietati etiam in parentes Herodes operatur, exstructo oppido in Antipatri patris, & castro in matris Cypri honorem. Nec Phasaelo fratri monumenta deesse patitur, nec vicinis gentibus multa beneficentiæ argumenta, quæ præclara quidem, sed fœdata domesticâ sævitiâ. Nimiæ quoque Herodis & supra facultates largitiones eum mox ad scelus perpulêre, ad sepulchri Davidici violationem, Hyrcani exemplo, nec tamen speratum ibi aurum reperit, sed mundum tantùm, & ornamenta regia. Portentis statim ab ulteriore indagine, si Iosepho credimus, prohibitus, sceleri expiando monumentum eximium statuit. Sed nequicquam, justâ Nemesi domum & animum Herodis gravissimis calamitatibus conturbante. Antipatri artes in fratres iteratæ Herodem accendunt. Ille per flabella aulica juvenes opprimere, patrem suspicacem

terrere, ipſe in ſpeciem fratribus patrocinari, juvandæ calumniæ. Acceſſit Salomes verſutia, & vetus in adoleſcentes odium, quæ per filiam Ariſtobuli conjugem liberiores eorum voces & excipiebat, & deferebat ad Regem. Novâ tamen calumniâ Alexandrum in patrem exaſperare niſa, re detectâ, & ipſa Herodi ſuſpecta redditur, & Pheroras frater. Alexander abſolvitur ad tempus, ſed mox aliis artibus petitur. In Eunuchos regios de conſpiratione cum Alexandro tormentis quæritur: Facilè verò tortorum ſævitia exprimebat quod deſiderabatur. Hinc Herodes exacerbatus, & ſuſpicionibus, calumniis, delationibus quotidianis vexatus, urbem cædibus, aulam jurgiis & ſimultatibus, ſe ipſum continuo terrore implet. Fidiſſimis aula interdicta, ob ſuſpiciones leves, & ij remoti Antipatri artibus, quorum authoritas obſtabat ſceleri. Tandem in vincula conjectus Alexander, crimen fatetur, vitæ pertæſus, & ſuorum magis quàm ſui ſtudioſus, in quos quotidianis quæſtionibus ſæviebatur. Sed Archelai Cappadocum Regis ſoceri Alexandri prudentiâ Herodis animus denuò mitigatur, & Iuvenis innocentiæ ſimul & ſecuritati conſulitur. Trachonitæ ſub hæc deficiunt ab Herode, & quanvis repreſſi ab Herodianis, à Syllæo Arabum Duce Herodi ob ſpretam affinitatem parùm æquo, foventur, & Iudæam excurſionibus infeſtant ac Cæleſyriam. Tentato fruſtrà jure, Herodes armis latrocinia ulturus, in Arabas movet, prædones compeſcit, & moderato victoriæ uſu præſidibus Romanis cauſam ſuam probat. Syllæus Romam profugus ſe ſiſtit atratus Cæſari, queſtus Herodis libidine, Arabas innoxios opprimi, regionem diripi, & promiſcuis cædibus in primores gentis ſæviri. Reſcribit Auguſtus exacerbatus ad Herodem, *ſe illo ut amico antehac uſum, poſt uſurum ut ſubdito.* Fruſtrà ille geminâ legatione innocentiam ſuam à Syllæi calumniis vindicat, Oratoribus ejus ne admiſſis quidem in conſpectum Cæſaris. Intereà Euryclis Laconis perfidiâ denuò in Alexandrum armatur Herodes, poſt novis calumniis in utrumque fratrum, Archelao etiam in criminis ſuſpicionem vocato. Nicolaus Damaſcenus ſub hæc Romam profectus, Syllæum Herodis accuſatorem variorum criminum reum peragit, cum primis, decepti Cæſaris. Placatur tandem Herodi Auguſtus, & Syllæum Sycophantam ſceleris damnat. Mox Herodes de
filiis

filiis apud Cæsarem graviter conqueritur, & rescripto Augusti iubetur Beryti concilium cogere cogniturum de causâ filiorum. Paret Herodes, & Iudicibus, quos volebat, convocatis, non tam filios accusat, quàm damnat, nec causam disceptari vult, sed decidi suo arbitratu. Saturnini suffragio absolvuntur juvenes, Volumnii damnantur, cui in Regis gratiam, ne auditis quidem reis, accedunt plerique. Intempestivâ Tironis libertate, & Tryphonis proditione filiorum cædes promovetur, & illi Sebasten ducti patris jussu strangulantur. Antipater iisdem artibus, quibus fratrem oppressit, patrem petit, homo invisus & plebi & militibus, quanvis in rem suam munificus, & summus dissimulandi artifex. Infelix pater filiorum à se jugulatorum liberos, quod unum poterat, curiosè educat, & illis arctâ affinitate Antipatri benevolentiam conciliare satagit. Sed frustrà, prævalente memoriâ præteritorum, & metu futurorum. Præter Antipatrum verò Herodi filii multi alii, & inter illos Antipas & Archelaus ex Samaritide, Herodes & Philippus ex Cleopatrâ Hierosolymitanâ conjugibus. Antipatri major potentia erat, & summa apud Regem gratia, nec minor versutia. Socium ille arcanorum Pheroram habebat, quod nec Salomæ placuit, nec illius indicio, Herodi: Pharisæorum enim, (genere hominum & superbo & factioso) vocibus regnum Pheroræ liberis, quorum matrem sibi obnoxiam habebant, destinabatur. Luerunt capite Pharisæi intempestivam libertatem, & cum illis aulici alij. Postulatur ejusdem criminis Pheroræ vxor, & maritus ab Herode rogatur, res suas sibi habere juberet mulierem fraterna odia excitantem. Renuit Pheroras, mortem potiùs quàm divortium deposcens. Antipatro interea & matri interdicitur Pheroræ consuetudo. Ille pejora veritus, per amicos libertatem à patre Romam concedendi impetrat, munera etiam pro Cæsare, & tabulas, quibus regni hæres, & post illum cognominis patri Herodes scribebatur. Pheroras interea in uxoris amore constans, in Tetrarchiam suam relegatur, & brevi post exspirat. Herodes nec moribundo curam, nec mortuo honorem deesse passus, illi viventi præteritorum pœnitentiam expressit, fraternum verò affectum utrobique omnibus probavit. Mox à duobus libertis uxor Pheroræ veneficij postulatur, & arcana omnia Antipatri ac Pheroræ per tormen-

ta à domesticis & Pheroræ uxore explorantur: Retulit illa Herodi, Non ferre Antipatrum tam seram hæreditatem, venenum paratum in vitam Regis, & diu servatum in ædibus Pheroræ, exustum tandem ob Herodis in fratrem pietatem, exiguam tamen partem à se asseruatam in ultimos usus. Complices criminis nominabantur, præter alios, uxor Herodis, filia Simonis Pontificis, unde illa aulâ ejecta, iste Pontificatu. Antipater omnium illorum ignarus, amicos prensat, & fratres Archelaum & Philippum aliorum literis apud Patrem criminatur, suis absolvit, ut tutiùs noceret. Herodes dissimulatâ irâ cunctantem invitat, rediret maturè, instare sibi ultima. Addebantur querelæ de matre, sed & spes ejus restituendæ in regium torum. Anxius Antipater inter spem & metum à suis ad reditum incitatur. Sebasten delatus nec acclamationibus excipitur, nec solito aulicorum confluxu. Ominosum id visum Antipatro, sed & illud, amicis introitum in regiam negari, sibi soli concedi. Mox ut Herodis conspectum subiit, à complexu ejus repellitur, & reus peragitur non fratricidii tantùm, sed & parricidii, & Quintilius Varus Syriæ præses tum Herodi præsens ad causę cognitionem invitatur. Instrumentis proditionis excussis coràm Varo & Rege, Antipater preces opponit, Rex lacrymas & beneficiorum commemorationem in parricidam filium, cujus artibus infelix pater filiorum sanguine manus cruentasset. Nec tamen defuit frons & animus Antipatro, ille crimen sibi impactum strenuè negare, benevolentiam patris, beneficia, detectas fratrum insidias, spem hęreditatis, Cæsaris litteras, tormentis expressas confessiones objicere. Herodi vix durabat severitas ad filii verba: nec diu constitisset, nisi illa gravi Nicolai Damasceni oratione repressa, & delatorum indiciis revicta, Antipatri quoque confusione & Vari prudentiâ evanuissent. Accedebant novæ ejus in Salomen technæ, quæ hominem jam nutantem planè oppresſêre. Herodes filium vinciri jubet, & in carcere servari, donec de Cæsaris voluntate cognovisset, quam per litteras & internuntios sibi exquirendam judicabat.

Dum ista geruntur, Herodes gravi morbo circà LXX. ætatis annum, *(Iosephus lib.*XVII. *cap.*VIII.*)* corripitur, testamentum condit, filiorum minimum hæredem scribit, Cęsari mille talenta,

ta, Iuliæ & amicis Romæ quingenta legat, filiis & nepotibus pecunias & reditus, Salomę inprimis magna fidei in fratrem pręmia. Invadũt Herodem, cùm morbo, curę, suspiciones, & morositas ingens, quę & novâ molitione aucta. Mox enim, postquam rumor de Regis morbo & conclamata valetudine percrebuit, juvenes quidam à magni nominis Doctoribus Iudâ & Matthiâ animantur ad patriarum legum vindicias, & aquilę aureæ supra majorem templi portam ab Herode suspẽsę demolitionem. Parent illi, & infestam sibi imaginem ipsa meridie revulsam securibus concidunt, sed suo & Doctorum exitio. Comprehensi enim omnes à stipatorum regiorum pręfecto, ad Herodem ducuntur. Increpiti pietatem prętexunt, & leges patrias, parati sanguinem ac vitam pro tam egregio facinore profundere. Herodes illos vinctos mittit Hierichuntem, & primoribus Iudęorum convocatis, lecticâ in concionem delatus, merita sua in totam gentem, labores exhaustos, & templi structuram, opus à nullo Assamonæorum tentatum, commemorat, sed & ingratitudinem gentis, & iniuriam sibi & anathemati sacro illatam. Damnant primores Iudæorum facinus juvenum, metu potius quàm judicio, nec diù post Authores, & complices facinoris vivi exuruntur. Illâ ipsâ nocte Luna deliquium patitur. Interim Herodem occupat morborum examen, lenta febris, voracitas ingens, intestinorum ulcera, inguinum tumor & pedum, phtiriasis, & verendorum putredo, tentigo & fœtor gravis, spasmus & dyspnęa. Iudicii divini illa, non naturę deficientis & effœtæ signa à Iudęis æstimata. Frustrà ille salutem sperare, Medicos accersere, thermis, quę juxta Calliroen pręstantissimæ erant, uti. De salute itaque desperabundus, donativum militibus, munera Ducibus, & amicis destinat, & Hierichuntem reversus atrocissimum facinus molitur. Convocatis enim minaci edicto Iudęorum nobilissimis, iisque in circo conclusis, Salomen & Alexam sororium in hæc verba affatur: Non mortem sibi gravem, quę commune naturæ vectigal, illud verò grave, sine regio, hoc est, publico luctu efferri. Hunc tamen nonnisi sonticâ causâ exprimi posse genti pervicaci, morte nimirum suorum qui in circo conclusi. Supremum hoc pietatis opus sibi fore, siquidem illi, se exspirante, immisso milite jugulentur. Sic totam gentem in luctu, & funus suum in honóre futurum. Immane

hoc Tyranni infamis mandatum assensu quidem exceptum à proximis, sed in gratiam ejus ficto. Adferuntur intereà literę Româ, Cæsarem jus suum Herodi integrum in Antipatrum filium relinquere, & optionem sive exilio, sive morte mulctandi parricidam. Pars infelicitatis erat patri, Cęsaris beneficium. Non dubium ergo, quin ad dolores corporis altus mœror accesserit, & ex eo desperatio, & conatus se ipsum jugulandi, quod brevi post palàm cultello tentavit. Repressus tamen hominis infelicis impetus ab Achiabo nepote ictui prævertenti. Conatus ille non Herodi, sed Antipatro exitii causa. Cùm enim ingens inde trepidatio in aula oboriretur, Antipater ratus Herodem exspirasse, & lessum duci defuncto, in novas spes erectus cũ Commentariense magnificis promissis de sui liberatione agit. Fidus tamen ille in obsequio erga Regem, promissa Antipatri non spernit tantùm, sed & defert. Herodes Antipatri scelere audito, furit, in caput proprium sævit, & satelliti cuidam ex adstantibus imperat, ut confestim & spes & jugulum Antipatri præcideret, & corpus obscuro funere conderet. Hunc finem habuit homo ex dolis & sceleribus consutus, & publici odii victima. Nec alio exitu manibus fratrum per scelus oppressorum litari potuit.

Exinde testamentum Herodis mutatum, regnum in Archelaum ab Antipâ translatum, Antipas Galilææ, Philippus Trachonitidis, Gaulonitidis, Bataneæ & Paneadis Tetrarchæ designati, Salomæ sorori legata Iamnia, Azotum, & Phasaelis, & argenti signati vis ingens. Prospectum quoque cognatis & aulicis. Cæsari, Iuliæ, & amicis aliis argento & supellectile regiâ amicitia Herodis obsignata. Vltimum hunc Tyranni actum excepit tandem dies ultimus, qui quintus ab Antipatri cęde, anno à posteriori regni Epochâ XXXIV. à priori XXXVII. secundum Iosephum.

Fusiùs Herodis vita à nobis ex Iosepho inserta, non tam quia mira & varia, sed & quia hinc Historiæ Evangelicę & lux accedit & confirmatio ab homine Iudęo, de sanguinario Herodis animo, & successoribus Archelao, Antipa, Philippo, & aliis id genus, quorum in sacris mentio. Maximè quia de anno emortuali optimè judicari potest ex circumstantiis vitę. Quod an so-

an solidè hoc loco fieri possit, per suffragia Authorum nobis disquirendum. Quæ cura restat.

XVIII. In constituendâ verò Epochâ mortis Herodis, quo anno obierit, ingens quoque occurrit sententiarum varietas apud Scriptores & veteres & recentes. 1. *Eusebius* mortem Herodis conjicit, secundum *Arn. Pontacum*, in annum XLVII. Augusti, quartum Olympiadis CXCV. Abrahami MMXX. qui Iulianus XLIX. V. C. Capitolinus DCCLVI. Varronianus DCCLVII. In Eusebio Scaligeri græco conjicitur quidem mors Herodis in XLVII. Augusti, Olympiadis CXCV. quartū, Consulatum Ælij & Sentij. In versione verò Eus. Chron. Hieronymi, in XLVI. Augusti Olympiadis CXCV. tertium. Codicum insignem diversitatem super charactere mortis Herodis vide apud *Pontacum* in notis ad Chronicon Eusebij. Manifestus sanè error in utraque Eusebii supputatione, necessarius tamen, principio enim malè constituto non potuit non vitium idem hærere in fine, ἀναχρονισμὸς nimirum sex vel septem annorum. Et cum constet ex Iosepho, & Scriptoribus aliis. 1. Archelaum novem annis post Herodem imperasse. 2. Archelaum relegatum LI. Iuliano, qui Herodis mors in XLIX. Iulianum conjici potest, quin septennio solido truncetur principatus Archelai? *Scaliger* lib. V. de Emendat. Temp. rectè Eusebium hallucinatum observat in excessu Herodis consignando, mirum verò Virum illustrem addere, annum Olympiadicum quartum Olympiadis CXCV. inivisse à diebus æstivis anni Iuliani LI. Herodem ergo decessisse anno Iuliano LII. cum quartus ille Olympiadicus inivert demū à diebus æstivis XLIX. Iuliani. 2. Præter Eusebium inter veteres *Epiphanius* graviter quoque hallucinatur in anno emortuali Herodis consignando, Hær. LI. Alogorum, & necessariò quoque, ex principio malè assignato, ut suprà ostendimus. Confert enim annum regni Herodis XXXIII. cum Iuliano XLIV. referendus ergo erit excessus Herodis, ex sententia Epiphanii, in Iulianū XLVIII. principio hoc posito, Herodem XXXVII. annis regnasse, quod apud Iosephum reperitur. Cum verò annuum tantum διάστημα sit inter opinionem Eusebii & Epiphanii, iisdem absurdis uterque urgeri potest. Epiphanium sequi videtur *Nicephorus* lib. I. cap. XIV. Hist. Eccles. cùm enim Herodis obitū conjiciat in annum

tertium Christi, concurrit is cum XLVIII. Iuliano. Epiphanium sequitur quoque *Genebrardus*, qui Herodis mortem conjicit in III. Christi adeoq; in eundẽ Iulianum. 3. *Novæ veræq; Chronologiæ Author* ulterius descendit, & conjicit annum emortualem Herodis in annum Iulianum LIII. Æræ Dionysianę VII. XXXVII. annis regni Herodis ductis à posteriori Epochâ, Iuliano videlicet IX. & quinque annis exemptis ex fastis, ut supervacuis. Quę opinio & paradoxa, & vitium evidens habet in calculo. Confusionem ejus prolixiorem vide apud *Petavium* lib. XI. de Doctr. Temp. capite III. 4. *Baronii* calculus ob eandem rationem malè assignati principii vitiosus est, cum enim primum Herodis annum conjiciat in Iulianum XV. quo ad Actium pugnatũ, Augusto III. & Messalâ Coss. Olymp. CLXXXVII. anno secundo. Ductis inde XXXVII. annis, mors Herodis incidit necessariò, hoc principio posito, in LI. vel LII. Iulianum, Æræ Dionysianę VI. vel VII. Etsi ipse Baronius, non distinctâ ærâ, quam sequitur, ab ærâ Dionysianâ, referat mortem Herodis ad annũ Ærę Christ. VIII. Augusti XLIX. qui Iulianus LI. Ærę communis VI. adeóque Herodes mortuus fuerit anno ætatis LXVII. (ex hypothesi, illum fuisse XV. annorum Coss. Caleno & Vatinio.) quod plane contrarium Iosepho, qui passim Herodem ferè septuagenarium obiisse docet. Hinc absurda varia educi possunt I. Iosephum novem annis anticipasse obitum Herodis, quod supponit Baronius, non probat. 2. Archelaum relegatum vel ante, vel circa obitum Herodis, tametsi demum anno principatus sui post mortem Herodis exacti IX. finiente vel X. inchoante relegatus fuerit, ut patet ex Iosephi *Antiq. lib.* XVII. *cap.* XV. 3. Ponamus Herodem mortuum cum Baronio circa Iulianum LII. additis novem annis principatus Archelai, relegatus ille statuetur Iuliano LXI. qui V.C. Catonianus DCCLXVIII. Varronianus DCCLXIX. Atqui relegatio illa Archelai facta ab Augusto. Augustus verò, ut constat, obiit Iuliano LIX. Sic ergo biennio post mortẽ suam relegarit Archelaum. Apage tam cruda & febriculosa somnia. In relegatione Archelai Iosephum sibi constare, patet ex collatione Dionis cum Iosepho, uterque enim relegationem illam Archelài factam innuit XXXVII. anno à pugna Actiacâ, adeoque Iuliano LI. Vide Iosephum *lib.* XVIII. *Antiq. cap.* III. & Dionem lib. LV. Nec in Iosepho error, etsi lib. II.

περὶ ἁλώσ. cap. XI. id contigiſſe ſtatuat ἔτει τῆς ἀρχῆς ἐννάτῳ, libro verò XVII. Antiq. cap. XV. δεκάτῳ ἔτει τῆς ἀρχῆς Archelai, ibi enim completum annum intelligit, hîc inchoatum.

5. *Sulpitius Severus* Sacræ Hiſt. lib. II. inquit, Herodem poſt nativitatem Domini regnaſſe annos quatuor, cum verò idem Sulpitius conjiciat natalem Chriſti in Conſulatum Sabini & Rufini, annus emortualis Herodis incidet, ex mente Sulpitij, non, ut vult *Torniellus*, in annum Chriſti V. ſed potius in primum, Coſſ. C. Iul. Cæſare & Æmilio Paulo, adeóque in annum Iulianum XLVI. Olymp. CXCV. primum. Relegatio Archelai, quæ contigit Iuliano LI. nono anno in principatu completo, eandē ſupputationem erroris convincit, ut alia prætermittamus. 6. *Annii* etiam commentum, qui XL. annos Herodi aſſignat, XXXIV. violenti, VI. legitimi regni, jam pridem exploſum fuit à viris eruditis, maximè à Scaligero lib. V. de Emend. Temp. 7. *Scaliger* Herodem deceſſiſſe judicat Iuliano XLV. novem menſibus ante natalem Dionyſianū, ante Niſan, Cyclo Lunæ XIX. exacto I. ineunte Solis IX. quod demonſtrare ſatagit ex defectione Lunari, quam contigiſſe vult tempore morbi Herodis, menſe Ianuario. Scaligeri ſententiam prolixè impugnant & *Kepplerus* in Syl. Chronol. & in Eclogis Chronicis, & *Petavius* lib. XI. de Doctr. Tēp. cap. IV. Probat pluribus Kepplerus Eclipſin Lunæ totalem quæ contigit inter VIII. & IX. Ianuarii, Iuliano XLV. ex ſententiâ Scaligeri, incommodè adhiberi, & ſubſtituit aliam quæ contigit Iuliano XLII. quam probat ſolam debere intelligi, dum Ioſephus teſtatur Herodem eſſe mortuum inter plenilunium Eclipticum & paſchale. 8. *Calviſius* quoque contendit Herodem mortuum vel Iuliano XLIV. Cyclo Lunæ XIX. finiente, vel cyclo primo ineunte Iuliano XLV. cum Scaligero, quò magis propendet ob characterem Eclipſeως. Sed eadem Calviſio quæ Scaligero opponi poſſunt: & 1. ſemper regnum Herodis protrahitur ultra XXXVII. annos à primâ Epochâ Herodis à Ioſepho indicatâ, & ultra XXXIV. annos à ſecundâ. Et ſanè Calviſius parum ſibi conſtare videtur, modò enim vult Herodem non regnaſſe niſi XXXVII. & XXXIV. annis, modò XXXVIII. & XXXV. opus unum vel alterum falſum eſſe, modò Herodē Cyclo XIX. ineunte, modo finiente & I. incipiente mortuum. 2. Eclipſi, quâ cōſignat mortē Herodis, opponi poteſt alia,

O

quæ immediatè mortem Herodis antecessit. 3. Fatetur Calvisius, numeros apud Iosephum non respondere huic charactери, sive Iosephi, sive librariorum vitio. 4. Supponit Calvisius sine probatione, necessariò sequi, Christum natũ Cyclo Lunæ XVIII. Solis VII. potuit enim nasci Cyclo Lunæ XVII. Solis VI. etiam admissâ Epochâ annorum Herodis, & anno illo emortuali, quem ipse Calvisius ponit. Quid obstat etiam, quominus natus dicatur Cyclis antecedentibus, etsi rectè probetur, non potuisse Christum nasci secundum Æram Dionysianam, si Herodes ante exspiravit? 8. *Sustyga* mortem Herodis conjicit in XLIII. Iulianum, quod etiam admitti non posse probat prolixè Kepplerus. Et sanè alioquin sequeretur, Archelaum octo tantùm annis imperasse, quem tamen anno nono completo vel decimo ineunte relegatum fuisse disertè testatur Iosephus, cum relegatio illa contigerit Iuliano LI. Sic probari potest Iulianum XLII. fuisse primum Philippi, eò quod mors Philippi incidit in XX. Tiberij, secundùm Iosephum, XXXVII. annis in principatu exactis. Cum verò XX. annus Tiberij respondeat LXXVIII. Iuliano, necessariò XLII. Iulianus fuerit primus Philippi, adeoque, hoc Iosephi calculo servato, Herodes mori non potuit Iuliano XLIII.

XIX. Restat sententia *Keppleri*, qui probat argumentis partim Historicis, partim Astronomico, Herodem non potuisse mori tardiùs XLII. Iuliano. *Historica* ducuntur ex iis quæ apud Iosephum, Dionem, Tacitum, Suetonium, aliosque rerũ Romanatum Scriptores reperiuntur 1. De relegatione Archelai. 2. De numero annorum regni Herodis. 3. De successione Philippi. *Astronomicum* ducitur à defectione Lunari, quæ contigit XIII. Martii XLII. Iuliano, quo Luna defecit ad sex digitos in 20. gradu Virginis, horis antelucanis, meridionale latus umbræ terræ transgressa. Hanc Eclipsin à Iosepho notatam vult *Kepplerus* lib. XVII. Antiq. cap. VIII. quando ait, lunam defecisse illâ ipsâ nocte quâ exusti fuêre Iuvenes, ingravescente jam Herodis morbo, & instante obitu. Fatendum sanè, argumenta Historica Keppleri speciosa esse, & solidiora iis quæ ab aliis adferuntur, non apodictica tamen, ob ἐνστάσεις varias, quibus ex Scriptoribus Romanis & Iosepho ipso urgeri videntur, de quibus vide disceptationes Epistolicas Calvisii & Keppleri in

Eclo-

Eclogis Chronicis. Argumentum *Keppleri* Aſtronomicum minus validum videtur, cum Eclipſis illa partialis tantùm fuerit, quæ contigit Iuliano XLII. illa verò quæ contigit XLIV. Iuliano, totalis, adeoque commemoranda potiùs Ioſepho quàm partialis altera. Adde Kepplerum, ex plerorũque ſententia, urgeri graviſſimè loco *Luc.* III. de anno Chriſti triceſimo collato cum XV. Tiberii, qui reſpondet, ſecundum Calviſium, LXXIV. Iuliano, veriùs LXXIII. ſi enim Herodes mortuus Iuliano XLII. Chriſtus illo vivente in lucem editus ad minimum XLI. Iuliano natus ſtatuetur, adeoque Iuliano LXXIII. annorum fuerit non triginta circiter, ut habet Lucas, ſed triginta trium. Quid de hac objectione, quam Calviſius & alii nectunt, ſit ſtatuendum, liquebit ex Examine *Dubii* VI. *Kepplerus* quinetiam ex geſtis Herodis infert, Herodem mortuum Iuliano XLII. multa tamen gratis aſſumit, quæ nondum ita firmata quin in dubium vocari poſſint, tempora enim à XXXVIII. Iuliano pro arbitrio & ex coniecturâ tantum partitur pag. 19. & 20. *Sylvæ Chronologicæ. Petavius* in Keppleri ſententiam de morte Herodis non obſcurè propendet ex Ioſephi & Dionis fide, parum ſui memor, adeoque abſurdè alibi Æram Dionyſianam defendi poſſe ſuſpicatur, quî enim XLV. Iuliano Chriſtus naſci potuit, quod ſupponit Æra vulgaris, ſi triennio ante Herodes diem obiit, quo tamen adhuc vivente Chriſtum natum S. Scriptura docet?

Prolixiùs à nobis inquiſitum in annum emortualem Herodis, non ob Herodem, cujus memoria ob actus poſtremos maximè infamis, ſed ob argumentum quod ex hoc charactere à pleriſque Chronologis nectitur, qui contendunt, Chriſtum hoc vel illo anno natum, eò quod Herodes hoc vel illo anno obierit. Atqui infirma illa & parum certa hypotheſis, in tanto Authorum & opinionum conflictu, cum nondum conſtet quo anno Herodes obierit. Veriſſimum ergo, quod ad *Dubium primum* à nobis dictum, incertum eſſe hunc characterem, & laxum admodum, adeoque & illationem de natali Chriſti, quæ ex eo ducitur, τὸ γὰρ συμπέρασμα ἕπεται τῇ χείρονι προτάσει, vt docet *Philoſophus.*

XX. Ponamus verò etiam, quod falſum, annum emortualem Herodis certò conſtare, nec dum tamen res confecta

fuerit, donec probetur, quo anno regni Herodis Christus natus fuerit, quod ipsum quoque ex sacris Scriptoribus demonstrari nequit, qui quidem Herode vivente & regnante Christum natum docent, annum verò regni nusquam circumscribunt. Siquidem jam probemus, Chronologos & Scriptores plerosque & veteres & recentes gravissimè etiam super hac quæstione inter se confligere, nec quicquam certi super eâ re haberi posse, utique sanè invicta erit sententia nostra, ex charactere Herodis certum annum natalitium concludi non posse, quod quidem paucis demonstrandum, quæ *altera pars* hujus Diatribes. 1. *Eusebius* contendit Christum natum anno Herodis XXXII. 2. *Epiphanius* Hær. LI. Alogorum & *Sulpitius Severus* libro secundo, anno XXXIII. 3. *Beda* anno XXXI. libro de sex ætatibus Mundi. 4. *Onuphrius Panuinius* anno XXXVI. quæ & *Scaligeri* sententia lib. V. de Emendat. Temp. & *Keppleri* Sylv. Chron. pag. 33. 5. *Baronius* anno XXIX. inchoato §. CXVII. in Apparatu ad Annal. Ecclesiasticos. 6. *Lutherus* anno XXX. 7. *Torniellus* anno XXXVII. quæ & *Calvisii*, *Helvici* & *Alstedij* Virorum CL. sententia, ut alios prætermittam, qui in alia omnia adhuc eunt. *Pererius* absolutè negat Comment. in Danielem lib. XI. tria hæc conciliari posse, imò unum ab altero everti. 1. Herodem iniisse regnum Olympiade CLXXXIV. secundùm Iosephum. 2. regnasse Herodem tantùm XXXVII. annis. 3. Regnante Herode Christum natum. Vnde concludit, si nec principium nec diuturnitas regni Herodis planè constet, nec sanè, quoto regni ejus anno Christus natus sit, omninò exploratum & compertum esse posse.

Ex his inferimus, ex charactere Herodis ab Evangelistis indicato annum natalitium Christi certò demonstrari non posse I. Quia Scriptores sacri nec regni Herodiani periodum figunt, nec notât, quoto anno regni Herodis Christus natus fuerit, vel quantum temporis Herodes Christo præcisè supervixerit. 2. Quia Epocha annorum Herodis apud Iosephum intricata est, nec obitus Herodis certo charactere consignatur, neque ætas Herodis præcisè definitur, sed circũscribitur terminis indefinitis, illum σχεδὸν ἐτῶν ἑβδομήκοντα & περὶ ἔτος ἑβδομηκοστὸν decessisse. Adde, tametsi Iosephus sibi planè constaret in Historiâ Herodianâ, & Epilogismi illius conciliari possent cum Historia sacra,

quod

quod multis viris eruditis perquam difficile, imò impoſſibile videtur, conſtat tamen Ioſephi codices depravatiſſimos eſſe, librariorum potiùs & temporum injuriâ, quàm Ioſephi: quod Viri eruditi multi, qui vel codices Ioſephi cõtulerunt, vel alioquin de temporibus diſputarunt, fateri coguntur. Vide *Caſaubonum Exerc.* I. XXXIV. Num. XCIX. Et ſanè proclive nobis foret catalogum texere variorum errorum, & mendorum, quæ in Ioſepho occurrunt, ſiue Ioſephus cum Scriptura Sacra, ſive cum Hiſtoria Romana, ſive cum ſe ipſo comparetur. 3. Quia tanta lis inter Chronologos & veteres & recentes, tum de periodo Regni Herodiani, ejus initio, duratione & fine intercedit, tum quia tantopere à ſe diſcedunt Chronologi in figendo certo anno Herodis quo Chriſtus natus fuerit. Et ſanè cùm Ioſephus diverſis illis ſententiis occaſionem præbeat, nec Scriptores Sacri litem decidant, nec aliunde lux ſuppetat, mirum non eſt tantam diverſitatem hîc reperiri, & alios contendere Herodem ſupervixiſſe Chriſto bimeſtre, alios trimeſtre, alios annum, alios biennium, alios triennium, alios etiam quadriennium, *Baronium* etiam octennium; alios XXXVII. annos regno Herodis aſſignare à primâ renuntiatione cum Ioſepho, alios XXXVIII. alios quod facit *Scaliger*, XXXIX. Incertum ergo, quidquid ſuper hac re vulgò diſputatur, præter pauca quæ certos characteres habent, de quibus in ſuperioribus actum. Deſignatio verò præciſa anni Herodis quo Chriſtus natus, & ejus connexio cum annis ſive Olympiadicis, ſive Iulianis, ſive Auguſtalibus κεῖται ἐν ἀποκρύφοις. Meâ tamen ſententiâ, maximè ad veritatem accedere videtur ſententia *Keppleri*, & minoribus incommodis urgeri poſſe, qui Herodem obiiſſe contendit XLII. Iuliano, ſiquidem collatio accurata Hiſtoriæ Ioſephi cum Hiſtoriâ Romanâ inſtituatur, unde Æræ Dionyſianæ vitium quidem argui poteſt, certus tamen adhuc annus natalis Chriſti deſignari non poteſt, quia poſitâ etiam & admiſsâ hypotheſi illâ mortis Herodis, non liquet an Chriſtus natus fuerit vel XLII. Iuliano, paucis ante mortem Herodis menſibus, vel XLI. primo, vel etiam XL. Concludimus ergo, quod initio hujus Diſſertationis dictum, incertum eſſe characterem à Chronologis vulgò petitum ab annis regni Herodis, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

DVBIVM III.

An ex notatione Imperii Augusti, & census Cyrenij *Luc.*II.I.2. certa anni natalitii Christi designatio haberi possit?

EXAMEN.

Decisio Quæstionis. Rationes. Intricata Præsidum Syriæ series. Diversi illorum Catalogi. Causa. Ἔνστασις. Eusebii, Piscatoris & Barradæ *error.* Ἀπογραφὴ *Lucæ alia ab* ἀπογραφῇ *Iosephi. Discrimen utriusque multiplex. Cyrenii nomenclatura varia, laus, vituperatio.* Salmeronis *error.* Chrysostomi *observatio. Distinctio* ἀπογραφῆς & ἀποτιμήσεως. *Causæ, cur Lucæ* ἀπογραφὴ *sine* ἀποτιμήσει. Ὁμωνυμία ἀπογραφῆς. *Vsus ejus & latitudo. Quid Lex censualis, Census, Censitor, Peræquator, Censitus, Professio.* Ἀπογράφεσθαι, ἀπογεγραμμένοι Heb. *XII.* 23. οἱ γραμματεῖς III. Macc.IV. R. Abraham *nugæ.* Διάστημα *inter descriptionem Lucæ & Iosephi. Character posterioris apud Iosephum. Quid* πᾶσα οἰκουμένη? Syrus *Interpres laudatus. Fastus Romanorum perstrictus. Illustratio phrasium & locorum similium,* Matth.XXIV.14. Act.XI.28. Apoc.III.10.XII.9.XVI.14. Matth.XXVI.13. Marc. XIV.9. Rom.I.8. Apoc.XIII.3. Gen.XLI.57. Es. XIII.5. I.Ioh.II.2. *Animadversio Authoris.*

Secun-

Secundæ descriptionis mentio, Act.v.37. σύγκρισις *illius cum descriptione Iosephi. Error* Salmeronis, Cornelii à Lapide *&* Lorini. Syri *Interpretis distinctio proba. Confirmatio* ἀπογραφῆς *Lucæ ex Iosepho. Descriptio alia Æ*thici. *Discrimen ejus à descriptione Lucæ.* Scaliger *laudatus.* Baronius *vindicatus, & notatus. Erudita* Casauboni *animadversio. Descriptio* Dionis *diversa à descriptione Lucæ. Duplex character diversus, rei & temporis.* παρέργημα Chemnitii *duplex. Occasio posterioris.* Suidæ *descriptio indefinita. Conclusio.*

I. L*ACONI* cuidam illa oratio optima visa, quæ brevissima, fortè & Lectori ex Diatribis nostris, quæ talis. Et reverâ χάρις βραχεῖαν ὀπηδεῖ. Ἀκριβολογία paucis, pluribus βραχυλογία placet. Compendium ergo operæ facturi, & superiorum Diatribarum fastidium Lectori abstersuri, in pauca contrahemus, quæ super hoc Dubio prolixiùs à nobis aliquando concepta fuêre.

II. *Dubium* itaque propositum verbo expedimus, nec hunc characterem annum natalitium Christi definire. Rationes ex multis hæ sunt. 1. Quia designatio Imperii Augusti vaga est & indefinita, & intra latitudinem LVII. annorum, quibus Augustus imperavit. 2. Quia notatio ἡγεμονίας Cyrenii, & ἀπογραφῆς Cyrenio præside factæ, tum obscura est, tum laxa. Res enim notatur, non tempus rei, & res quæ plurium annorum esse potuit, non unius tantùm. 3. Quia nulli Scriptores hic præeunt, nec ἀπογραφῆς illius vel Iosephus meminit, vel Scriptores Romani. Quî ergo connecti poterit hic character cum annis sive Augustalibus, sive Olympiadicis? quî ad certum annum Vrbis, ad certos Consules alligari? Coniecturis hîc indulgere, est κοσκίνῳ μαντεύεσθαι. Licebit tamen, modò illæ intra

genus suum coerceantur, & conjecturæ maneant. 4. Quia Præsidum & Procuratorum Syriæ nomen clatura & series intricata est apud Iosephum, hiulca apud Appianum, Dionem, Tacitum, & alios rerum Romanarum Scriptores, adeoque de Cyrenii & præfecturâ & censu, quomodo cum tempore natalitio connecti debeant, dubitatio ingens. *Salmeronis*, *Baronii*, *Casauboni*, *Montacutii*, & aliorum, qui Catalogum illorum contexuerunt, pugnæ ad probationem sufficiunt. Nec parum rem totam involvunt, cum laxitas vocis ἡγεμόνος, tum promiscuus ejus usus apud Iosephum, qui modò Præsidibus provinciarum, modò Procuratoribus, modò Legatis Imperatorum id nominis tribuit, ita ut vix sæpe gradus illi communi appellatione expressi distingui possint.

III. Non dissimulandum tamen, fuisse olim inter Veteres, esse inter recentes, qui existimârint, non Cyrenii nomen tantùm, sed & ἀπογραφὴν, de quâ Lucas, reperiri apud *Iosephum* Antiq. lib. XVII. cap. XV. & lib. XVIII. cap. I. eámque diserto temporis charactere signari *cap.* III. contigisse enim τριακοστῷ καὶ ἑβδόμῳ ἔτει μετὰ τὴν Ἀντωνίου ἐν ἀκτίῳ ἧτταν, ὑπὸ Καίσαρος, adeoque facile posse alligari Epochis aliis. Inter illos est *Eusebius* Histor. Eccl. cap. V. lib. V. Ταύτης δὲ τῆς κατὰ Κυρηνίου ἀπογραφῆς, καὶ ὁ τῶν παρ' Ἑβραίοις ἐπισημότατος ἱστορικῶν Φλάυιος Ἰώσηππος μνημονεύει. Inter istos ex nostris est vir CL. *Ioh. Piscator*, in Schol. in cap. II. Lucæ, ex Adversariis *Seb. Barradas* lib. VIII. cap. VIII. etsi addat, in περιστάσει temporis deceptum Iosephum.

IV. Notandum verò, *describentem* quidem eundem esse, & apud Lucam, & apud Iosephum, *descriptionem* tamen diversam. 1. Ratione *causæ impulsivæ*. 2. Ratione *formæ*. 3. Ratione *finis*. 4. Ratione *temporis*. 5. Ratione *latitudinis*. 6. Ratione *successus*. Describentem eundem esse, nihil obstat, quem *Iosephus* Κυρήνιον, vocat, ut Lucas, *Strabo* Κυρίνιον, *Tacitus* Quirinium, *Suetonius* in Tiberio, & cum eo *Onuphrius* Quirinum, *Valla* Cyrenæum, sed sine auctore veteri, *Syrus* Interpres קורינוס *Kurinum*. Quirinius iste à Iosepho commendatur *lib.* XVII. *Ant. cap.* XV. & *lib.* XVIII. *cap.* I. ut ἀνὴρ ὑπατικός, τάς τε ἄλλας ἀρχὰς ἐπιτετελεκώς, καὶ διὰ πασῶν ὁδεύσας, ὕπατος γενέσθαι, τά τε ἄλλα ἀξιώματι μέγας. A *Tacito* laudatur simul & perstringitur, Annal. III. laudatur, ut *impiger militiæ, & acribus ministeriis Consulatum sub Divo Augusto, mox*

expugna-

expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus, datúsque rector C. Cæsari Armeniam obtinenti: Notatur verò etiam *ob obscurissimam domum, intenta Lepidæ pericula, dictum ei repudium, sordidámque* & *præpotentem senectam.* Tiberius sanè hæredipeta, qui vivum coluit ut divitem & orbum, ut mors ejus publicis exsequiis frequentaretur, à Senatu petiit, etsi aliis haut læta Quirinii memoria fuisse dicatur. Consulatus P. Sulpitii Quirinii meminit *Dio* lib. LIV. qui incidit in annum Vrbis Varronianum DCCXLII. qui connectitur cum Iuliano XXXIV. Olympiadis CXCII. primo, Collegâ M. Valerio Messalâ. *Strabo* lib. XII. Geogr. Homonadensium expugnationem eidem cum Tacito tribuit. Cum ergo de nullo Quirinio alio apud veteres mentio reperiatur, causæ nihil est cur *Salmero* Tract. XXXII. Tom. III. Quirinium, de quo Iosephus, alium esse à Cyrenio, de quo Lucas, statuat. Rationes illius evincunt quidem *descriptionem* esse aliam, *describentem* alium non item. Prius admittimus, non posterius.

V. Ἀπογραφὰς illas diversissimas esse probatur, *primò* à *causâ impulsivâ* utriusque. *Prioris* ἀπογραφῆς causa *aperta*, sive curiositas, sive ambitio Augusti, sive utraque conjunctim: *occulta*, quam notat *Chrysostomus* Homil. VIII. in Matth. providentia divina, ut sic ancillaretur Augustus τῷ ἐν Βηθλεὲμ τόκῳ διὰ τοῦ προστάγματος τῆς ἀπογραφῆς. *Posterioris* ἀπογραφῆς causa, Iudæorum criminationes, Augusti indignatio, & Archelai tum depositio tum relegatio.

VI. *Secundum* discrimen petitur à *formâ* utriusque. *Prior* erat ἀπογραφὴ mera, *posterior* ἀποτίμησις: illa capitum, ista οὐσιῶν: illa sine capitatione, ista cum eâ. Vnde in posterioris descriptione Iosephus utitur quidem eadem voce ἀπογραφῆς *lib.* XVIII. *cap.* I. sed non solâ, præmittit enim disertè, Cyrenium fuisse missum τιμητὴν τῶν οὐσιῶν γενησόμενον, & ἀποτιμησόμενον τὰς οὐσίας. In *priori*, sub quâ Christus natus, capite tantùm censos fuisse Iudæos, absq; δασμολογίᾳ, vel census pecuniarii exactione, duplici argumento colligi posse videtur, & utroque probabili satis I. quia ex Lucâ constat, non in suâ quemque urbe vel vico censum fuisse, ubi bonorum cuiusque æstimatio exacta iniri poterat, sed in urbe, unde vel familiæ origo, vel quæ regionis caput. Et hoc est quod innuit Lucas tum verbis illis, quemque

profectum fuiſſe εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν, tum exemplo Ioſephi, aſcendentis ex urbe Nazareth in urbem David, quæ Bethlehem. Sive ergo Nazarethanus fuerit civis Ioſephus , ſive potius tractus Bethlehemitici incola, & ſub tempus cenſus promulgati, occaſione ſponſæ, in Nazareth, certum tamen , eum non fuiſſe cenſum in loco , cujus incola erat, cum ipſi fuerit ibi ſtabulandum ἐν τῷ καταλύματι. *Luc.* II. 7. 2. Quia cenſus ille actus Herode adhuc vivente , ſub quo Iudæa non legitur Romanorum cenſui fuiſſe obnoxia , aut à Romanis ἀποτιμηθεῖσα, tametſi ab Herode ſæpe pro cenſu munera demerendo Cæſari mitterentur. In *poſteriori* verò ἀπογραφῇ facultates fuiſſe deſcriptas, & cenſum bonorum actum, liquet ex Ioſepho, Herode jam exſtincto, & Iudæâ in provinciæ formam redactâ , quod notat diſertè Ioſephus, τῆς Ἀρχελάου χώρας ὑποτελοῦς προσνεμηθείσης τῇ Συρίᾳ, *lib.* XVII. *cap.* XV. Sic in breviario *lib.* XVIII. Quirinium miſſum fuiſſe τιμητὴν Συρίας καὶ Ἰουδαίας, μεταπεσούσης τῆς Ἰουδαίας ἐκ βασιλείας εἰς ἐπαρχίαν; Vnde & Quirinius dicitur veniſſe in Iudæam , προσθήκην τῆς Συρίας γενομένην. Sic *Dio* lib. LV. loquens de Archelao trans Alpes relegato , inquit , καὶ τὸ μέρος τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐδημοσιώθη.

VII. Fatendum cæteroquin , vocem ipſam ἀπογραφῆς & ὁμώνυμον eſſe, & laxam admodum , & interdum quidem contradiſtingui τῇ ἀποτιμήσει, interdum eâ vel deſignare, vel includere, ſaltem ex conſequenti, ſive τελικῶς, quia deſcriptionem ſequebatur ſæpe capitatio, vel ideò illa inſtituebatur, ut cenſus ageretur, & vtrumque tributum ſolveretur, quod vocant Iuriſconſulti, & *ſoli*, & *capitis*. Et ſanè in ἀπογραφῇ ſæpe tria conjunctim exigebantur. 1. Profeſſio ſubiectionis. 2. Solutio cenſus. 3. Relatio capitum & facultatum in tabulas cenſuales. Et *Lege cenſuali*, cui obnoxii erant qui jus civitatis Romanæ non habebant , cogebantur ſinguli profiteri, non tantum quot capita in familiâ, ſed & quot terræ jugera, quot ſervi, qui lacus, quæ ſalinæ, qui inquilini vel coloni , & alia id genus , & de omnibus ſolvendus erat cenſus. Ἀπογραφὴ alioquin apud Græcos Scriptores ſumitur, interdum *formaliter* pro ipſo actu deſcribendi, partiendi, digerendi quid in certos ordines , & referendi in breviarium aliquod vel ephemeridem : interdum *materialiter* vel *objective* pro tabulis, ephemeridibus, commentario, breviario, rationario, inventa-

ventario, in quod aliquid relatum est. Sic כתב & מכתב Hebræorum. Sic *census* pro *Scripturâ* apud Iurisconsultos. *Dig. lib.* XLIV. *Tit.* XV. §. IV. *Formâ censuali cavetur, ut agri sic in censum referantur* &c. Exempla apud *Budæum* videri possunt. *Glossarium* ἀπογραφὴ *census, professio,* ἀπογράφομαι *censeor, profiteor:* ἀπογραφεὺς *censor,* melius *censitor,* τιμητὴς, qui quandoque Iurisconsultis *Peræquator* ἐξισωτὴς, *Censitoris* correlatũ *Censitus*. Census Principis est, professio subditorum, utrumque κηνσικὸν, & Iurisconsultis vsitatum, vide *titulum* prædictum XV. de *censibus*. *Suidas,* ἀπογραφὴ, Descriptio: In tabulas relatio: Enumeratio: Census. Item actionis & judicii genus, si quis negabat se habere τι τῶν τῆς πόλεως, ἀπογραφῆς ἐκρίνετο, ὡς οὐκ ὀρθῶς γεγενημένης τῆς ἀπογραφῆς. Ἀπογραφὴν etiam *Suidas* interpretatur ἀπαρίθμησιν. *Syrus* utitur voce formatâ מכתבנותא quæ responderet τῇ ἀπογραφῇ. *Esth.* X. I. vbi in Hebræo וישם מם *& imposuit tributum,* LXX. simpliciter vertunt ἔγραψε δὲ ὁ βασιλεὺς, &c. Cæteroquin verbum ἀπογράφεσθαι non occurrit in N. Testamento, extra hoc argumentum, nisi *Hebr.* XII. 23. ubi filii Dei dicuntur ἀπογεγραμμένοι ἐν οὐρανοῖς, allusione dubio procul ad librum vitæ, & verba Christi *Luc.* X. 20. Gaudete ὅτι τὰ ὀνόματα ὑμῶν ἐγράφη ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

VIII. *Tertium* discrimen inter descriptionem Lucæ & Iosephi petitur à *fine diverso*. *Prioris finis* erat, vel ostentatio potentiæ Romanæ, & amplitudinis imperij, vel ejusdem securitas, ut breuiario confecto constaret, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciæ, quæ singularum vires, qui capitum numerus, sive apud gentes socias, sive apud obnoxias Romanis foret adeoque qui delectus haberi, quæ capitatio exigi, urgente necessitate, posset: Quin &, quæ in provinciis pubes, adeoque quas à re Romanorum foret vel milite nudari, vel premi, ne vires nimiæ fastidium servitutis, & studium novandi, excusso Romanorum jugo, parerent. *Posterioris* ἀπογραφῆς *finis*, partim χρηματισμὸς & ærarii fartura, sive ex Archelai facultatibus, sive ex Syrorum & Iudæorum pecuniis, partim institutum Iudæos commonefaciendi mutatæ conditionis, Iudæam in provinciæ formam redactam, Syriæ attributam, nec à propriis amplius Principibus, sed à Præsidibus Romanis regendam. Quale quid, quanvis multò severius, contigisse dici-

tur sub Ptolemæo Philopatore *Macc.lib.*III.*cap.*IV. vbi ἀπογραφῆς Iudæorum mentio, & describentes Iudæos vocantur *οἱ γραμματεῖς*, actuarii nimirum publici, quales dubio procul multi sub Quirinio. R. *Abraham* in Cabbalâ Historicâ nugatur, priori descriptione universæ terræ tributum æris impositum, ut fluvius Tyberis pontibus & tabulis æreis consterneretur ad viginti milliaria.

IX. *Quartum* discrimen petitur à *tempore diverso*, quo utraque descriptio contigit. *Prior* facta Herode vivente, ex collatione *Matth.*II.1. *Luc.*II.2. *Posterior* novennio completo, decennio inchoato à morte Herodis, Archelao jam Viennam Galliæ relegato. Διάστημα ergo ad minimum decennii inter utramque ἀπογραφὴν. Christus etiam Archelao adhuc regnante non tantùm jam natus fuerat, sed & redux ex Ægypto *Matth.*II.12. Iosephus quoque disertè notat *lib.*XVIII. *Antiq. cap.*III. ἀποτιμήσεις illas peractas fuisse τριακοστῷ καὶ ἑβδόμῳ ἔτει μετὰ τὴν Ἀντωνίου ἐν Ἀκτίῳ ἧτταν. Siquidem XXXVII. annis illis à victoriâ Actiacâ ductis addantur anni XIV. quibus Iosephus statuit Augustum regnasse ante victoriam Actiacam, collegâ Antonio, hæc descriptio conjicienda erit, secundùm Iosephum, in annum LI. Augusti, veriùs in L. vel XLIX. saltem, annum Vrbis Varronianum DCCLIX. annum Æræ Dionysianæ VI. Iulianum LI. Olympiadis CXCVI. secundum Cycl. Sol. XV. Lunæ VII.

X. *Quintum* discrimen petimus *à latitudine* utriusque ἀπογραφῆς. *Prior universalis* erat & œcumenica, ἐξῆλθε δόγμα &c. ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, hoc est, ut bene *Syrus* habet כלה עמא דאוחדנה *universum populum imperij eius*, ut rectè observat CL. *Lud. de Dieu*, potiùs quàm *possessionis eius*, ex usu vocis אוחדנא: etsi enim derivationem habeat ab אחזה Hebræorum, significationem tamen non habet. *Vniversalis* itaque erat ἀπογραφὴ prior; non ἁπλῶς, sed κατά τι & συγκριτικῶς. Intelligendus enim orbis Romanus, non totus, qui nunquam Romanis obnoxius fuit. Nec dubium, illis ipsis verbis Spiritum S. & indicare voluisse, & perstringere fastum Romanorum, qui putabant πᾶσαν οἰκουμένην sibi obnoxiam esse, & fortè ejusmodi quid in edicto Imperatoris super descriptione illâ indicabatur. Cautè etiam & per σύγκρισιν accipiendæ sæpè universales ejus-

ejusmodi *Matth.* XXIV. 14. prædicatum iri Evangelium istud ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ, famem futuram ἐφ' ὅλην τὴν οἰκουμένην, *Act.* XI. 28. sic *Apocal.* III. 10. XII. 9. XVI. 14. sic sæpe ὅλος ὁ κόσμος, ὅλη ἡ γῆ, πάντα τὰ ἔθνη. v. g. *Matth.* XXVI. 13. *Marc.* XIV. 9. *Rom.* I. 8. fidem Romanorum annuntiari ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ *Apoc.* XIII. 3. ex Hebraismo noto. Sic כל הארץ *Omnis terra* dicitur venisse in Ægyptum *Gen.* XLI. 57. eadem Phrasis pro Babylonia *Es.* XIII. 5. Sic phrases παράλληλοι כל משפחות האדמה כל גויי הארץ *omnes familiæ, omnes nationes terræ*, quæ passim occurrunt. Sine causâ ergo multi phrases ejusmodi vexant, & torquent præter scopum Spiritus Sancti, v. g. 1. *Ioh.* II. 2. & aliis id genus locis, ubi & universalitatem absolutam urgent non habitâ ratione Hebraismi, ἀντιθέσεως œconomiæ Veteris & Novi Testamenti, & nomenclaturæ Ecclesiæ collectæ ex gentibus quibusvis in mundo dispersis, & contra distinctæ Iudæis, ut solutiones alias hic non attingamus. *Posterior* descriptio *particularis* erat, nec attingebat nisi Syriam, maximè Iudæam, & Archelai domum, facultates, ἐθναρχίαν, quod *Iosephus* disertè testatur in fine libr. XVII. Antiq. & initio XVIII. ἀποτιμησόμενος τὰ ἐν Συρίᾳ, καὶ τὸν Ἀρχελάου ἀποδωσόμενος οἶκον. Item, ἐπὶ Συρίας παρῆν ὑπὸ Καίσαρος, δικαιοδότης τοῦ ἔθνους ἀπεσταλμένος, καὶ τιμητὴς τῶν οὐσιῶν γενησόμενος. Item, ἀποτιμησόμενός τε αὐτῶν τὰς οὐσίας, καὶ ἀποδωσόμενος τὰ Ἀρχελάου χρήματα. Hoc discrimen à multis urgetur, velut palmarium, quod conjunctum quidem cum aliis vim habet, solum tamen non item, quia Quirinio provincia Syriam & Iudæam censendi obtingere poterat, aliis alia, quod aliâs factum notat *Dio lib.* LVI. ab Augusto, ἔπεμψεν ἄλλους ἄλλῃ τά τε τῶν ἰδιωτῶν καὶ τῶν πόλεων κτήματα ἀπογραψομένους. Sic *Suidas* in voce ἀπογραφή. ὁ δὲ Καῖσαρ Αὔγουστος μοναρχήσας εἴκοσιν ἄνδρας τοὺς ἀρίστους τὸν βίον, καὶ τὸν τρόπον ἐπιλεξάμενος, ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν τῶν ὑπηκόων ἐξέπεμψε, δι' ὧν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο τῶν τε ἀνθρώπων καὶ τῶν οὐσιῶν, αὐτάρκη τινὰ προστάξας τῷ δημοσίῳ μοῖραν ἐκ τούτων εἰσφέρεσθαι.

XI. *Sextum* discrimen & ultimum peti potest à *successu* diverso utriusque ἀπογραφῆς. Diversa enim ἑπόμενα utriusque. *Prior* descriptio sine tumultu peracta, in Iudæa saltem. Testatur hoc *Lucas* II. 3. *Ibant omnes ut describerentur in sua quisque urbe.* *Posterior* non sine Iudæorum murmure primò, quanvis repressо authoritate Ioazari Pontificis. *lib.* XVIII. *Antiq. cap.* I.

Erupit tamen in nervum gentis pervicacia, per Iudam Gaulanitem, qui, ut Iosephus ibidem docet, solicitabat Iudæos ad defectionem, inquiens, ἀποτίμησιν illam servitutem esse non ferendam genti liberæ, libertatem fortitudine asserendam, & cum illa pristinam felicitatem, ac benedictionem numinis. Pronis hæc auribus hausta à Iudæis. Hinc seditio, deprædationes, latrocinia, & Iudæa fœdata ἐμφυλίοις σφαγαῖς.

Secundæ hujus ἀπογραφῆς, adeoque & tempestatis, quæ eam excepit, meminit disertè Gamaliel *Act.* v.37. *Post hunc*, inquit, *exortus est Iudas ille Galilæus* ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς, *& avertit populum multum.* Falluntur itaque *Alph. Salmero, Cornelius à Lapide, & Lorinus*, qui censum illum de quo in Actis, eundem arbitrantur cum censu, de quo Lucas *cap.* II. cum sola mentio Iudæ Galilæi, & seditionis ab eo excitatæ sufficiat ad σύγκρισιν & ἀπόδειξιν, de secundâ descriptione agi in Actis, de quâ Iosephus, non de primâ, de quâ Lucas. Etsi verò Iudas ille Galilæus Lucæ, Gaulonites Iosepho dicatur, in eo parum situm, quia eo ipso Galilæus erat, quo Gaulonites, prius nomen Lucæ à totâ regione, posterius Iosephi à certo tractu in Galilæa. Vnde & à Iosepho vocatur disertè ἀνὴρ γαλιλαῖος περὶ ἁλώσεως *lib.* II. *cap.* XII. *Syrus* egregiè distinguit inter utramque ἀπογραφὴν, dum secundam, de qua *Act.* v. notat factam בכסף רישא *in argento capitationis*, hoc est, fuisse ἀπογραφὴν conjunctam cum ἀποτιμήσει τῶν οὐσιῶν, vel δασμολογίᾳ.

XII. Tametsi verò ex tot differentiis certum sit, aliam esse ἀπογραφὴν, de quâ Lucas II.2. aliam, de quâ Iosephus locis allegatis, nec characterem temporis, quo signatur apud Iosephum lib. XVIII. *Antiq. cap.* III. XXXVII. nimirum annum à pugnâ Actiacâ, posse aptari descriptioni quæ incidit in Natalem Christi, adeoque nec designationi anni Natalitii, quod nobis erat demonstrandum, tantum tamen abest, ut inde quicquam decedat veritati Evangelicæ, ut hinc etiam argumentum firmissimum duci possit eidem asserendæ, quod non immeritò à Viris eruditis observatum. Eo ipso enim quo Lucas ἀπογραφὴν, quæ contigit tempore natalis Christi ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου, vocat πρώτην, satis innuere videtur aliam sequutam fuisse δευτέραν, eodem præside, quam χρῆσιν explet Lucas *Act.* v.

XIII. Fatemur cæteroquin, etiam aliarum descriptionum meminisse Authores quosdam priscos, sed quæ nec ipsæ conveniunt cum ἀπογραφῇ de qua Lucas cap. II. 1. 2. Talis est, 1. illa cujus Æthicus meminit initio libri sui, cum repugnet & res ipsa, & character temporis, quod demonstrat *Ios. Scaliger* in eruditissimis prolegomenis in libros de Emendatione Temporum, ubi docet descriptionem, de qua Æthicus, mandatam fuisse agri mensoribus & Geometris, ἀπογραφὴν de qua Lucas, rationalibus, illâ orbis mensuram σταδιασμοῖς καὶ βηματισμοῖς, istâ census & facultates in tabulas relatas fuisse, adeoque tantum differre vtramque quantum decempedam, & tabulas censuales. Character etiam Temporis diversus, cum cœperit descriptio de quâ Æthicus, ab anno cædis Cæsaris, & absoluta fuerit XII. annis ante Epocham Dionysianam. Rectissimè omnia illa, id tamen candidè notamus, in eo Virum Illustrem Baronio vim facere, dum addit, Annalium Scriptorem adjicere, descriptionem illam eandem esse, de qua & Æthicus loquitur & Lucas. Atqui distinguit utramque Baronius §. XCVII. in Appar. ad Ann. & disertè inquit, aliam quidem fuisse ab hac, & descriptionem Geometricam, sed quæ huic haud parum conferret, eamque absolutam fuisse ante Christum natum anno decimo: Dimensis ita & distinctis Romani Imperii prouinciis, ciuitatibus, & locorum limitibus, faciliorem aditum patuisse ad descriptionem, de quâ Lucas in natali Christi. Meritò verò notatur idem Baronius ibidem loci ab Eruditissimo *Casaubono*, ob παρερμηνείαν & malè intellectam phrasin Plinianam, *Augustum ab universa mortalitate in hac censura nuncupari*, *censuram* nimirum poni pro *censu*, ut *posituram*, *paraturam* pro *positu*, *paratu*, &c. 2. Alia etiam est descriptio de qua *Dio* libro LVI. quæ instituta sub Augusto, Coss. L. Munatio & C. Silio, quorum Consulatus incidit in annum Augusti LVI. à cæde Cæs. Iulianum LVIII. Olympiadis CXCVIII. primum. V. C. Varronianum DCCLXVI. Cycl. Sol. XXII. Lun. XIV. adeoque in annum Æræ Dionysianæ communis XIII. Repugnant enim denuò, & *res* ipsa, & *character temporis*. *Res* enim diversissima. Narrat istic loci *Dio*, vigesimæ pensionem ab Augusto imperatam gravem visam omnibus, Augustum ergo misso in Senatum li-

bello, petiisse à Patribus, inirent rationem aliam cogendæ pecuniæ in necessarios Reip. vsus, non vt abrogaretur prior, sed vt ab aliorum asperitate commendaretur. Re disceptatâ in Senatu, & mediis quibusdam ostensis, transtulisse Augustum τὴν συντέλειαν in agros & domos, καὶ παραχρῆμα, inquit Dio, μηδὲν εἰπὼν, μήθ' ὅσον μήθ' ὅπως αὐτὸ δώσουσιν, ἔπεμψεν ἄλλους ἄλλῃ, τά τε τῶν ἰδιωτῶν καὶ τὰ τῶν πόλεων κτήματα ἀπογραψομένους, vt cum singuli maius dispendium vererentur, vigesimæ pensionem pro compendio haberent, quod & eventu comprobatum. Alia ergo hæc ἀπογραφὴ, & ratione *causæ impulsivæ*, & ratione *finis*. *Temporis character* quinetiam diversus est, Consulatus enim Munatii & Silii, quo ἀπογραφὴ illa signatur à Dione, incidit demum in annum XIII. Æræ Dionysianæ communis, adeoque septennio posterior est etiam descriptione secundâ, institutâ in Syriâ & Iudæâ à Quirinio. Errat itaque *Chemnitius* eruditus alioquin Interpres, *Harm. Evang.* cap. VIII. dum ait, videri sibi istam Lucæ ἀπογραφὴν, de quâ, cap. II. eandem cum illâ quam Dio describat in Augusto. Diversitatem ostendimus, tametsi verbum ἀπογράφεσθαι, quod commune, retineat ibidem Dio. Falsum etiam, quod addit, Dionem in quintum decimum Imperii Augusti descriptionem illam rejicere, nec enim annus Augustalis indicatur à Dione disertè, & repugnat character Consularis ab eodem notatus istic loci, qui concurrit demum cum LVI. Augustali à cæde Cæsaris. Id verò decepit virum eruditum, quod *Dio* ibidem habet, Munatio & Silio Coss. Augustũ invitum accepisse προστασίαν τῶν κοινῶν τὴν δεκέτιν, τὴν πέμπτην, h.e. iis Coss. suscepisse Augustum quintùm h.e. quintâ vice, administrationem Reip. in decennium. 3. Descriptio quin etiam, quam *Suidâs* ait sub Augusto contigisse, ut suprà notatum, indefinita est, & sine certo temporis charactere, nec hominum tantùm, sed & οὐσιῶν, & cum mandato μοῖραν αὐτάρκη bonorum inferendi in ærarium, quale quid, ob rationes suprà allatas, non videtur exactum in ἀπογραφῇ de quâ Lucas *cap.* II. Cum ergo nulla lux à Scriptoribus priscis nobis affulgeat certo tempore signandi ἀπογραφὴν illam Lucæ, concludimus, ex hoc charactere certam anni natalitii designationem haberi non posse, quod erat demonstrandum.

DVBIVM IV.

Quomodo & quo ſenſu ἀπογραφὴ, Præſide Syriæ Cyrenio facta, vocetur πρώτη? *Luc.* 11.2.

EXAMEN.

Cauſæ ambigendi. Tempus ſubactæ Judææ à Romanis. Judæi ſæpe emuncti. P. Comeſtoris *gloſſa iocularis, vt &* Lyrani. Emanuelis Sa παρόραμα. *Alia gloſſa* Comeſtoris. Guidonis Perpiniani *nugæ.* Ambroſii *gloſſa myſtica. Interpretationes ſolidiores phraſεως Lucæ.* Syrus *Interpres laudatus. Diſcrimen huius* ἀπογραφῆς *à cenſu ordinario. Error* Comeſtoris. Bedæ, Oroſii, Comeſtoris *&* Lyrani *obſervationes.*

I. VIDERI poſſet hoc Dubium οὐκ ἄξιον ψόφου δακτύλων Habet tamen vnde Lectorem pium moretur. Nec deſunt, quæ hîc à profanis urgeri ſpecioſè poſſint. Diſcutienda illa partim ad ἐξήγησιν textus ſacri, partim ad ἔλεγχον τῶν ἔξωθεν.

II. Lucas inquit, illam ἀπογραφὴν, in quam natalis Chriſti incidit, fuiſſe πρώτην. Atqui præceſſerat alia ſexaginta tribus annis ante Æram Dionyſianam communem, ſub Pompejo nimirum M. à quo primùm ſubacta Iudæa, Hieroſolyma occupata, Iudæi vectigales redditi, Ariſtobulo vincto cum filiis & filiabus Romam ducto, & Syriâ in provinciæ formam redactâ. Quod factum Coſſ. Cicerone & Antonio, anno V.C. Varroniano DCXCI. Olympiadis CLXXIX. anno ſecundo. Adde, Ioſephum jugi Iudæorum cervicibus tum temporis impoſiti à Pompeio expreſsè meminiſſe lib. XIV. cap. VIII. Τὰ μὲν Ἱεροσόλυμα, inquit, ὑποτελῆ φόρου Ῥωμαίοις ἐποίησεν. Et paulò poſt, πλείω ἢ

μύρια τάλαντα Ρωμαῖοι ἐν βραχεῖ χρόνῳ παρ' ἡμῶν εἰσεπράξαντο. Gemina refert Cicero Oratione pro Flacco. Nec dubium, ab eo tempore, ab aliis Syriæ partim præſidibus, partim ἐπιτρόποις, Scauro, Gabinio, Craſſo, Caſſio, Bibulo, eorumq; ſucceſſoribus, ante ἀπογραφὴν illam, Iudæos ſæpe cenſos, deſcriptos, & argento emunctos fuiſſe. De Gabinio res certa eſt ex Dione lib. XXXIX. de Caſſio ex Ioſepho libro XIV. cap. XVIII. à quo ſeptingenta talenta à Iudæis expreſſa. Quomodo ergo ἀπογραφὴ illa ſub Auguſto vocari poteſt πρώτη?

III. Hiſtoriæ Scholaſticæ Magiſter *Petrus Comeſtor* ſic dictus, ſecundùm aliquos, joculari Monachorum dicterio, quaſi gurges & helluo S. Scripturæ, quod illam velut comediſſe videretur, Chryſippéum hîc acumen oſtendit; inquiens, deſcriptionem illam primam dici, quod Cyrinus Syriæ præſes cœperit deſcribere primus, inter præſides videlicet alios: & hujus rei rationem ſubtilem reddit homo argutus, Syriam in umbilico Zonæ habitabilis eſſe, adeoque proviſum fuiſſe ut in ea deſcriptio inchoaretur, perſequenda ab aliis, inde ergo cœptam deſcriptionem. Mirum, *Emanueli Sa* Doctori Theologo ſtramentitiam ejuſmodi gloſſam probatam, & dignam habitam quæ Scholiis allineretur. Sic *Lyranus*, Syriam eſſe in medio orbis habitabilis, & ideo ibi fuiſſe inchoatam iſtam deſcriptionem, ut inde denuntiaretur fieri in aliis provinciis circulariter. Vnde *Comeſtori* & *Lyrano* innotuit, Quirinio imperatum vt inchoaret, eúmque aliis prævertiſſe, & ab eo cœptam deſcriptionem? Quæ hujus ſanctionis probatio, ex quibus tabulis hauſta? Cucurbitis hoc obtrudi poterit, non hominibus ſani capitis. Annon potius probabile, ibi cœptam deſcriptionem, unde emanavit reſcriptum Imperatoris, & in provinciis Romæ conterminis id negotii confectum, antequam quicquam tale in Syria tentari potuerit. Nec multò melior ultima gloſſa quam habet *Comeſtor* Hiſtoriæ Evangelicæ capitulo quarto, fortè *primam deſcriptionem capitum* in civitate factam fuiſſe à præſide, *ſecundam civitatum* in regione à Legato Cæſaris, *tertiam regionum* in Vrbe coram Cæſare. Inane etiam hoc εὕρημα, & conjectura febrilis.

IV. Nec felicior *Guido Perpinianus* in nodo hoc diſſolvendo, qui obſervatione ſecundâ Deſcriptionem hanc *pri-*

mam

mam dici innuit, quod in Syriâ prius facta fuerit à Cyrenio, quàm in Iudæâ vel Galilęâ. Frigidum hoc primò & jejunum, ſecundò precarium & ἄγραφον. Nec enim de eo vel conſtat, vel verbum apud Lucam, ubi cepta fuerit deſcriptio, ubi continuata.

V. *Ambroſii* gloſſa quoque parùm ſolida, qui myſticum ſenſum hinc exſculpit, *primam* dici *profeſſionem non temporum, ſed mentium, cui omnes profitentur*, &c. Comm. in Luc. lib. II. cap. II. Nihil tale vel Lucæ dictum, vel cogitatum. Nec attinet hîc ἀλληγορεῖν, ubi ſolidis & claris rationibus locus eſt.

VI. Reſpondendum itaque potius cum viris aliis eruditis, varias dari poſſe cauſas, cur ἀπογραφὴ illa vocetur πρώτη à Lucâ. Talem videlicet dici, 1. Ratione *deſcribentis*, non enim vocari ἁπλῶς πρώτην, ſed κατά τι, reſpectu nimirum Cyrenii, unde cavendus *Elenchus* παρὰ διαίρεσιν, nec conjuncta diſiungenda. Verba Lucę ſunt, πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Expreſſit hoc *Syrus* Interpres, *Hæc deſcriptio prima fuit*, inquit, בהגמנותא דקורינוס *in præfecturâ Quirinii.* Modò ergo non præceſſerit alia à Quirinio inſtituta, hęc deſcriptio meritò vocari poteſt πρώτη, ſupple ἐπὶ Κυρηνίου. 2. Ita dicitur *ratione* σχέσεως ad δευτέραν, quæ ſecuta ſub Quirinio, Archelao relegato, & Iudæâ in provinciæ formam redactâ, de quâ & Lucas *Act.* v. & *Ioſephus* initio lib. XVIII. ut ſuprà oſtenſum. 3. *Prima* etiam vocari poteſt ratione *formæ*, neque enim fuit cenſus ordinarius, vel tributi cujuſdam conſueti exactio, ſive penſitatio, ſed deſcriptio extraordinaria, cum confectione tabularum cenſualium, per cenſitorem peculiari imperio ad id inſtructum. Nihil obſtat ergo vectigalem jam ante fuiſſe Romanis Iudęam, emunctam etiam ſæpius à Pompeio, Gabinio, Caſſio & aliis. Satis aliâ fuiſſe rationem hujus ἀπογραφῆς, ut dici poſſit *prima*, nec verò legimus, unquam antea vel deſcriptionem ejuſmodi factam in Iudęâ à Romanis, vel tabulas cenſuales confectas. Fallitur enim *Comeſtor* loco citato, ubi inquit, *hîc primùm Iudæam factam fuiſſe ſtipendiariam Romanis.* 4. *Prima* etiam dici poteſt, ratione *latitudinis*, quia œcumenica fuit & univerſalis, particulares ſępe in variis provincijs inſtitutæ ἀπογραφαὶ, univerſalis non item. Notant rationem hanc & *Beda*, &

P. Orosius. Beda, in Lucæ caput II. *primam esse earum, quæ totum orbem concluserint, quia pleræque partes terrarum sæpe legantur fuisse descriptæ.* Bene hactenus, malè vero quod confundit *Beda* descriptionem Lucę cum descriptione Iosephi. *Orosius* lib. VI. cap. XXI. *Hæc est prima illa clarissimáque professio, quæ Cæsarem omnium principem, Romanósque rerum Dominos sigillatim cunctorum hominum editâ descriptione signavit. In quâ se & ipse, qui cunctos homines fecit, inveniri ascribique inter homines voluit. Quod penitus nunquam ab orbe condito, & ab exordio generis humani, ne Babylonico quidem vel Macedonico, ut non dicam minori cuiquam regno, concessum fuit.* Sic P. Comestor, *fortè primam universalem fuisse, quod aliæ præcesserint particulares.* Idem *Lyranus*, dici primam *quantum ad generales descriptiones orbis, alias fuisse particulares.* II. Reg. (Sam.) XXIV. I. Paralip. XXI. *numerationem populi, & descriptionem à Ioabo mandato Davidis factam.* Adjici potest prioribus descriptio de quâ III. *Macc.* IV. sub Ptolemæo Philopatore. 5. Tandem etiam dici potest, πρώτην adverbialiter sumi posse pro πρῶτον, *primùm*, ad distinctionem initij à continuatione, descriptionem videlicet illam ceptam fuisse præside Syriæ Cyrenio, continuatam postmodùm sub Sentio Saturnino, ut ex sequentibus liquebit. Hoc innuit *Beda* ibidem, dum inquit, *eam primò tunc cœpisse, quando Cyrenius in Syriam missus est.* Et hæc quidem vel singula, vel conjuncta saltem, sufficere possunt verbis Lucæ vindicandis, piis Lectoribus erudiendis, profanis verò convincendis, & demonstrandæ huic veritati, non sine gravi causâ descriptionem illam vocari πρώτην à Luca.

DVBIVM

DVBIVM V.

Quî ἀπογραφὴ illa, de quâ *Lucas* II. 2. fieri potuerit præside Syriæ Cyrenio, & simul Herode regnante? *Matth.* II. 1.

EXAMEN.

Causæ dubitandi. I. Historia Quirinii. II. Catalogus Præsidum Syriæ. III. Ἐναντιοφανὴς *inter Matthæum & Lucam. Conjectura* Bezæ *de mendo in Lucâ.* Ἐπίκρισις *contraria. Romanensium quorundam acerbitas.* Bezæ *candor. Opinio quorundam de mendis in S. Scripturam infartis. Exempla. Conjectura alia* Bezæ *de versu hypobolimæo. Fundamenta conjecturæ.* Beza *vindicatus à criminationibus Adversariorum. Conjectura ejusdem rejecta. Interpretatio nova* Ioannis Hervvardi. *Iudicium de eâ. Vsus vocum* ראשון πρῶτος. *Argumenta opposita conjecturæ* Hervvardi. Calvini *solutio duplex.* Alph. Salmeronis *correctiones in Iosepho. Examen earum.* Baronius *notatus.* Salmeronis ἀνιστορησία *confutata. Periculosa ejusdem licentia. Examen solutionum* Calvini. Παρερμηνεία *verborum Iosephi.* Gelenius *notatus.* Procuratores *in provincias missi ex duplici ordine. Argutia in verbo* ἐγένετο. Salmeronis *solutio alia probabilis. Hallu-*

cinatio ejusdẽ. Baronius *laudatus & notatus. Triplex eius solutio. Iudicium* Casauboni & Montacutii. Ἐπίκρισις *Authoris. Secunda Quirinii præfectura à* Baronio *asserta , rejecta & confutata. Prima* Quirinii *præfectura vindicata. Hallucinationes* Baronii. *Præfecturæ illius explicatio.* Ἐνστάσεις *variæ* Montacutii. *Earum examen.* Casauboni *opinio super præfecturâ Titii defensa. Contradictio* Montacutii. Ἐνστάσεις Casauboni. *Earum examen.* Ὑποφορὰ *alia duplex.* Ἀνθυποφορά. Iosephi *silentium cujus ponderis. Solutio duplex probabilis nodi propositi.* Prior *de duplici Quirinii præfecturâ. Occasio cœptæ & dilatæ* ἀπογραφῆς. Kepplerus *laudatus.* Ἔνστασις Salmeronis. *Responsio. Variæ* λειτουργίαι *Quirinii. Solutio* posterior *de extraordinario Quirinii imperio.* Ἐξήγησις *illius.* Baronius *notatus. Obiectio duplex. Verba Lucæ exposita. Quid* ἡγεμονεύειν, ἡγεμὼν, ἡγεμονία? *Locus* Luc. III. 1. *illustratus.* Syrus *Interpres laudatus. Laxitas nominis* ἡγεμόνος *apud* LXX. *Conjectura Authoris de sensu verborum Lucæ. Probationes. Stricturæ de prima* ἀπογραφῇ *Quirinii in Iosepho. Notatio lapidis* Ancyrani. Suidæ *observatio. Rationes aliæ. Providentiæ divinæ character.* Iustini Martyris *locus illustratus. Conclusio.*

I. EX attritu silicum ignis, ex conflictu rationum veritas. Et ut nube pulsâ clarior it dies, sic discussis argutiis, quibus obscurari videtur veritas cœlestis, erumpit illa potentius, & se altius hominum animis inserit & commendat. Quod itaque alibi à nobis præstitum, id in vindicandâ hac quoque ἀϖιςάσει Historiæ à Luca notatæ præstandum.

II. Quæri potest, nec immeritò, quî Cyrenio Syriæ præside descriptio illa fieri potuerit, & tamen simul Herode vivente? Si enim conferatur Historia sacra cum profanâ, quoad ἡγεμονίαν Cyrenij vel Quirinij, crux figi potest non exigua Lectori pio etiam & sobrio. Sive enim in Historiam Quirinij inquiramus, sive in Historiam Præsidum Syriæ, Quirinius nec Syriæ præfuisse videtur, nec præesse potuisse circa natalem Domini, & Herode vivente.

1. *Historiam Quirinii* quod attinet, testantur Fasti Romani, illum Consulatu functum fuisse unà cum M. Valerio Messalâ anno Vrbis Varroniano DCCXLII. qui Olympiadis CXCII. primus, Iulianus XXXIV. Augustanus à cæde Cæsaris XXXII. XII. annis ante Æram Dionysianam. De tempore repudij missi Lepidæ conjugi, quo anno id factum præcisè, & an à præsente, vel absente Quirinio, id verò incertum. Constat tamen, authore *Tacito*, lib. III. Annalium, Quirinium, absque longâ morâ interjectâ, à Consulatu Ciliciam petiisse, inquit enim, cum *mox*, (à Consulatu nimirum, de quo immediatè ante loquitur) *expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptum, datumq́; rectorem C. Cæsari Armeniam obtinenti.* Non Syriæ ergo, sed Ciliciæ legitur præfuisse à Consulatu Quirinius, nec in Syriam missus, præterquam relegato Archelao, Iuliano LI. Adde C. Cæsarem in Armeniam profectum, demum Coss. Aug. Cæsare XIII. & Plautio Sylvano, Anno Vrbis Varroniano DCCLII. Iuliano XLIV. Rector ei additus primò M. Lollius, secundùm *Dionem*, & *Tacitum*. *Lollius* verò, ut colligitur ex *Velleio Paterculo*, mortem sibi conscivit Anno Vrbis Varroniano DCCLIV. Iuliano XLVI. Æræ Dionysianæ primo, adeoque illo demum anno Quirinius successor dari potuit Lollio. Nullius verò descriptionis mentio, quandiu Herodes in vivis: De Syriæ præfecturâ etiam à Quirinio circa illa tempora administratâ altum silentium.

2. Si Catalogum quoque præſidum Syriæ intuemur, prætermiſſis iis de quibus litigant *Baronius*, *Caſaubonus*, *Montacutius*, *Kepplerus*, & alii, certum eſt, *Sentium Saturninum* circa ultima Herodis tempora præfuiſſe Syriæ, ut qui in Concilio Beryti coacto ſuper cauſa Alexandri & Ariſtobuli filiorum Herodis judex ſedit Iuliano XLI. Vide *Ioſephum* lib. XVI. cap. XVII. Saturnino ſucceſſorem datum *Quintilium Varum* expreſsè docet Ioſephus lib. XVII. cap. VII. ἐτύγχανεν δὲ, inquit, ἐν Ἱεροσολύμοις κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν Οὐάρος Κυϊντίλλιος, διάδοχος μὲν Σατορνίνῳ τῆς ἐν Συρίᾳ ἀρχῆς ἀπεσταλμένος, quem etiam Herodes molitionum Antipatri & ἀκροατὴν & δικαστὴν eſſe voluit, quod factum circa Iulianum XLII. non ita diu ante obitum Herodis. Varo demum ſubmiſſum Quirinium, Archelao relegato, liquet ex fine libri XVII. & initio libri XVIII. Nullus ergo locus eſſe videtur Quirinio inter præſides Syriæ, Herode regnante, nam Varum Herodi etiam ſuperſtitem fuiſſe, & ſub Archelai ἐθναρχίᾳ adhuc Syriæ præfuiſſe, patet ex Ioſepho lib. XVII. cap. XII. Vbi legimus Varum ſeditionem Iudæorum contra Sabinum ἐπιτρόπον ſub Archelao concitatam extinxiſſe, ſeditioſis ſublatis, & Hieroſolymis præſidio Romano coercitis. Quî itaque character Matthæi & Lucæ ſibi conſtabunt, dum Matthæus Herode vivente, Lucas Quirinio Syriæ præſide Chriſtum natum contendunt?

III. Hoc *Dubium* exercere poteſt & fatigare Lectorem attentum etiam & pium. Æquum itaque ut diſpiciamus, quâ ratione ei occurri poſſit. Pro methodi verò noſtræ, quam utiliſſimam cenſemus, inſtituto, falſas ſolutiones à veris, ſpecioſas à ſolidioribus diſtinguemus, cauſis judicii noſtri, ſed compendio, quantum per argumenti difficultatem fieri poterit, adjectis.

Conjecêre quidam jam olim, è quibus primus Doctiſſimus Interpres *Beza*, Lucam hîc in mendo cubare, Librariorum vel falſariorum vitio, nec legendum ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, ſed Κυϊντιλλίου. Deſignatum enim hoc nomine à ſacro Scriptore *Quintilium Varum* ſucceſſorem Sentio Saturnino datum in præfecturâ Syriæ, paulò ante obitum Herodis.

IV. Huic ſolutioni, ſpecioſæ cæteroquin & argutæ repugnant, 1. Authoritas Codicum, vel omnium, vel plerorumque ſaltem. 2. Interpres Syrus antiquiſſimus qui expreſsè habet

bet בהגמנותא דקורינום *in* vel *ſub Præfecturâ* aut *gubernatione Kurini.* 3. Patres & Scriptores veteres, quibus Quirinius conſtanter lectus, non Quintilius. 4. Religio, quæ debetur Codicibus ſacris, in quibus nihil temerè inducendum vel expungendum. Nec eſt quod eo nomine Bezam flagellent Pontificij, quod multi ex illis faciunt, tum quia id conjectatum tantùm ab Interprete erudito, non aſſertum, tum quia retractatum in curis poſterioribus. Adde, multis magni nominis Interpretibus, piis etiam & eruditis, viſum, integritatem ſacrorum Codicum illibatam quidem manſiſſe in iis, quæ οὐσιώδη & neceſſaria ad fidem, irrepſiſſe tamen σφάλματα quædam in numeros & nomina, divinâ providentia id & permittente & dirigente, ad exercendam fidem ſimul & diligentiam noſtram, quandoquidem in talibus nec fidei, nec ſalutis cardo vertitur. Tale quid in hypobolimæo *Kainan* Catalogo majorum Christi inſerto accidere potuiſſe, conjecimus *Dubiorum parte primâ, Dubio* XXIII. *Caſaubonus* multa talia à Patribus notata congerit Exerc. I. ad App. XXVIII. Vide etiam *Iacobum Cappellum* virũ CL. ſuper ἀπορίαις S. Scripturæ in Hiſt. ſacrâ & exoticâ ad A.M. 1689. Nec deſunt viri celebres inter Pontificios, qui obelum & ſpongiam parârunt in diverſa loca. *Kainan* expunctus à multis *Luc.* III. *Ieremias* Matth. XXVII. 7. *Abrahamus* ab aliis *Act.* VII. 16. & ſubſtitutus Iacobus, verſus integer ferè refictus à *Maldonato Matth.* I. 11. ab eodem σφάλμα notatum in articulo τῶν Κέδρων. *Ioh.* XVIII. 1. De quibus omnibus ſuo loco.

V. Aliter verò nodum hunc incidendum exiſtimârunt alij, ſuſpicati è margine in textum irrepſiſſe, ſive per errorem, ſive per fraudem, integrum verſum ſecundum parentheſi ſignatum, (αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου.) Hoc etiam à *Bezâ* conjectatum olim, in prioribus curis. Videtur conjecturæ illi inde momentum aliquod accedere. 1. quod ſenſus plenus, & connexio integra ſit, hoc verſu etiam expuncto. 2. Quod *Tertullianus* non Quirinii, ſed Saturnini meminerit, quando de illâ ἀπογραφῇ loquitur, adeoque ejuſmodi Codice uſus fuiſſe videatur, in quo ἀπογραφῆς tantùm mentio, Cyrenij non item, nec enim probabile, Lucæ alioquin diſertè contradicturum fuiſſe Scriptorem eximium. 3. Addi

potest, verba illa potuisse ad marginem notari à Lectore pio etiam, sed temporum parum gnaro, occasione eorum, quæ de descriptione sub Quirinio tempore Archelai instituta habet *Iosephus*, initio lib. XVIII. Antiquitatum, adeoque hinc fortè in contextũ Lucæ infarta fuisse, sive à sciolis, sive à falsariis, ut Lucas committeretur cum Matthæo super natali Christi, & sic utriusque αὐθεντία periclitaretur. Dici satis non potest, quantopere à *Salmerone*, Tom. III. Tract. XXXII. & *Baronio* §. LXXXI. in Apparatu, aliisque ob hanc conjecturam proscindatur Beza, & cum eo tota Novatorum, quos vocant, Natio. Quasi nihil tale à summis etiam viris inter Patres, imò à magni nominis Doctoribus inter suos unquam conjectatum fuerit: quasi *Bezâ* reo omnes rei: quasi omnes Interpretes nostri hîc Bezam secuti fuerint, vel in verba Bezæ iurarint. Satis verò Bezam absolvunt, verborum, quibus utitur, modestia, aliorum exempla, loci difficultas, connexionis, etiam verbo hoc expuncto, integritas, cumprimis verò δεύτεραι φροντίδες, in quibus, conjecturâ illâ dispunctâ & prætermissâ, solutiones aliæ & commodiores quidem quæsitæ, & Lectori communicatæ fuêre, indices candoris & eruditionis Bezanæ. Est ergo hæc Ἀργεῖα φορὰ, in famam eruditi Interpretis & manes etiam, quod multi hodiéque faciunt, invadere, ob conjecturam, & conjecturam retractatam. Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι. Norunt etiam eruditi, quid de versibus quibusdam S. Scripturæ à veteribus, imò quid de integrâ Historiâ adulteræ *Ioh.* VIII. à multis sit judicatum. Cæteroquin liberè profiteor, solutionem illam, utut ingeniosam & argutam, parum commodam mihi videri, 1. Quia contraria est Codicibus priscis, Syro Interpreti, Patribus, in quibus expressa Cyrenij mentio. 2. Quia violenta est & periculosa. 3. Quia non necessaria est, & præstò sunt solutiones aliæ, quæ, verbis Lucæ salvis, rem decidunt.

VI. Placuit hîc quibusdam Viris eruditis à novâ verborum interpretatione σοφὸν φάρμακον petere, quasi Lucas ἀπογραφὴν illam dicat fuisse πρώτην ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, hoc est, προτέραν, vel πρότερον ἢ ἡγεμονεύειν Κυρήνιον, descriptionem illam *primam* fuisse, hoc est, priorem præfecturâ Cyrenii, prius factam quàm Syriæ preses esset Cyrenius, positivâ voce accepta pro comparativa, vel nomine pro adverbio. Prolixus est

eſt *Ioannes Hervvardus* in ſententia illa adſtruenda magna exemplorum farragine. Notat *Caſaubonus* multis annis ante Hervvardum id ipſum à *Ioſepho Scaligero* fuiſſe obſervatum. Exerc. I. XXXII. *Kepplero εὕρημα* hoc valde arridet in *Eclogis Chronicis*. Dubium non eſt, exempla multa id genus reperiri apud Scriptores & exoticos & ſacros, *in theſi*, ubi poſitiva ponuntur pro comparativis, nomina pro adverbiis: *in hypotheſi*, ubi πρῶτος pro πρότερος, (quod in N. Teſtamento frequens) ex Hebraiſmo, prout ראשון & ראשנים æquè ac alia, pro comparativis ſæpe in V. Teſtamento accipiuntur: interdum etiam ſignificatione adverbiali, unde & à LXX. Interpretibus redduntur promiſcuè ſive nominaliter, ſive adverbialiter per πρῶτος πρότερος, πρότερον. Fatendũ etiam, integræ phraſeωs & cõſtructionis hujus exẽpla hoc ſenſu reperiri apud Scriptores Græcos, qualia quędã appoſitè cõgerit *Hervvardus*, etſi miſceat alia multa ἀλλόκοτα & ἀπροσδιόνυσα. Interim tamẽ hoc interpretamentum neutiquam admittendum hoc loco cenſemus, ut ſubtilius quàm ſolidius. Opponimus illi 1. *authoritates*. 2. *rationes*. 1. *Authoritates* ſunt, *primò Syri* Interpretis, cujus verba קדמיתא הות בהגמנותא דקורינוס *prima fuit in* vel *ſub præfectura Cyrenij* hanc expoſitionem non ferunt: *ſecundò* Patrum & Scriptorum veterum, qui in hęc verba ſunt commentati, quibus nihil tale unquam in textu Lucę ſuboluit, ſed verba illa plano & ſimplici ſenſu accepta. 2. Addimus *rationem* duplicem, unam *Grammaticam*, alteram *apagogicam*: *Grammatica* eſt, tametſi concedatur Hervvardo, πρώτην hic poni pro προτέραν, vel πρότερον, à Scriptore Helleniſtâ pręſertim, integra tamen phraſis inſolens eſt & dura, πρώτη ἡγεμονεύοντος, id eſt, πρότερον ἢ ἡγεμονεύειν, vel τοῦ ἡγεμονεύειν Κυρηνίου. An credibile, Lucam crucem figere voluiſſe Lectori, & geminam quidem pauciſſimis verbis? Plana foret hæc expoſitio, ſi legeremus apud Lucam, πρώτη ἐγένετο τῆς τοῦ Κυρηνίου ἡγεμονίας, probabilis etiam, ſi legeretur, πρώτη ἐγένετο ἡγεμονίας Κυρηνίου, vel ἡγεμονεύειν Κυρηνίου, ubi ſolum ἢ vel τοῦ ſupplendum foret. Ratio *apogogica* eſt, abſurdum videri, Evangeliſtam mentionem facere non tantùm deſcriptionis poſt x. circiter annos demum inſtitutæ, ſed & Præſidis ſub quo inſtituta, cum tamen, hac expoſitione admiſſa, neutrum quicquam faciat ad nativitatem Chriſti declarandam, ἀπογραφὴν verò,

in quam incidit natalis Christi, nullo prorsus charactere ab eo signari, nec præsidis, à quo vel sub quo facta, nec temporis, quo facta, nec ullâ aliâ περιστάσει simili. Quicquid sit, nemo non ex inspectione textus animadvertit, de ejusmodi descriptione Lucam agere, quę sive facta, sive cœpta saltem fuit sub prçfecturâ vel auspiciis Cyrenii.

VII. *Calvinus* interpres, si quisquã, sagacissimus, non prætermisit hãc difficultatem de conciliandâ Cyrenii prçfecturâ & ἀπογραφῇ cum tempore natalis Christi, & duo potissimùm respondet 1. Vero absimile non esse, Iosephum hac in parte, ut aliis compluribus, memoriâ lapsum fuisse, eò quòd conjiciat ἀπογραφὴν illam demum sub tempus Archelai relegati. 2. Aliam solutionem addi posse, non statim censum peragere licuisse, ex quo indictus fuerat, narrare enim Iosephum, Coponium cum exercitu missum fuisse, qui Iudæos comprimeret: inde facile colligi, censum populi tumultu ad tempus fuisse impeditum, & verba Lucę hoc pati, quod sub tempus nativitatis Christi edictum exierit de populo censendo, descriptionem autem fieri non potuisse, nisi mutato regni statu, cum in partem provincię redacta esset Iudęa. Ita hoc posterius membrum vice correctionis additũ esse, *Hæc descriptio prima facta fuit præside Cyrenio*, hoc est, tunc primùm ad effectum perducta est. Primam *Calvini* solutionem sequuntur multi ex Interpretibus & nostris, & Pontificiis, à Iosepho tempora confusa. *Alph. Salmero* ulteriùs progreditur, & duo in Iosepho corrigenda putat, Tract. XXXII. T. III. 1. Tempus damnati Archelai non fuisse XXXVII. annum Actiacum, sed XLIV. 2. Ordinem præsidum invertendum, ut Saturnino succedat non Varus, sed Quirinus, agátque Christi censum, Quirino succedat Quintilius, Quintilio Silanus Quirini apud Iosephum successor.

VIII. Siquidem eadem à Lucâ & Iosepho descriptio notaretur, & nulla nisi in temporis περιστάσει ἀντιλογία foret, unius Lucę authoritas mille Iosephis, &, quantum est Scriptorum aliorum id genus, conficiendis sufficeret. Stolidum, κώνωπα ἐλέφαντι παραβάλλειν, insanum, Scriptoribus sacris profanos. Iosepho itaque plus hîc à nobis tribui quàm Lucę, quod Doctoribus nostris impingit *Baronius* §. LXXX. id verò immane convitium est, sed convitium tantùm. Nihil nobis æquè

curæ & cordi, niſi ut ſuus ſacris Scriptoribus, & ſolis quidem conſtet honos. Quandoquidem verò, ut demonſtratum *Dubio* III. ingens διάστημα eſt inter ἀπογραφὴν Lucę & Ioſephi, nihil attinet vel Ioſephum criminari, vel eum cum Lucâ cõmittere, cùm de re diversâ & diverſo tempore geſtâ uterque agat. *Salmero* ἀνιστορήτως prorſus προχρονισμὸν in relegatione Archelai tribuit Ioſepho, & eam conjicit ex XXXVII. Actiaco in XLIV. cum enim XLIV. ille incidat in annum emortualem Auguſti, Iulianum LIX. immane quantum extenderetur principatus Archelai, non tantùm præter, ſed & contra fidem veterum, à quibus IX. tantùm anni completi Archelao tribuuntur. Adde, neceſſariò aliquot ante obitum Auguſti annis Archelaum relegatum, cum ab eo tempore multa Auguſti acta commemorentur, Germanici in Pannoniam legatio, Agrippæ relegatio, tributi quinquageſimæ ſuper pretio mancipiorum impoſitio, oratio ejus in cœlibes, cladis Varianæ reparatio, Legis Voconiæ relaxatio, Pappiæ Poppææ emendatio, Legis de cohibendo exulum luxu latio, Ovidij & Iuliæ relegatio, & alia multa id genus, de quibus videatur *Suetonius* in Auguſto, *Dio* lib. LV. & LVI. & *Vellejus Paterculus* lib. II. Certum utique, Varianam cladem incidiſſe in Iulianum LIV. vel LV. ſecundùm alios, quę tamen poſterior Archelai relegatione, non ergo LIX. Iuliano demum relegari potuit Archelaus, qui tamen annus eſt XLIV. Actiacus à *Salmerone* notatus. Nec video, cur *Salmero* hoc ſit commentus, cum id nihil prorſus faciat ad Lucam cum Ioſepho conciliandum. Ordinem præſidum Syriæ turbat etiam ſine authoritate, & ſine ratione, dum Saturnino negat ſubrogatum Varum, quod tamen expreſsè Ioſephus affirmat, ſed Quirinium potius, huic Varum, & tandem Silanum. Si liceat nobis ex ingenio tempora & perſonas tantâ licentiâ partiri, ilicet actum erit de veteri Hiſtoriâ, & omni prorſus veritate.

IX. Poſterior *Calvini* ſolutio, de cepto quidem antea cenſu, peracto verò demum mutato regni ſtatu, quæ Adverſariorũ etiam confeſſione ſpecioſa & ſubtilis, admodum probanda foret, quia facilis & expedita, niſi quædam obſtarent, eaque non exigui ponderis, quæ Lectori expendenda relinquimus, ſalvâ maximi Viri, cujus memoriam omnes boni & eruditi meritò colunt, authoritate. 1. Lucas innuere videtur, deſcriptionem

illam non imperatam tantùm fuisse, sed & paratam & executioni mandatam sine tumultu, in Iudæâ saltem, *Et ibant omnes ut describerentur, in suam quisque vrbem.* 2. Nec à Mariâ tantùm & Iosepho ad obsequia itum, sed & à contribulibus, cum ob confertam hominum multitudinem certatim Bethlehemum confluentium nonnisi sordidus illis locus pateret in diversorio. 3. Adde, nullum circa illa tempora tumultum in Iudæâ excitatum legi, quo mora objecta fuerit edicto principis, nec caussam tumultus fuisse, cùm fuerit ἀπογραφὴ sine ἀποτιμήσει, vel δασμολογίᾳ. 4. Imò paulò ante Christi natalem, domitis à Tiberio Pannoniis, Germanis à Druso, Thracibus à Pisone, constat Ianum Geminum clausum fuisse, & pacem altam, nec bella vel seditiones motas, imò nec moveri facile potuisse, adultâ Herodis potentiâ, & coercitis ab eo graviter Iudæis. 5. Coponius sanè Cyrenio adjunctus legitur in posteriori ἀπογραφῇ, sed nec cum exercitu missus, nec Iudæis comprimendis, nec quicquam tale à Coponio in Iudæos tentatum. Ἐπίτροπος ille potius erat quàm στρατηγὸς, etsi cum amplissimâ potestate missus. Decepit hîc viros multos eruditos ambigua phrasis Iosephi, *Gelenii* Interpretis hallucinatio, & prava interpunctio: verba enim illa quæ habentur initio libri XVIII. [τάγματος τῶν ἱππέων] non cum prædicato ἡγησόμενος, sed cum subiecto Κοπώνιος sunt conjungenda, & interpunctio ponenda post vocem ἱππέων, hoc sensu, Coponium non, vt habet Iosephi Interpres, præfectum fuisse turmæ equitum, sed Coponium ex ordine equestri missum fuisse in Iudæam, ἡγησόμενον Ἰουδαίων τῇ ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίᾳ, quæ verba sic commodè fluunt, hiulca cæteroquin futura, si conjungantur ex mente Interpretis. Et patet ex *Dione* lib. LIII. τοὺς ἐπιτρόπους, Procuratores, qualis Coponius, missos fuisse ab Augusto ex duplici potissimùm hominum genere, quosdam ἐκ τῶν ἱππέων, ex ordine equestri, quosdam ἐκ τῶν ἀπελευθέρων, è libertorum censu. 6. Adde, subtiliùs quàm solidiùs τὸ ἐγένετο trahi ad executionem rei dilatæ, quasi descriptio illa demum sub adventum Cyrenii post Archelaum relegatum peracta fuerit, etsi jam pridem inchoata. Quanvis exempla non deesse videantur locutionis similis. *Ioh.* I. 3. πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν &c. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. *Ioh.* I. 14. & alia id genus.

X. *Alph.Salmero* Tract.XXXII. Tom. III. præter solutiones suprà confutatas aliam subjicit, non incommodè dici posse, sicut Saturninus præses eodem tempore simul habuit Collegam in Syriæ administratione Volumnium, etsi procuratorem Cæsaris Iosepho dictum, ita in hujus descriptionis tempore Varum quidem Syriæ prefectum fuisse, sed ei adjunctum fuisse Cyrinum, qui cum in Herodis regno non posset esse Iudææ preses, neque tamen simplici procuratoris Cæsaris titulo satis honestari videretur, Syriæ quoque præses appellatus fuerit.

Hæc solutio non omninò rejicienda est, quia ad veritatem accedit ex parte, dum Quirinium, ut posteà videbimus, unà cum preside ordinario in Syriâ collocat. Peccat tamen, 1. dum ordinariâ cum Varo potestate functum supponit. Præsidibus enim nulli Collegę erant, etsi πρέσβεις Legati interdum submitterentur à Cęsare, & ἐπίτροποι procuratores. 2. Dum Volumnium collegam facit Saturnini, etsi enim conjunctim à Iosepho interdum dicuntur τῆς Συρίας ἐπιστατοῦντες, illorum tamen & dignitas, & munus, & potestas diversissima erant, prout bene à Iosepho distinguuntur lib.I. περὶ ἁλώσ. cap.XVII. vbi Volumnius expresse vocatur ἐπίτροπος, & in ordine inferiori collocatur, etsi Pedanius legatus Cæsaris cum Saturnino conjungatur.

XI. *Baronius* in hujus nodi solutionem cum curâ etiam incubuit, & prolixam super censu Cyrenij Dissertationem instituit à §.LXXX.ad §.XCIX. in Appar.ad Ann. Quanvis verò & crebrò & graviter impingat partim in historicis, partim in criticis, de quibus vide *Casaubonum* Exerc.I.XXVIII. & sequ. & *Montacutium* Exerc. VIII. tamen suâ laude fraudandus non est, multa enim ab eo eruditè & operosè congesta. Ex tota verò *Baronii* disputatione super hoc argumento, triplex nodi propositi solutio erui potest. I. Iosephum errasse, in quem ob id graviter invehitur Baronius, & prolixè super erroribus ejus paratragædiat. II. Quirinium bis Syriæ præfuisse ante Archelai relegationem, *primâ* vice, mox à Consulatu, expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis: *alterâ*, à morte Caji Cæsaris, filij adoptivi Augusti: illo enim defuncto nullum alium subrogatum reperiri, præterquam Quirinium ab Evangelistâ notatum, ut qui Cajo nondum vigesimum annum agenti, & totius

Orientis præfecturam administranti rector additus fuisse legitur. III. Tertia *Baronii* solutio est, eodem tempore tres fuisse in Magistratu, Varum, Quirinum & Sabinum, ut anteà, Saturninum, Pedanium, & Volumnium, de quibus *Iosephus* lib.1. περὶ ἁλώσ. cap.XVII.

XII. De *primâ* solutione, quam Baronius post alios vrget, suprà actum. Intempestivus Baronii calor, qui hîc sine causâ prolixè fulminat in eruditissimum Scriptorem, gnaris antiquitatis probari nequit, non quod omnia Iosephi dicta sana sint, sed quod pleraque talia. Adde, ob corruptelas in Codices Iosephi infartas, sequioribus temporibus, sine causâ Iosephum flagellari. In hoc verò argumento supponit Baronius, non probat, vel Iosephum errasse, vel contradicere Lucæ. *Secunda Baronii* solutio multis impugnatur ab Exercitatoribus *Casaubono* & *Montacutio*, qui duplici illa pręfectura Syriæ Quirinium prorsus excludunt, & tertiam tantùm ei relinquunt, quam gessit Archelao relegato. Salvâ tamen summorum Virorum authoritate, ingenuè & candidè sine partium studio dicendum, ex parte tantùm hoc loco hallucinatum Baronium, quoad secundam nimirum præfecturam, quam Quirinium mortuo C. Cæsare gessisse contendit, quæ meritò ab utroque *Exercitatore* exploditur, meritò à nobis 1. Quia prȩcaria est, & sine authore. 2. Quia inutilis ad conciliandum Lucam cum Iosepho, cum enim XLIX. Iuliano demum in Lyciâ occubuerit Cajus, octodecim mensibus à morte Lucij fratris, secundùm *Suetonium* & *Vellejum Paterculum*, demus Baronio, subrogatum statim Cajo Quirinium vel necessario imperio, vel legitimo, quid præfectura illa ad natalem Christi, vel ἀπογραφῇ Lucæ? quippe qua Quirinius defungi non potuit ante quartum annum Ærȩ Dionysianæ. 3. Quia præfectura illa non necessaria, Syria enim tum temporis non sine Præside, cùm Quintilius Varus aliquot annis post Herodem præfecturam Syriæ administrarit. 4. Quia falsa. Neque enim Cajus unquam Præsidem Syriæ egit, nec Cajo Syriam, sed Armeniam obtinenti rector post Lollium datus legitur Quirinius: tametsi verò amplissimam in Oriente potestatem habuerit Cajus, successore tamen post obitum ejus opus non erat, nisi in provincia vacua, qualis tum non erat Syria. Et cur Varo præses Quirinius additus, post mortem Caji, cum nec

nec ante obitum ejus Caji imperium obstiterit, quominus Varus præfecturam suam præsidis titulo administraret. Non video verò, quî conciliari possint, quæ Eruditissimus *Casaubonus* habet Exerc. I. Num. LXXXV. ubi inquit, & verissimè quidem, in Syriam venisse Cajum, Christo jam nato, & Herode extincto: postmodum subjicit §. XXXI. Num. LXXXVII. Baronium facile se expedire, Lucam de ea præfectura loqui, quam mortuo Cajo gessit, adeoque supponit Casaubonus, nodum solui, si præfectura illa secunda, quam ponit Baronius, admitteretur. Atqui illâ etiam admissâ, nodus manet, siquidem enim Cajus in Syriam demum venit Christo nato, & Herode extincto, ut habet Casaubonus, quî præfectura, quam Cajo demum mortuo gessit Quirinius, ex hypothesi Baronij, quicquam facit ad ἀπογραφὴν ante & sub Christi nativitatem Quirinio à Lucâ adscriptam?

XIII. Cæteroquin omninò probandam censeo Casauboni & Montacutij sententiam de explodendâ secundâ illâ Quirinij præfecturâ. Quod verò iidem negant, & pernegant primam Quirinij præfecturam locum habere posse, de qua Baronius, id verò probare non possum. Nec rationes Virorum illorum Eruditissimorum tanti in hoc argumento, ut assensum à Lectore attento impetrare possint. Partium itaque studio videtur hîc aliquid datum, & calori Disputationis. Neque tamen omnia Baronii dicta super primâ Quirinij præfecturâ excusata velim, in multis enim ibidem impingit, 1. Dum pro certis & indubitatis Lectori obtrudit, quæ nec explorata, nec apodictica, in Ciliciâ mox à Consulatu debellasse Quirinium Castella Homonadensium: Ergo eum Syriæ præfuisse. 2. Dum supponit, non probat, tanquam ἀναντίῤῥητα, sub provinciâ Syriæ Ciliciam fuisse redactam §. LXXXVI. Constat enim Syriam & Ciliciam distinctas provincias fuisse, & utramque Consularē, & utramque sæpius à diversis præsidibus rectam. *Iosephus* etiam Iudæam quidem vocat Συρίας προσθήκην, Ciliciam non item. 3. Illos tantùm consuevisse in provinciis bella gerere, qui illis præerant Præsides: quæ meritò notantur in Baronio, & exploduntur ab Exercitatoribus.

In reliquis, quæ primam Quirinii præfecturam concernunt, liceat nobis non tantùm *Baronio* sed & veritati, quantum qui-

dem in re obſcurâ conſequi datur, patrocinari. Fatendum, certò demonſtrari non poſſe, Quirinium à Conſulatu, quo functus Iuliano XXXIV. in Syriam cum imperio miſſum fuiſſe, cum altum de eo ſit apud Ioſephum ſilentium, ſine ullâ tamen abſurditate tale quid conjici poteſt, nec omninò rejici debet, ubi nullæ ἀποδείξεις contrariæ, & rationes probabiles ſatis, cur id ſtatuatur. Narrat *Tacitus* lib. III. Annalium, Quirinium mox à Conſulatu in Ciliciam miſſum expugnandis Homonadenſium caſtellis. Hinc non inferimus cum *Baronio*, eum ob id Syriæ preſidem egiſſe, ſed ita rem concipi poſſe. Hoſtibus in Ciliciâ victis à Quirinio, nihil obſtat, quominus virtus ejus novâ honoris acceſſione macta fuerit, ſive attributâ ei Syriæ, provinciæ non admodùm remotæ à Cilicia, præfecturâ, ab Agrippę morte vacante (qui obiit Iuliano XXXIV. anno Conſulatus Quirinii, Vrbis Varroniano DCCXLII. poſt διοίκησιν δεκαετῆ τῆς ἐπὶ τῆς Συρίας ut habet *Ioſephus*, lib. XVI. cap. VI.) ſiue ſoli Syrię præfuerit, ſive utrique conjunctim & Ciliciæ & Syrię, ſiquidem ſtatuamus, (quod tamen nõ neceſſarium, ut autumat Baronius,) Quirinium Ciliciæ pręſidem fuiſſe, eò quod in Ciliciâ expugnationi Caſtellorum Homonadenſium pręfuerit. Talia enim & à Legatis Imperatorum, non tantùm à pręſidibus provinciarum ſępe geſta. In eo verò parum ſitum, ſive Præſes Ciliciæ fuerit, ſive non fuerit Quirinius, modò pręfecturam Syriæ ſub illud tempus adminiſtrarit.

XIV. Examinandæ etiam ἐνστάσεις Virorum CL. *Montacutii* maximè, qui prolixior eſt in confutanda illa opinione. I. *Inſt. Montac.* Exerc. VIII. Sect. I. Sic Syriam ſine pręſide conſtitui per triennium, ſi Agrippę ſubrogatus fuerit Quirinius. *Reſp.* Dari Elenchum παρὰ τὸ ἑπόμενον. Agrippa miſſus in Syriam Anno Vrbis Varr. DCCXXXI. ſecundùm Dionem libro LIV. qui Iulianus XXIII. Decennium Syriæ pręfuit, ſecundùm Ioſephum lib. XVI. cap. VI. deceſſit ergo provinciâ Anno Vrbis Varr. DCCXLI. Iuliano XXXIII. Dabitur hîc διάστημα Montacutii, ſi immediatè ſucceſſiſſe Agrippę dicatur Quirinius, cum Conſulatu functus fuerit Iuliano XXXIV. inde in Ciliciâ Caſtellis Homonadenſium expugnandis vacaverit, adeóque nonniſi ſub finem XXXV. Iuliani, vel ſub initium XXXVI. Syriæ pręfici potuerit. Siquidem verò cum *Caſaubono* dicamus, Titum vel Titium

tium

tium, sive M. Titium Rufum, sive alium aliquem ὁμώνυμον, successisse Agrippæ, per annum unum vel alterum, & huic Quirinium, hiatus ille facile poterit expleri. Et verò præsidem alium inter Agrippam & Quirinium intercessisse, inde probabile fit, quod Agrippa extra provinciam Romæ mortuus fuerit illo ipso anno, quo Quirinius Consulatum gessit. *Instat Montacutius*, Titum illum esse Volumnium, non præsidem, sed Procuratorem. *Resp.* 1. Hoc ex conjecturâ tantùm; Emendatio verò *Bezæ* & *Casauboni*, qui Τίτον reponunt pro Τῖτον, firmatur expresso *Strabonis* testimonio. 2. A Iosepho Titus ille vocatur ῥητῶς ἡγεμὼν Συρίας lib. XIV. Ant. cap. XII. à Strabone ἐπιστάτης τότε τῆς Συρίας. Non negandum, ἡγεμόνος nomen etiam procuratoribus Syriæ quandoque tribui, sed non sequitur ob id, id hoc loco factum, vel Titum necessariò Sytiæ ἐπίτροπον fuisse, non præsidem. 3. Dura quin etiam *Montacutij* interpretatio, τὸ Συρίας ἡγεμόνα dici Τίτον, hoc est, Iudææ in Syriâ procuratorem. An ille sic ferat interpretantem alium? Volumnium fuisse ἐπίτροπον certum est, sed hunc Titum esse Volumnium illum, id verò incertum. Nec causę quicquam, cur Vir Eruditus in Casaubonum & Bezam eo nomine invadat. *Inst. Montac.* Non fuisse usu receptum, Consules omnes & singulos exacto in Magistratu anno, statim in provincias sortitò mitti. *Resp.* Nec vrgeri à nobis consuetudinem κατὰ παντός, sed factum particulare in persona Quirinii, authore *Tacito*, quod tamen non sine exemplo. *Inst. Mont.* Rem notari, non tempus. *Resp.* Imò & tempus connotatur à Tacito expresse, *Quirinius* &c. *Consulatum Divo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium Castellis insignia triumphi adeptus* &c. Fatetur id ipsum *Montacutius* parum sui memor pag. 285. ubi disertè contradicit iis quæ habet pag. 284. dum inquit: *Gessisse illum* (Quirinium) *res in Ciliciâ duo summi Scriptores Strabo & Tacitus memoriæ prodidère. At res illas quando gesserit, aut quo anno, neque Strabo nos docet, nec Cornelius.* Pag. verò 285. *relatum*, inquit, *in Annales Cornelianos, istum* (Quirinium) *statim à Consulatu Castella Homonadensium debellasse.* Et paulò pòst, *in provinciam Ciliciam illum statim missum fuisse à Consulatu certum est.* Quæ duo ἀντιφατικὰ prorsus. Ista verò non ad obtrectationem à nobis proponuntur, sed ad vindicias veritati laboranti, à quâ hîc lux historiæ Evangelicæ. *Inst.* Ciliciæ

prȩesse potuisse Quirinium, non Syriæ, quia distinctȩ prouinciæ à distinctis prȩsidibus rectæ. *Resp.* 1. Detur, simul & semel utrique non prȩfuisse, præesse tamen potuit Ciliciæ, Iuliano xxxv. Syriæ verò, Iuliano xxxvi. & sequentibus. 2. Vtut distinctȩ provinciæ Syria & Cilicia, & à diversis prȩsidibus ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ rectæ, nihil obstat eas in Quirinio conjungi potuisse ad tempus, quȩ conjunctæ aliâs interdum fuêre in aliis. Nec tantùm Cȩsaribus, Triumviris, adoptivis Cȩsarum plures provinciæ simul paruêre, sed quandoque etiam aliis, quanvis rarius, v. g. Syria & Cilicia Sosio homini minorum gentium. *Inst. Mont.* Sentium Saturninum successisse Agrippæ in Syriâ, præfecturâ diuturnâ functum. *Resp.* 1. Duplex successio, *mediata*, & *immediata*, illâ, non istâ successit Saturninus Agrippȩ, nec Montacutius contrarium probat. Nihil ergo obstat quominus intercesserint Titius & Quirinius. 2. Saturnini verò prȩfecturam non ἁπλῶς, sed συγκριτικῶς diuturniorem fuisse, non Agrippȩ, sed Quirinij præfecturâ primâ, concedi potest. Satis, ad xli. Iulianum præfuerit Syriæ à xxxviii. vel xxxix. Fatetur *Casaubonus*, annum susceptȩ provinciæ à Saturnino nonnisi conjiciendo nos assequi posse, & octo annis ab eo præfecturam administratam conjicit tantùm Exercitator, non probat. Diutius cum viro Doctissimo à nobis conflictatum, cujus eruditio, & Exercitationes cæteroquin commendationem merentur non vulgarem, solius veritatis vindicandȩ causâ, ut hinc quoque lucem τῇ ὑπογραφῇ Lucȩ fœnerari possimus. Admissâ enim prȩfecturâ illâ Quirinij, solutio nodi propositi commoda datur & facilis, ut videbimus in sequentibus.

XIV. Videamus verò etiã ἐνστάσεις *Casauboni*, Viri summi. Inquit ille Exerc. 1. Num. lxxxvii. 1. Legitimam & veram Syriæ Præsidum enumerationem Quirinium duabus illis præfecturis, quas pater Annalium est commentus, penitus excludere, nihil hiare in successione, nullum vacuum locum esse, in quem supposititius ille præses inferciatur. *Resp.* 1. Mediam Quirinii præfecturam, quam ei adscribit *Baronius* Cajo mortuo, meritò explodi, ut suprà ostensum, primam non item. 2. Titio quidem subjici immediatè Saturninum à Casaubono, sed ex conjectura, & sine authoritate. Ille sanè præses Syriæ à Iosepho constituitur, sed nec periodus, nec annus prȩfecturæ initæ à Saturni-

turnino, quod fatetur Casaubonus, verbo indicatur. Nihil obstat ergo, quominus quatuor illi præsides Syriæ præfuisse dicantur, Titius, Quirinius, Saturninus, & Quintilius Varus, à Iuliano XXXIII. quo Agrippa decessit provinciâ. Vtique conjecturę hîc indulgendum non foret, si à Iosepho periodus illa figeretur, & indicaretur, Saturninum immediatè successisse Titio. Adde, authoritate Lucæ intercedente, qui sub illa tempora ἀπογραφὴν notat actam præside Syriæ Cyrenio, conjecturæ huic firmamentum non leve accedere. Fuerit ergo pręses Syriæ Titius post Agrippam, XXXIV. Iuliano ad annum unum vel alterum. Titio subrogari potest Quirinius circa Iulianum XXXVI. & huic Saturninus, & sic nullus erit hiatus, nec plures simul præsides in Syriâ. *Inst. Casaub.* Baronium male inferre, Quirinium mox à Consulatu expugnasse per Ciliciam Homonadensium Castella, adeoque Syriæ præsidem fuisse. *Resp.* Illatio sanè Baronii infirma, illa tamen illatio non infirma, castellis illis expugnatis virtute Quirinij, decretá illi pręfecturá provinciæ non ita remotæ, Lucâ pręfecturá illam notáte, & Quirinio, ut rerum Orientis jam ante gnaro, regendo Cajo sequentibus annis admoto. *Inst.* Duas provincias fuisse Syriam & Ciliciam, non unam, ab Imperatoribus interdum junctas & uni rectori traditas, sed nimis vitiosam collectionem esse, quod factum est aliquando in aliis, id etiam in Quirinio tum factum. *Resp.* I. Ponamus, successivè primò Ciliciæ, post Syrię præfuisse Quirinium. Alterutrum sufficit ad institutũ nostrum. 2. Per βίαιον, eo ipso quo interdum junctæ & uni rectori traditæ, quod in aliis factum, in Quirinio fieri potuit, vel factum conjici potest, saltem sine absurditate. Cur verò id factum statuamus, jam sæpius ostensum. *Inst.* Huic argumentationi aliquem locum futurum, si esset ignotum quis Agrippæ successerit. Titium verò post Agrippam regionem illam obtinuisse, secundùm Strabonem & Iosephum. *Resp.* Imò incertum, quis Agrippæ, *immediatè* videlicet, successerit. Nec character temporis pręfecturæ initæ à Titio uspiam signatur. Rem indicant Iosephus & Strabo, πρὸς ἄλλων temporis non item. Demus tamen Casaubono, eũ successisse immediatè Agrippæ, ut suprà concessum, quęstio manet, annon Titio succedere potuerit Quirinius ante Saturninum, Lucâ tale quid notante?

Nondum ergo prima Quirinii præfectura loco mota.

Præter ἐνςάσεις illas Virorum Clarissimorum, duplex alia dari potest,quę videtur posse opponi sententiæ hactenus à nobis assertæ, quam non dissimulabimus,ne quicquam hîc moretur Lectorem. 1. Objici poterit, Iosephum non meminisse primæ illius præfecturæ Quirinii, adeoque vix credibile esse, eum tum magistratu functum, quod alioquin Iosephus non videtur fuisse dissimulaturus. 2. Hoc etiam urgeri potest, frustrà prefecturam illam primam Quirinii à nobis adstrui vindicandę ἀπογραφῇ, de quâ Lucas, cum tamen tempora non respondeant, nec inde quicquam ad elucidationem verborum Lucę conferri possit. Ponamus enim, Quirinium Syriæ prefecturâ functum circa XXXVI. Iulianum, quid id ad ἀπογραφὴν Lucę, quæ facta demum circa vltima Herodis tempora, adeoque circa XLI. & XLII. Iulianum? Nec enim dici potest, eousque prefecturam Quirinij extendendam, cum constet tum temporis Saturninum primò, post Quintilium Varum, paulò ante obitum Herodis,prefecturâ Syriæ functum.Nec sic tamen excussum præfecturâ illa arbitramur Quirinium. Ad 1. *Resp.* 1. Satis esse,Lucam meminisse prefecturæ Quirinii obitæ circa illa tempora,cujus authoritas omnibus Iosephis antiquior & potior. 2. A Iosepho multa alia pretermissa, quę tamen ob id tribu moveri nec possunt, nec debent, neque enim ex ipsius tantùm relatione rerum veritas suspensa. Quid enim dicemus alioquin de infanticidio Bethlehemitano, de gestis Servatoris nostri & Apostolorum, & alijs id genus, de quibus altum apud Iosephum silentium? An ideò illis fidem abrogabimus? De quo tamen argumento plura proponemus *Dubio* VIII. Annon Iosepho etiam pretermissa secunda Quirinij in Orientem ad C.Cęsarem profectio? 3. Adde, ut suprà notatum, *à posteriori* probabiliter colligi posse, Quirinium jam ante in partibus illis Orientis versatum, eò quod præ aliis C. Cæsari in Oriente versanti rector datus fuerit ab Augusto,circa Iulianum XLVI. aliquot annis ante relegationem Archelai. Ἀποδείξεις hîc exigere nihil attinet, quæ in talibus sæpe deficiunt. Sufficit topica dari, & quæ non sint obnoxia τῇ ἀπαγωγῇ. 4. Illud ipsum Iosephi silentium pari ratione opponi potest sententiæ *Casauboni* & *Montacutii* de extraordinaria legatione Quirinii ad

ad ἀπογραφὴν faciendam, quam uterque ſtatuit & urget, nec ſine ratione. Si ergo à Ioſephi relatione in hoc argumento prorſus pendeamus, nec illi opinioni, quæ tamen probabilis admodum eſt, ſuus erit locus. Adde, præfecturam illam primam Quirinii fortè brevem admodùm fuiſſe, & exiguæ durationis. Non mirum ergo prætermiſſam Ioſepho cum aliis multis id genus.
Ad II. etiam ἔνςασιν reſpondemus, temporum harmoniam ſalvam eſſe, ſiquidem cum *Kepplero* vocem πρώτην adverbialiter accipiamus pro πρῶτον *primùm*, hoc ſenſu: Deſcriptionem illam primùm factam fuiſſe Quirinio Syriæ Præſide, circa XXXVI. vel XXXVII. Iulianum, hoc eſt, tum cœptam fieri, interruptam verò & dilatam ob novos motus variorum populorum, ſive diſtractis ſatis alibi Romanis, ſive exſpectatâ pace catholicâ omnium gentium Romanis obnoxiarum, ad ἀπογραφὴν univerſalem eodem tempore commodiùs ubique terrarum inſtituendam, qualis pax cum ſub ultima Herodis tempora incidiſſet, opus ante ceptum ἀπογραφῆς univerſalis denuò fuiſſe & imperatum & perfectum in Iudæâ circa natalem Chriſti.

XVI. His omnibus ita diſputatis & vindicatis, dupliciter nodum propoſitum, & ſolidè ſatis pro naturâ argumenti, incidendum putamus. I. Dici poteſt cum *Kepplero*, Quirinium bis præfuiſſe Syriæ, primò circa Iulianum XXXVI. poſt Titium, in qua præfectura cœpta ἀπογραφὴ Oecumenica, de qua Lucas, ob tria bella intra paucos annos feliciter cõfecta, Pannonicum à Tiberio, Germanicum à Druſo, & Thracium à Piſone. Hæ victoriæ intra paucos annos à Romanis partæ occaſionem dedêre Senatuſconſulto de Iano Gemino claudendo, & Auguſto, meditandi breviarium totius imperii, in quo opes publicæ continerentur, quantum civium ſociorúmque in armis, quot claſſes, regna, provinciæ, tributa, aut vectigalia, neceſſitates, largitiones, &c. Potuit itaque Quirinius vel illo ipſo anno XXXVI. Iuliano, vel ſequenti XXXVII. reſcriptum accepiſſe ab Auguſto deſcribendi provinciam, cui præerat, adeoque occaſionem dediſſe, promulgatis mandatis publicis, profectioni Ioſephi & B. Virginis. Differri etiam potuit ἀπογραφὴ illa ob novos motus Dacorum, Celtarum, Dalmatarum, Sicambrorum, & aliorum id genus populorũ, exaſperatorum variis exactionibus, quorum

excursionibus fatigatus Drusus, & vexati Romani. Vnde fortè institutum œcumenicę illius ἀπογραφῆς interruptum, & dilatum, ne & aliæ provinciæ, novâ servitutis professione efferatæ, reliquarum exemplo, distractis jam alibi Romanorum viribus, in Rempublicam insurgerent. Quâ causâ sublatâ, & domitis illis gentibus, urgeri potuit ἀπογραφὴ illa circa ultima Herodis tempora per Saturninum, tum alibi, tum in Iudæâ, de quâ Lucas. Sic eruditè & commodè rem explicat *Kepplerus*, & omnia commodè fluunt dilatatis Lucæ verbis hac ἐξηγήσει, Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη μὲν ἐγένετο Κυρηνίου τῆς Συρίας ἡγεμονεύοντος, ἀλλ᾽ οὐκ ἐδυνήθη διατελεῖσθαι τότε, ἀποστάντων τῶν ἐθνῶν, ἕως Σατορνίνου ἡγεμονεύοντος, τότε δὴ καὶ ἀνενεχθήσατο ὑπ᾽ Αὐγούστου καὶ διεπράχθη. Præter *primam* verò præfecturam quâ functus Quirinius Iuliano XXXVI. *secunda* alia illi obtigit Archelao relegato, & Iudæâ in provinciæ formam redactâ, de quâ Iosephus lib. XVIII.

Non prætermittenda verò ἔνστασις, quę hoc loco etiam moveri potest, & quam movet *Salmero* Tract. XXXII. Tom. III. ad geminam Quirinii præfecturam convellendam. Ducitur illa à consuetudine Romanorum, alienum nimirum fuisse à more inter Romanos recepto, unum eundemque Proconsulem in provinciam pacatam diversis temporibus sive ad præfecturam ordinariam, sive ad censum ablegari. Quî ergo locus geminæ Quirinii præfecturæ? Sed ne hîc quidem vadimonium deserendum putamus. *Salmeroni* enim opponimus tum *exempla* contraria, tum *rationem*. 1. *Exempla* dantur eorum, qui sæpe in easdem provincias missi sive cum eodem, sive cum diverso imperio. Sic Crassum v.g. & Agrippam in Orientem, Tiberium in Pannonias, in Germaniam & Galliam multos sæpius cum imperio missos sive eodem, sive diverso, ex Historiâ Romanâ liquet. 2. Accedit *ratio*. Tantum abesse, ut absurdum videri debeat, eundem ἡγεμόνα vel ἐπίτροπον vel στρατηγὸν in eandem provinciam mitti, ut nihil ad politicam prudentiam magis compositum fuerit, quàm ejusmodi homines (modò de illorũ fide & probitate constaret) ad gravia negotia expedienda in provincias remotas ablegari, quarum genius quà gentem quà regionem illis jam optimè erat notus & perspectus. 3. *Salmeroni* opponimus *Salmeronem*, qui cum diversam statuat ἀπογραφὴν Lucæ ab ἀπογραφῇ Iosephi, utraque verò dicatur à Quirinio

rinio administrata, illa apud Lucam, ista apud Iosephum, & diversis quidem temporibus, non evadet Salmero, quin, eundem in eandem provinciam cum imperio diversis vicibus missum fuisse, fateri cogatur. Posteriorem enim ἀπογραφὴν sub alio præside factam conjectare, est paulò minus quàm ναγκιοσορδεῖν. Nihil obstat ergo, quominus Cyrenio diversas præfecturas tribuamus. 1. Imperium sive ordinarium, sive extraordinarium in Cilicia. 2. Præfecturam, sub XXXVI. Iulianum, in Syria & Iudæa, sub quâ ἀπογραφὴ cœpta, de qua Lucas. 3. ἡγεμονίαν Caji in Armeniâ, defuncto Lollio. 4. Tandem & ἡγεμονίαν & δασμολογίαν in Syria & Iudæa reliqua, Archelao relegato, & Iudæa in provinciæ formam redactâ.

XVII. Altera solutio & probabilis quidem à *Baronio* innuitur potiùs, quàm probatur vel explicatur, dum inquit, plures dici posse in Magistratu fuisse uno eodémque tempore, Varum, Quirinium, & Sabinum §. LXXXVIII. Explicatur verò & probatur luculentiùs à *Scaligero, Casaubono, Montacutio, Petavio*, & aliis Viris Magnis, Saturnino Syriæ præside ordinario, Quirinium ad ἀπογραφὴν instituendam cum extraordinario imperio missum fuisse in Syriam & Iudæam, circa ultima Herodis tempora, non ut δικαιοδότην, quod Saturnini erat, non ut ἀποτιμητὴν, vel φορολογήσαντα, sed ut ἀπογραψάμενον τὸ ἔθνος. Fuerint igitur eodem tempore cum imperio in Syria, Saturninus, Quirinius, & Sabinus, Saturninus ut præses ordinarius, ἡγεμὼν propriè, Quirinius ut πρέσβυς Legatus Cæsaris cum extraordinariâ potestate, Sabinus ut ἐπίτροπος procurator: quemadmodum uno eodemque tempore, quod appositè observat *Baronius* §. LXXXVIII. simul fuêre in Syria Saturninus, Pedanius, & Volumnius, *Iosepho* authore lib. I. περὶ ἁλώσ. cap. XVII. cum dispari tamen potestate, Saturninus, ut præses ordinarius, Pedanius ut legatus Cæsaris, Volumnius ut procurator. Vnde eos Saturnini *collegas* perperàm vocat *Baronius* §. LXXXIX. quod nomen ἰσότητα infert; potestatis saltem & dignitatis. His ita explicatis, dici potest sub ordinario Saturnini primò, post Vari imperio ἀπογραφὴν illam à Quirinio, ut Legato extraordinario, in Syria & Iudæa institutam fuisse, adeoque nec Quirinii Historiam, nec catalogum Syriæ præsidum verba Lucæ eversum ire.

XVIII. Hæc interpretatio, commoda satis & probabi-

lis, videtur geminâ potissimùm ἐνστάσει urgeri posse: quarum *prima* duci potest à verbis Lucę, *altera* à defectu probationum solutioni illi firmandæ.

Ἔνστασις *prima* à verbis Lucę est, illa non designare extraordinariam legationem in Syria obitam à Quirinio ad ἀπογραφὴν, sed præfecturam ordinariam. Lucas enim non inquit, αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἐπὶ Κυρηνίου πρέσβεως vel ἐπιτρόπου ἐν τῇ Συρίᾳ, vel saltem, αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου, sed notanter addit, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, quæ verba de ordinario prorsus imperio accipienda videntur, non de extraordinario. Neque alio titulo insigniri poterat ordinaria Saturnini vel Vari præfectura. *Resp.* 1. Si verba Lucæ mordicùs urgeantur, solutionem priorem adhiberi posse, quæ ordinarium Quirinio imperium in Syria relinquit tempore ceptæ ἀπογραφῆς, & sic propriissimè dici poterat à Luca, Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. 2. Addendum tamen, non incommodè verba Lucæ etiam ad extraordinarium Quirinij imperium in Syria designandum applicari posse, eò quod τὸ ἡγεμονεύειν, & nomina abstracta æquè ac concreta ἡγεμονία & ἡγεμὼν de quavis potestate usurpentur. 1. In Scriptura S. 2. Apud Iosephum. 3. Apud Authores exoticos. Id non observatum sæpe non exiguam difficultatem parit apud Iosephum, qui id nominis modò Pręsidibus provinciarum, modo Legatis Cæsaris, modò ἐπιτρόποις vel Procuratoribus promiscuè tribuit, quorum tamen dignitas dispar admodùm erat, ut notum. Sic ἡγεμονία eodem prorsus versu *Luc.* III. 1. tribuitur Tiberio Cæsari, & simul ibidem τὸ ἡγεμονεύειν Pilato, inter quos sanè immane διάστημα & δὶς διὰ πασῶν. Vnde *Syrus* Interpres prudenter ibi distinguit vocis ejusdem ὁμωνυμίαν, & מלכות regnum Tiberio, הגמנותא ἡγεμονίαν adscribit Pilato. Sic ἡγεμὼν respondet apud LXX. Interpretes vocibus Hebraicis & varijs, & laxis admodùm, τῷ שר, רב, פחה, נשיא, אלוף, & alijs id genus, & designat quemvis ἄρχοντα, ἔπαρχον, δικαιοδότην, ἐπιστάτην, ἐπιστατοῦντα, προστάτην, ἡγούμενον, sive cum summo, sive cum subalterno, sive cum ordinario, sive cum extraordinario imperio. Non mirum ergo, Lucam ita locutum, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, & illis Lucę verbis sensus satis constat, modo aliquo in Syria impe-

imperio, etsi extraordinario tantùm tum functus fuerit Cyrenius. 3. Addi poteſt, ſiquidem ſtylus Helleniſtarum, & genus dicendi conciſum & peculiare, quo ſæpe utuntur, notetur, locutionem Lucæ ellipticam videri, & æquipollere illi, *αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο, ἡγεμονεύοντος*, vel *ἡγουμένου τούτου τοῦ πράγματος ἐπὶ τῆς Συρίας*, vel *ἐν τῇ Συρίᾳ Κυρηνίου*, *hæc deſcriptio prima facta fuit*, *moderante* vel *dirigente hoc negotium in Syria Cyrenio*. His adjectis, verborum ſenſus planus eſt & expeditus. Huc etiam optimè referri poſſunt verba Syri Interpretis, הדא מכתבנותא קדמיתא הות בהגמנותא דקורינוס בסוריא *Hæc deſcriptio prima facta fuit ſub gubernatione*, h. e. directione, ductu, auſpicio *Cyrenii in Syriâ*. *Ἡγεμονία* enim tale quid Græcis quoque notat, quod Galli voce aptâ *conduite* exprimunt. Syrus eandem vocem retinet inflexam pro ſuâ Dialecto. Quod, ut obiter notem, præter voces complures alias grecas retentas in interpretatione Syrâ, argumento eſt, Syrum Interpretem è græco demum Codice verſionem ſuam contexuiſſe, quod plurimis exemplis & vocum & phraſium demonſtrari poteſt. 4. Siquidem etiam tot particularum ellipſis durior videatur, ſimpliciſſimè mihi videntur verba Lucæ ſic accipi poſſe, eodem ſenſu retento, *αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου*, ſupple, *ἐν ταύτῃ τῇ ἀπογραφῇ*, vel *ἐπὶ ταύτης τῆς ἀπογραφῆς*, vel *κατὰ ταύτην τὴν ἀπογραφὴν*, vel *ἐν τοῖς κατὰ τὴν ἀπογραφὴν*, vel *ἐν τούτῳ τῷ πράγματι*, vel tale quid aliud quod ſit *ὁριστικὸν* & reſtrictivum phraſεως laxioris, *illam deſcriptionem primam factam fuiſſe, gubernante*, vel *moderante Syriam Cyrenio, in hoc negotio*. Et ſic etiam omnia plana erunt, & ſecunda expoſitio verborum Lucæ à viris eruditis excogitata ad nodum propoſitum diſſolvendum commodè referri poterit.

XVII. Alteram objectionem quod attinet, quæ duci poteſt à defectu probationum, nullâ videlicet authoritate niti conjecturam allatam de extraordinariâ Quirinii legatione ad *ἀπογραφὴν* illam œcumenicam: Obſervandum, hîc ſufficere poſſe 1. Lucæ authoritatem *αὐτόπιστον*. 2. *In genere* conſuetudinem Auguſti, mittendi ſæpe Legatos primariæ dignitatis in provincias ſibi obnoxias, cum certa poteſtate, qui cenſum agerent per provincias. Sic Druſus in Galliam miſſus ab Au-

guſto, Germanicus à Tiberio. Et ter quidem id ab Auguſto in eum finem factum, ex Suetonio & lapide Ancyrano liquet. 3. *In ſpecie*, id factum circa ultima Herodis tempora, colligitur à *Kepplero* ex Ioſephi lib. XVII. cap. III. de quo vide *Dubium* VIII. ubi & alia quædam ex Suida & aliis producentur, quæ non incommodè huc, aliquatenus ſaltem, referri poſſunt. 4. Non mirum verò, Quirinium ad talem curationem ab Auguſto fuiſſe adhibitum, ut virum Conſularem, & magni nominis, idque in Syriâ potiùs quàm alibi, ob res non ita pridem præclarè geſtas in Ciliciâ provinciâ non admodùm remotâ. 5. Præſidibus verò ordinariis ſubmiſſos ſæpe fuiſſe viros proconſulares, ſæpe Procuratores ad negotia extraordinaria expedienda, quale ἀπογραφὴ œcumenica, probatum ſatis à *Caſaubono* & *Montacutio*. Veriſimile etiam, ejuſmodi legationes à multis fuiſſe cum curâ quæſitas, vel ſuggeſtas ultrò Imperatoribus, vel promotas, ob lucellum & compendium haud leve, quod inde ſperabatur. Et quia præfecturæ ordinariæ non poterant ſufficere omnibus Viris Conſularibus diſtinendis, quippe quarum ſingulæ in multos ſępe annos à Præſidibus ſuis tenebantur, dubio procul extraordinarię ejuſmodi λειτουργίαι repertæ, quibus ſatisfieret quorundam ambitioni, aliorum avaritiæ. 6. Extraordinaria quinetiam ejuſmodi miſſio magis videtur facere ad illuſtrandam arcanam Dei providentiam, quâ ille voluit Auguſtum eſſe metatorem Chriſti Servatoris, mentem ejus arcano ductu ad ἀπογραφὴν illam œcumenicam flectendo. 7. Et quia tum extraordinaria Quirinij inſtructio, inde à *Iuſtino Martyre* Apol. II. ἐπίτροπος potius vocatur, quàm ἡγεμὼν, ἐπίτροπος nimirum ad actum ἀπογραφῆς illius, non communis, quales alij, ſed inter πρέσβεις Cæſaris, ob id ipſum negotium in alias provincias miſſos: aliâs enim major longè dignitas Quirinij erat quàm ἐπιτρόπου.

Concludimus ergo, nec Cyrenij hiſtoriam, nec præſidũ Syrię Catalogũ obſtare, quominus Cyrenio Syriæ pręſide deſcriptio illa œcumenica, in quam incidit natalis Chriſti, ſive cepta fuerit tantùm, ſive cepta ſimul & perfecta; Nec characteri à Matthęo notato contrarius character Lucę, ſive prior admittatur ſolutio, ſive poſterior, utrobiq; enim ſupponitur inſtituta ἀπογραφὴ Herode adhuc regnante, & tamen ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου, quod in hac Diſſertatione erat oſtendendum.

DVBIVM VI.

De Conciliatione *Lucæ* & *Tertulliani*, quorum ille Cyrenio præſidi, iſte Sentio Saturnino ἀπογραφὴν, ſub quâ Chriſtus natus, adſcribit *Libro* IV. *Adverſus Marcionem*.

EXAMEN.

Cautio. Lucæ & Tertulliani collatio qualis. Cauſa Dubij propoſiti. Pamelij *conciliatio duplex. Diverſa* Baronii & Vincentii Regii *judicia. Examen rationum Baronij. Qui* Collegæ *Vlpiano? Præſidibus provinciarum nulli Collegæ. Confutatio utriuſque conciliationis Pamelij.* P. Pithoei *conjectura. Examen illius.* Baronii *Conjectura. Confutatio.* Onuphrii παρέραμα. Franciſci Iunij *conjectura. Examen illius. Emendatio Iunij in Tertulliano probata. Duplex ſolutio probabilis Dubii propoſiti.* Marcionis *impietas. Cauſa & allegationis & phraſews Tertulliani. Conjectura ſuper ſilentio Tertulliani de Cyrenio.*

I. INEPTVM, ſecundum vetus verbum, ἀνεμώνην ῥόδῳ συγκρίνειν, impium, Scriptores humanos θεοπνεύστοις, & ob id αὐτοπίστοις. Soli illi revera ἀετοὶ ἐν νεφέλαις, & tales, quibus non habetur tantùm fides, ſed & quibus debetur. Modò itaque de eorum relatione conſtet in aliquo argumento, cauſa perorata eſt apud Lectores pios, quicquid obſtrepât Scriptores

alii, imò orbis universus. Præfamur ista ad negotium quod instituimus, ne quis arbitretur nos Tertullianum cum Lucâ componere, & sacri Scriptoris fidem ob Tertulliani ἀντιλογίαν solicitare. Contradicat centies Tertullianus, & quicquid est Scriptorum humanorum, Lucæ, suus tamen illi honos constabit integer, sua fides apud Lectores Christianos. Nullum itaque Lucę à Tertulliano periculum, isti à Lucâ magnum, nisi conciliationis ratio, & commoda quidem iniri possit. Æquum verò, ubi ἐναντιοφανῆ duntaxat inter Scriptores eximios reperiuntur, sana eorum verba, sanam mentem vindicari à cavillis profanorum, ne sicubi occurrant talia, turbare possint Lectorem minùs cautum, vel minùs gnarum antiquitatis. Hæc causa est sola & unica Dissertationis institutæ.

II. *Lucas* inquit, ἀπογραφὴν, sub qua Christus natus, factam fuisse Cyrenio Syriæ præside cap. II. 2. Videtur *Tertullianus* contradicere Lucę libro IV. adversus Marcionem, & asserere, illam factam Sentio Saturnino Syriæ pręside, inquit enim, orthodoxam de Christo doctrinam à Marcionitarum cavillis vindicaturus: *Sed & census constat actos sub Augusto nunc in Iudæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus inquirere potuissent.* Si census acti per Sentium Saturninum, jam non per Cyrenium, quod tamen asserit Lucas. Dubitari etiam subit, cur Tertullianus Saturninum substituat Cyrenio, & crucem figat Lectori, imò se simul ac Lucam Marcionitarum cavillis objiciat in scripto polemico, ubi peculiari cautione opus esse videbatur?

III. *Iacobus Pamelius* Theologus Brugensis, adnotator Tertulliani, hunc nodum ita solvendum arbitratur, pręside Cyrenio census actos fuisse, at per Sentium Saturninum. Addit verò, *verisimile esse, cum neuter Consulem egerit anno ipso nati Christi, fuisse Quirinium Syriæ præsidem, & Sentium Saturninum id habuisse officij, ut censum seu descriptionem per Iudæam faceret, & ab Evangelista duntaxat nominatum Quirinium, quod magis notus esset, quippe qui in Syria præsidem egerit.* Vel, *si aliquis velit affirmare, etiam censorem patrimoniorum fuisse Cyrinum, ex Iosepho adhuc dici posse, illi collegam fuisse adjunctum Sentium Saturninum.* Ita Pamelio videtur Lucę optimè convenire cum Tertulliano, dum ille descriptionis pręsidem, iste administrum vel collegam notat. Rejicit

jicit gloſſam priorem *Baronius*, & meritò §.LXXXIX. cautior hâc in parte *Vincentio Regio* Ieſuita, qui illam ſequitur in *Dilucidationibus Euangelicis.* Iudicium Baronij probamus, ſed non fundamenta quibus nititur. 1. Inquit Baronius alios fuiſſe Saturnini collegas in adminiſtratione provinciæ. *Reſp.* Suprà oſtenſum, Saturnini collegas nullos fuiſſe, ſecundùm *Vlpianum* enim, *collegarum appellatione hi continentur, qui ſunt ejuſdem poteſtatis.* Præſidibus verò provinciarum, ex more Romano, nulli dabantur Collegę tales, ſed addebantur ἐπίτροποι procuratores, ſubmittebantur etiam quandoque ad negotia extraordinaria conficienda πρέσβεις legati Cæſaris, ut Saturnino Pedanius πρέσβυς, Volumnius ἐπίτροπος. II. Præfecturam Saturnini, inquit *Baronius*, nullo pacto potuiſſe ad Chriſti tempora pervenire, cum poſt eum uſque ad Quirinium pręfuiſſe illic ad multos annos Quintilius Varus dicatur. *Reſp.* 1. Falſum, Saturninum non potuiſſe pervenire ad Chriſti tempora, quippe qui non ita diu ante Herodis obitum magiſtratu in provinciâ fungebatur, Ioſepho teſte lib.XVII. Ant.cap.VII qui refert Quintilium Varum ſucceſſorem ſubmiſſum Saturnino, demum ſub Antipatri reditum in Iudæam, detectis illius technis, & eodem reo peracto coram patre, & concilio ſolemni, per Nicolaum Damaſcenum, quod ipſum ultimus Herodis morbus ſtatim excepit. 2. Multi illi anni Varo affinguntur à Baronio, non probantur. Adde, multos annos eſſe ἐκ τῶν πρός τι, adeoque non ἁπλῶς tantùm accipi, ſed & ſæpe συγκριτικῶς, reſpectu paucriorum, quibus Saturninus v.g. vel Quirinius ante illum præfuêre provinciæ. 3. Reſtant adhuc multi ſatis anni pręfecturæ Vari, qui pręeſſe cœpit illi provincię ante Herodis obitũ, & magiſtratum gerere potuit ad Archelai relegationem uſque, quando Quirinius ſubmiſſus cum duplici munere, δικαιοδότης futurus τοῦ ἔθνους, & τιμητὴς τῶν οὐσιῶν. *Pamelii* verò gloſſa inde erroris convincitur, quod Sentius Saturninus & ante Quirinium Conſul fuerit, & ejuſdem ſaltem, ſi non majoris ἀξιώματος cum Quirinio, imò etiam majoris, ſi prolixam *Velleji Paterculi* commendationem admittamus, quâ in laudes Saturnini excurrit. Abſurdum itaque, Quirinium in cenſu peragendo Saturnino ut adminiſtro & actuario, acceſſo vel optione vſum. Poſterior etiam *Pamelii* gloſſa falſa. 1. Quia confundit ἀπογραφὴν pri-

mam, de qua Lucas, cum ἀπογραφῇ secunda, de quâ Iosephus libro XVIII. Ant. 2. Quia Sentius Saturninus sub posteriori ἀπογραφῇ non amplius in Syria erat, sub priori, vel nondum erat in Syria, sed Cyrenio successor datus cœptam sub eo ἀπογραφὴν perfecit, vel etiam ordinariâ Syriæ præfecturâ, ut ostensum *Dubio* superiore, tempore ἀπογραφῆς fungebatur, & hoc etiam sine collegâ. Sine ratione itaque conjicitur à Pamelio, Saturninum ut Collegam adjunctum fuisse Cyrenio ad censum illum peragendum.

IV. *Nicol. Rigaltius* Vir CL. in observationibus eruditis ad Tertullianum notat, *P. Pithoei* manum veterem scripturam sic explicare ad marginẽ Rhenani, *Nunc, hoc est, cùm illa Christus diceret, nuntiantibus adesse matrem & fratres*, vt Septimius innuat census alios ab iis quos à Cyrenio actos didicerat ex cap. II. Lucę. Si de diversis censibus ageret uterque & Lucas & Tertullianus, nullo negotio ἀντιλογία illa componeretur. Sed hoc videtur. 1. Supponi potius ab eruditissimo *Pithoeo* quàm probari. 2. Vnde constat, tum, cum Christo annuntiabatur adesse matrem & fratres, vel census actos fuisse, vel census actos sub Sentio Saturnino? quorum utrumque precarium. 3. Imò Sentius ille Saturninus dubio procul jam ad plures collectus erat, circa illa tempora. Functus ille fuit Consulatu Iuliano XXVII. annis XIX. ante Æram Dionysianam communem, Anno Vrbis Varroniano, DCCXXXV. Collega Q. Lucretio Vespillone. Adde annos Christi usque ad Historiam, de quâ sermo ibi apud Evangelistam, & ætatem Saturnini capacem Consulatus, sanè circa illa tempora decrepitus fuerit Sentius Saturninus & capularis senex, & parum aptus censitor, vel potius illuc translatus, unde negant rediri quenquam. 4. Imò nullum census illius Saturnini, de quo Pithœus, in Historia Romana vestigium: nec alium aliquem Sentium Saturninum priori ὁμώνυμον reperimus, sub quo tale quid contigerit. 5. Manifestè innuit Septimius istic loci, ut ex contextura sermonis liquet, census actos sub nativitatem Christi. Nec hoc itaque εὕρημα aptum ad conciliationem Tertulliani cum Lucâ.

V. *Baronius* prolixus est in aspera illa Tertulliani sententiâ edolandâ, obscurus etiam in explicanda sua. Huc tamen summa redire videtur interpretationis Baronianæ, *Nunc* poni

pro

pro *posteà* apud Tertullianum, adeoque ab illo census *nunc* actos dici *per Sentium Saturninum*, qui post exacti fuère sub Consulatu Sentii Saturnini & Ælii Cati, post annos quinque à Christo nato. Contigisse enim sequens lustrum, quo more Romano census agebatur, sub Consulatu dicto. *Causam* verò addit Baronius, cur Tertullianus census illius meminerit potius quàm census acti Quirinio Syriæ preside, id factum, eò quod non satis exploratum haberet ex Lucâ, an ante absolutam descriptionem priorem Christus natus, adeóque descriptus fuisset: Tertullianum ergo, ut de re dubiâ, in sequentibus innuere, *census* illos tunc adhuc fortè fuisse *pendentes*, hoc est, suspensòs, dilatos ad Consulatum usque Sentii Saturnini. Ne ergo eluderetur à Marcione tota illa argumentatio de probandâ ex parentibus in censu descriptis veritate carnis Christi, eum argutè ad censum sequenti lustro peractum provocare Marcionem, in quo necesse fuerit, tam Christum, quàm qui dicebantur pater & mater ejus, describi.

VI. Sed & hæc Baronii interpretatio 1. precaria est & sine fundamento. 2. coacta, *nunc* enim nonnisi durissimè reddi potest per *posteà*: probabilius τὸ *nunc* intelligi posset cum χρήσει, & referri ad tempus quo Tertullianus ista scribebat. Sed nihil attinet hîc argutari in re clara & aperta, ut postmodùm videbimus. 3. Baronij interpretatio etiam falsa est: absurdum enim, respexisse Tertullianum istic loci ad censum, qui actus Coss. Ælio Cato & Sentio Saturnino, Anno Vrbis Varroniano DCCLVII. Iuliano XLIX. de quo *Dio* libro LV. & ex Dione *Onuphrius* Commentario in librum II. Fastorum. Rationes sunt, quia census ille, de quo Baronius, 1. non legitur actus à Saturnino, nec per Saturninum, nec sub Saturnino censitore vel præside provinciç, quî ergo nomen ejus præscriptum tabulis censualibus? 2. Quia census ille non actus extra Italiam, sed in Italia tantùm. 3. Quia census ille particularis fuit, non universalis, utpote non omnium, sed aliquorum tantùm, *μὴ ἐλάττω πέντε μυριάδων οὐσίαν κεκτημένων.* Verba Dionis clara sunt: *Τοῦτο μὲν δὴ δι' ἑτέρων ἔπραξεν. Αὐτὸς δὲ ἀπογραφὰς τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ κατοικούντων, καὶ μὴ ἐλάττω πέντε μυριάδων κεκτημένων ἐποιήσατο. Τοὺς γὰρ ἀσθενεστέρους, τοὺς δὲ ἔξω τῆς Ἰταλίας οἰκοῦντας οὐκ ἠνάγκασεν ἀπογράψασθαι, δείσας μὴ νεωτερίσωσί τι ταραχθέντες.* 4. Si Saturnini nomen

præscriptum tabulis, quia sub Consulatu ejus census ille actus, utique etiam Ælii Cati nomen iisdem præscribendum fuisset, sub cujus Consulatu pariter id gestum, cur ergo illius potiùs mentio in tabulis, quàm istius? imò, quî aliter factum? cùm Catus præcedat in Fastis, qui hæc habent (libro II.) *Catus C. Sentius C. F. C. N. Imp. Cæsar Augustus sine Conlegâ Censum Vicatim Egit. Lustrum Non Fecit.* Ad quæ verba notat *Onuphrius* Commentario Ad annum DCCLVII. *Hoc anno*, ut Dio scribit, *Augustus Cæsar jure censoriæ potestatis, censum solus vicatim egit, lustrúmque nullum fecit.* Annum tamen præcisè à Dione ibi signari non video, imò addit disertè Dio, contrà quàm Onuphrius refert, Augustum, ne ἀπογραφὰς illas facere videretur ὡς τιμητὴς ut censor, proconsulare imperium accepisse, πρός τε τὸ τέλος τῶν ἀπογραφῶν, καὶ πρὸς τὴν τοῦ καθαρσίου ποίησιν. Quî ergo *jure censoriæ potestatis*? quî *lustrum nullum fecit*, ut habet *Onuphrius*? 5. Si Christus natus anno lustrico, secundùm Baronium, & tamen natus Coss. Lentulo & Messalino, ut idem statuit, Iuliano nimirum XLIII. lustrum illud ut spatium quinquennale non potuit non finiri, & tabulæ censuales claudi Coss. P. Vinicio Nepote, & P. Alfenio Varo, Iuliano XLVII. Anno Vrbis Varroniano DCCLV. biennio ante Consulatum Cati & Saturnini, qui incidit demum in Iulianum XLIX. Annum Vrbis Varr. DCCLVII. quî itaque illis Coss. claudi potuêre, & Saturnini nomen præscribi tabulis? 6. Supponit etiam falsum Baronius, ἀπογραφὴν, sub qua Christus natus, fuisse censum lustralem §. XCIII. quolibet quinquennio agi solitum, auctum tantùm illo edicto Augusti, cujus mentionem facit Evangelista, cùm ἀπογραφῆς illius ratio prorsus fuerit extraordinaria, ut suprà ostensum. 7. Critica Baronii in vocibus *nunc* & *tunc* inanis est, Casauboni interpretatio probabilior, per Sentium Saturninum census actos dici durè & Tertullianicè, hoc est, ἐπὶ Σεντίου Σατορνίνου, vel ἡγεμονεύοντος Σεντίου Σατορνίνου. Addamus & nos, alio etiam modo, verbis Tertulliani propriè sumptis, dici posse per Sentium Saturninum census fuisse actos, hoc est, exactos & perfectos, qui inchoati fuerant à Cyrenio.

VII. *Franciscus Iunius*, Vir Doctissimus aliam insistit viam conciliando Tertulliano cum Lucâ, in notis in lib. IV. Tertulliani adversus Marcionem, & observat, C. Sentium Saturninum censum

censum illum fecisse in toto imperio Augusti, ut principem in Magistrorum Auguralium numero, religionis enim alicujus nomen Augustum prætexuisse instituto suo. Fecisse autem Saturninum in Iudæa censum præside Cyrenio, secundum Lucam. Sed & hoc videtur minus validum, 1. Quia Sentius Saturninus, ut suprà probatum, sub tempora ἀπογραφῆς sive continuatæ & perfectæ, sive inchoatæ etiam, Syriæ præsidem agebat ordinarium, qui ergo per illum census actus in toto Imperio Augusti? 2. Quia non constat, Augustum religionis nomen censui illi prætexuisse, imò potius videtur colligi posse ex Scriptoribus Romanis, institutum Augusti fuisse politicum, ad breviarium imperii conficiendum, ut suprà notatum. Emendatio cæteroquin *Iunii* solida est & apposita, pro *nunc*, quod obscura & ambigua reddit verba Tertulliani, legendum esse *tunc*, literâ à librariis corruptâ in integrum restitutâ. Emendationem illam meritò & probat & sequitur *Casaubonus*, quippe quæ facilis simul est & commoda. *Montacutii* glossa crudior est & durior, qui illud *nunc* vult esse pleonasticum, vel indefinitum, pro *aliquando*. Tametsi enim locutionis illius exempla quædam dari possint, maximè apud Scriptores Afros, tamen id rarius est, & durius. Præstat itaque vnius literæ dispendio, ubi facillima permutatio, locum & sensum Tertulliani restituere, quâ correctione admissâ omnia plana redduntur & expedita.

VIII. Solutionibus superioribus discussis & rejectis, duplicem aliam substituimus, utramque claram & commodam, & ex decisione *Dubii* superioris petitam. 1. *Lucam* meminisse Cyrenii à quo cepta ἀπογραφὴ, *Tertullianum* Saturnini, à quo continuata fuit & perfecta. 2. Vel Lucam meminisse præsidis sive censitoris extraordinarii ad actum hunc in Syriam missi, Tertullianum præsidis ordinarii, Lucam illius à quo, Tertullianum illius sub quo ἀπογραφὴ instituta. Nec mirum, Tertullianum, cui res erat cum Marcione homine vafro, & qui priora illa capita Lucæ, quæ apertè nimis contraria suo dogmati, expuncta & tribu motu volebat, (quod notat Tertullianus cap.11. libro *de carne Christi*) provocare ad instrumenta & acta publica Paganorum, quæ nec suspecta esse poterant, nec obnoxia cavillis. Et quia fortè à Cyrenio inchoata quidem &

& acta fuerat ἀπογραφὴ illa, perfecta verò demũ & exacta à Saturnino ſub Chriſti natalem, inde factum quòd Tertullianus Saturnini meminerit, non Cyrenii. Nec ſine causâ Lucas non dicit, Chriſtum cẽſum à Cyrenio, ſed, ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου ἀπογραφὴν illam factam fuiſſe, id eſt, decretam & ceptam primùm, cujus continuatiô ſub Saturnino incidit in natalem Chriſti, ſiquidem ſolutionem priorem ſequamur. Sin poſteriorem magis probet Lector, dici poteſt, ideò Tertullianum Saturnini meminiſſe, non Quirinii, eò quod non tam cenſitoris quàm pręſidis ordinarii provinciæ, quę cenſebatur, nomen tabulis cenſualibus præſcribi ſolebat.

IX. Tertullianus cæteroquin frequenter ad hunc cenſum provocat, libro *de carne Chriſti* cap. II. ex perſonâ Marcionis loquens, *Aufer hinc*, inquit, *ſemper moleſtos Cæſaris cenſus*, &c. Sic, lib. IV. adv. Marc. cap. VII. *Quomodo in Synagogam potuit admitti tam repentinus, tam ignotus, cujus nemo adhuc certus, de tribu, de populo, de domo, de cenſu denique Auguſti, quem teſtem fideliſsimum Dominicæ nativitatis Romana Archiva cuſtodiunt.* Sic cap. XVIII. vel XIX. & cap. XXXVI. denuò ejuſdem mentionem injicit. Rationem reddit *Pamelius* in notis ad cap. VII. lib. IV. adv. Marc. ideò cenſum illum ingeri frequenter adverſario, eo quod is expunctus fuiſſet è Lucâ à Marcione. Interea tamen & hoc notandum, cùm alibi ſemper, quoties de cenſu illo loquitur Tertullianus, indefinitè loquatur, ſine notatione præſidis vel cenſitoris ſub quo, vel à quo facta fuerit, hîc etiam diſertè cenſus illos actos dicat per *Sentium Saturninum*, nuſquam verò meminerit Cyrenii: probabile admodùm eſſe, eum ejuſmodi exemplari Lucæ uſum eſſe, à quo abeſſet verſus ſecundus, vel ſaltem Quirinii mentio. Quamvis enim ſolutiones ſuprà allatæ, cur Tertullianus Saturnini meminerit, non Quirinii, probabiles ſint, æquè tamen probabile, ſiquidem Tertullianus legiſſet nomen Cyrenii apud Lucam, eum alicubi ſaltem illud expreſſurum fuiſſe, vel ad tabulas cenſuales, non expreſſo *Saturnini* nomine, provocaturum, vel ſaltem, ſi ob hypotheſin Marcionis, hypobolimæa eſſe prima Lucæ capita, ad archiva Romana ſibi provocandum eſſe judicavit, Lectori malagmate aliquo cauturum fuiſſe, ne vel ab hoſtibus Eccleſiæ cum Lucâ committi, vel à Chriſtianis infirmis aut impietatis, aut erroris argui poſ-

ſet,

ſet, quibus minus perſpecta eſſe poterat conciliationis ratio.

Quicquid tamen hujus ſit, viderit etiam Tertullianus id nominis apud Lucam, ſatis ſupérque oſtenſum, quî utrique inter ſe conveniat, & quî idem cenſus veriſſimè dici poſſit actus fuiſſe præſide Cyrenio, quod habet Lucas, & tamen per Sentium Saturninum, quod habet Tertullianus.

DVBIVM VII.

Quî Iudæa ſub Præſide Romano, & deſcriptioni obnoxia Herode regnante?

EXAMEN.

Cauſa dubitandi. Ius Herodis in Iudæos. Solutio Dubii propoſiti. Ius varium. Majeſtas in populo Iudaico penes Romanos. Appiani *obſervatio. Obſequia Herodis & Archelai. Auguſti & ius, & praxis. Diverſa Iudæorum conditio ante & poſt Pompeium M. Cauſa, non Herodis, ſed Cyrenii nominati à Lucâ.*

I. NVLLA diligentia nimia videri debet, quæ in vindicandâ veritate cœleſti ponitur, nec ulla juſtior ἀκρίβεια illâ, quæ in hoc argumento adhibetur. Inquiſivimus hactenus ſuper præfecturâ & ἀπογραφῇ Quirinio Præſide inſtitutâ, 1. In characterem temporis, & σύγκρισιν ἀπογραφῆς Lucæ & Ioſephi. 2. In rationem, cur dicatur πρώτη? 3. In συνδρομὴν præfecturæ Cyrenii cum regno Herodis, & natali Chriſti. 4. In conciliationem Tertulliani cum Lucâ. Sequitur *Dubium* aliud, quod & à profanis moveri poteſt, & Lectorem pium, ſi non offendere, vexare ſaltem & morari. Notum ex collatione Mat-

thæi & Lucæ, natalem Christi concurrisse & cum regno Herodis, & cum ἀπογραφῇ institutâ Præside Syriæ Cyrenio. Quęri potest, qui Iudæa Præsidi Romano obnoxia fuisse dicatur Herode regnante? cum tamen ex Iosepho constet, nullos Iudęam præsides habuisse, nisi Archelao relegato, & Iudęâ in provinciæ formam redactâ, ut velut προσθήκη quædam & appendix Syriæ inposterum accéseretur, & pręsidum Syriæ imperio accederet, quod factum demum decennio ferè à morte Herodis. Adde, descriptionem videri actum Majestatis, quæ cum fuerit in Iudæâ penes Herodem sub Christi natalem, cur illa facta nō tantùm alibi in provinciis Romanis obnoxiis, sed & in Iudæa, quæ parebat Herodi? cur facta etiam in Iudæâ non ab Herode potius quàm à Præside Romano, cui nullum jus erat in Iudęam Herode vivente? Et sanè non Romanis, sed Herodi censum à Iudæis exsolutum fuisse inde liquet, quod populo demerendo, interdum tertia, interdum quarta pars census & vectigalium fuerit remissa ab Herode. Quæ indulgentia nec licita fuisset Herodi, nec rata Iudæis, nisi jus absolutum & αὐτοκρατορικὸν in Iudæa fuisset penes Herodem. Et sanè jus tale non tantùm Herodi collatum videtur SC. Iuliano v i. sed & sancitum ac confirmatum, post cladem Actiacam, referēte *Tacito*, auctum etiam, secundùm Iosephum, lib. xv. *Antiq. cap.* xvi.

II. Speciosa quidem ista, sed parùm firma, si penitiùs excutiantur. Nec inde sacris Scriptoribus periculum, sed robur. Quod ut planum fiat, hæc opponimus. I. Supponi *falsam hypothesin*, nec enim à Lucâ Cyrenius Iudææ præses vocatur, sed Syriæ. Et quamvis Iudæa in Syriâ, præsidum Syriæ tamen imperio non adnumerabatur, nisi post Archelaum relegatum. II. Confundi distinguenda. Aliud esse *jus summum*, aliud *subalternum*, *absolutum* aliud, aliud *limitatum*, istud penes Herodem erat in Iudęâ, illud non item. Rationes sunt. I. Quia regnum ei collatum à Romanis, & collatum ἐπὶ φόροις τεταγμένοις, quod notat *Appianus* ῥωμαϊκῶν ἐμφυλίων libro v. æquè ac Ponti imperium Dario, Pisidarum Amyntæ, Ciliciæ Polemoni, quos in eundem cum Herode censum refert ibidem Appianus. 2. Quia à *Maiestate*, secundùm Iurisconsultos, *non datur provocatio* vel *appellatio*. At ab Herode sæpe provocatum ad Romanos, ad Antonium, ad Augustum. Summum ergo jus semper erat non in

Iudæam

Iudæam tantùm, sed & in ipsum Herodem penes Romanos. Cogitur ille causam dicere Laodiceæ coram Antonio, postulatus cædis Aristobuli, Rhodi coràm Augusto post prælium Actiacum. 3. Accedunt acta innumera alia Herodis, quæ liquidò ostendunt, quàm precarium & restrictum fuerit ejus imperium. Non ad cultum tantùm principis se demittit, sed & ad obsequia subditi, Cæsarem prensando, adulando, demerendo omni studio, imò ejusmodi obsequiis, quæ infra dignitatem Principis. Filios Alexandrum Aristobulum reos peragit apud Cæsarem, nec quicquam de iis statuit nisi consulto Cæsare, & ad illius nutum. Herodi quinetiam, delato à Syllæo apud Cæsarem, rescribit Augustus pro imperio, *se illo usum hactenus ut amico, usurum post ut subdito.* Super criminibus Antipatro intentatis ad Cæsarem denuò itur, nec tollitur Antipater, nisi postquam arbitrio Herodi permissus fuisset. Nec testamentum Herodis ratum, priusquam accederet κύρωσις Augusti. Archelaus ipse, etsi ab Herode successor in regno scriptus, illud non adit, Augusto inconsulto. Tametsi enim ad regnum immani ambitu grassaretur, profitetur tamen apud populum liberè post obitum patris, se à regio nomine abstinere, ἀξίωσιν quidem sibi collatam tabulis paternis, ἐπικύρωσιν tamen pendere à Cæsare, diadematis honorem à militibus sibi oblatum à se rejectum, cùm nondum constaret de voluntate τοῦ κυρίως ἀποδώσοντος. Et reverâ Cæsar regnũ Archelai convertit in ἐθναρχίαν, provincias quę sub Herodis imperio fuerát, partitur inter filios pro arbitrio, & Samaritanis quartam tributorum partem remittit. Ista omnia, prætet innumera alia, satis superque testantur, quàm precarium fuerit regnum Herodis, quod Cæsaris in Herodem imperium, quod ius. An mirum ergo sub tali Rege, qui in clientelâ Cęsaris erat, in ἀπογραφῇ œcumenicâ comprehensam etiam fuisse Iudæam? III. Adde, confundi perperam census ordinarios, tributa, vectigalia Herodi annuis obsequiis exsoluta, cum ἀπογραφῇ extraordinariâ, & cum ἀπογραφῇ sine δασμολογίᾳ, quæ ordinario Herodis juri in Iudæos nihil prorsus derogabat. Neque enim illa subditis tantùm Romanorum imperata, sed & sociis, quibus in servitutis solatium honestius nomẽ relictum. Quærebatur enim, ut suprà ostensum, breviarium Imperii, *quantum civium sociorùmque in armis* &c. Tametsi ergo non

ſubditi fuiſſent Romanis Iudæi, ſed ſocij tantùm, nihilominus tamen œcumenicæ illi ἀπογραφῇ obnoxii fuiſſent. Et quod hodie adhuc Imperatoribus, vel Regibus in regulos & principes minorum gentium licet, id licuiſſe tum temporis Romanis in Herodem, abſurdum cenſeri non debet. Archelao poſtmodùm ſolio excuſſo non capita tantùm & bona Iudæorum ſub ἀπογραφὴν vocata, ſed & viritim cenſus actus à Pręſidibus Romanis, & omnia ſubditorum onera illis impoſita. Alia ſanè erat conditio populi Iudaici, tempore Maccabæorum, quando à Iuda Maccabæo fœdus primò cum Romanis initum, ubi Iudæi vocantur φίλοι & σύμμαχοι populi Romani, reſcripto Senatus ad Demetrium, à quo premebantur. 1.*Macc.* VIII. Sed quamprimùm à Pompejo M. ſubacti fuêre, ſocietatis nomen in ſervitutem abiit, & illi, ęquè ac aliæ gentes devictæ, Romanis vectigales facti eorum imperio acceſsêre. Ab eo tempore Iudęorum gens ſemper in clientela Romanorum fuit, à quibus Reges pro arbitrio inſtituebantur vel deſtituebantur, & tales quidem, quibus precarium & limitatum tantùm erat Imperium, à nutu eorùm prorſus ſuſpenſum, qui Romæ rerum potiebantur, quod ex ſuperioribus ſatis ſupérque liquet.

III. Hæc ſufficere poſſunt ad ἔκθεσιν Dubii propoſiti, quî Herode regnante Iudæa & pręſidi Romano, & τῇ ἀπογραφῇ obnoxia ſtatuatur? cur etiam ἀπογραφὴ illa in ipsâ Iudęâ inſtituta, pręſidi Romano potiùs adſcribatur, quàm Herodi? cùm enim nec ab Herode imperata fuerit, nec inſtituta, quid opus erat Herodis nomen intempeſtivè à Luca ingeri? Pręſtabat utique ἀπογραφὴν illi adſcribi, cui id negotij à Cęſare datum, & à quo id vel inchoatum ſimul & confectum, vel inchoatum ſaltem. Adde, ſatis fuiſſe, ab uno Evangeliſtarum συνδρομὴν regni Herodis cum natali Chriſti notari, cui poſtmodùm acceſſit character alter ab iſtâ ἀπογραφῇ, factâ ſive ſub pręfecturâ, ſive auſpicijs Cyrenii, quem notavit Lucas.

DVBIVM

DVBIVM VIII.

Quî ἀπογραφῆς illius œcumenicæ, Cyrenio præsi-de institutæ, nulla reperiatur mentio in Historiâ paganâ?

EXAMEN.

Requisita testimonii idonei. Silentium Scriptorum super ἀπογραφῇ *Cyrenij. Responsio duplex.* Prima. *Vestigia descriptionis illius in Historiâ exoticâ, in* Lapide Ancyrano, Dione, Tacito, Iosepho. *Erudita observatio* Keppleri. *Corruptela Historiæ de Meßiâ apud Iosephum.* Suidæ *testimonium.* Tertulliani & Iustini Martyris *dicta.* Ἔνστασις. *Qui testes non idonei Iurisconsultis.* Ἔνστασις *confutata. Vindiciæ pro Iustino & Tertulliano. Responsio* secũda. *Causæ silentij Scriptorum. Consuetudo Romanorum. Scriptorum eclipses: Aliorum occasus.* Baronius *laudatus. Idem notatus: Theologi orthodoxi defensi. Causæ mysticæ silentii Scriptorum. Sacrorum Codicum* ὑπεροχή. Demetrii *observatio. Iudicia Dei in profanos. Corruptelæ Sacræ Historiæ apud Paganos.* Taciti & Suetonii *de Iudæis & Christianis nugæ. Causæ generales silentii Scriptorum exoticorum super Iudæis, specialis, super* ἀπογραφῇ *Lucæ.*

I. PLVRALIS *elocutio* ad testimonium idoneum requiritur à Iurisconsultis. *Pluralis* verò *elocutio duorum* quidem *numero contenta est*, secundùm *Vlpianum* Digest. lib.XXII. Tit.V. *de testibus*, duos tamen minimùm exigit. Si hac Lege cum Lucâ agatur, super ἀπογραφῇ Cyrenio præside institutâ, vix videtur locus esse Lucæ vel tuendo, vel vindicando. Ita altum eâ de re apud Historicos omnes silentium, quibus vel Augusti tempora, vel posteriora secula abundârunt. Vix enim ejus vestigium reperias apud *Iosephum, Dionem*, *Tacitum*, *Suetonium*, *Velleium Paterculum*, & alios id genus Scriptores. Id verò eò magis mirum, quia ἀπογραφὴ illa non particularis fuit, sed universalis, non provincialis, sed œcumenica, adeoque celeberrima, & in vulgus etiam nota. Non sine causâ ergo Lucæ fides à profanis solicitari posse videtur super hac ἀπογραφῇ, quippe quæ sine teste profertur.

II. Nullo hîc apologetico opus Lucæ apud Lectores Christianos, qui sacri Scriptoris non dignitatem tantùm, sed & αὐθεντίαν compertam habent. Nôrunt illi, Lucam fuisse Scriptorem θεόπνευστον, & eo ipso αὐτόπιστον, adeoque talem, quem nec exotica testimonia juvent, si adsint, nec lædant, si absint. Sufficere ad fidem, sacris Scriptoribus aliquid dictum, etsi indictum aliis omnibus. Sed quandoquidem profanorum etiam cavillis occurrendum, & impietas coercenda, nec hîc desunt quæ illi jure opponamus. Responderi posset cum *Arcadio*, Digest.lib.XXII. Tit.V. §.XXI. *Non ad multitudinem respici oportere, sed ad sinceram testimoniorum fidem, & testimonia, quibus potius lux veritatis assistit.* Impari numero ille credendum etiam quandoque judicavit, nos uni potius Lucæ, quàm toti Scriptorum, quotquot unquam fuerunt, turbæ. Sunt tamen etiam non pauca alia, partim Historica, partim mystica, quibus hîc & silentium aliorum excusemus, & narrationem Lucæ tueamur. Revocamus illa ad duas classes, & ad quæstionem propositam respondemus I. per ἄρνησιν, negando quod objectum. II. per συγχώρησιν, id concedendo certâ ratione, sine causæ nostræ dispendio.

III. *Negationem* quod attinet, tametsi non diserta & explicita ἀπογραφῆς illius apud ullum Scriptorem mentio, quod

faſſi ſumus *Dubio* III. falſum tamen, nullum ejus veſtigium exſtare apud Scriptores priſcos. Imò multa in antiquorum ſcriptis reperiuntur, quæ commodè admodùm & appoſitè ad ἀπογραφὴν illam referri poſſunt, qualia ſunt. 1. Quæ è monumento Ancyrano, rerum geſtarum Auguſti indice (de quo conſuli poteſt *I. Lipſius* in Auctario) cumprimis ex ſerie ejus ſecundâ eruuntur, unde colligi poteſt & triplicem cĕſum egiſſe Auguſtum, & medium ex tribus, quos egit ſolus, indictum circa XXXVIII. Iulianum, ceptum forſan vel anno illo, vel ſuperiore, continuatum ſequentibus, & actum circa XL. vel XLI. in Iudæâ. 2. Quod de quatuor libris ab Auguſto relictis, & à Druſo in Senatu recitatis, habet *Dio* libro LVI. inter quos tertius erat breviarium continens τάτε τῶν στρατιωτῶν, καὶ τὰ τῶν προσόδων, τῶν τε ἀναλωμάτων τῶν δημοσίων, τότε πλῆθος τῶν ἐν θησαυροῖς χρημάτων, καὶ ὅσα ἄλλα τοιουτότροπα, ἐς τὴν ἡγεμονίαν φέροντα ἦν. Iſta ſanè ſine ἀπογραφῆ œcumenicâ vix vel Auguſto comperta eſſe poterant, vel ab eodem ſcripto conſignari, & in rationarium referri. 3. Tale quid à *Tacito* quoque notatum, Annalium primo, à Tiberio prolatum libellum Auguſti, & recitari juſſum, in quo *opes publicæ continebantur, quantum ciuium, ſociorúmque in armis, quot claſſes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia, & neceſſitatès ac largitiones, quæ cuncta ſuâ manu perſcripſerat Auguſtus.* Reſpondent iſta *rationario* Imperii, cujus meminit *Suetonius*, dubio procul magnâ ſui parte ex indiculis ἀπογραφῆς œcumenicæ conflato. 4. Tale quid in Iudæa factum circa ultima Herodis tempora ſub Chriſti nativitatem, videtur non præter rem omninò colligi à *Kepplero* ex Ioſepho *Antiq. lib.* XVII. *cap.* III. Narrat iſtic loci Ioſephus, novo ſacramento totam gentem fidem ſuam obſtrinxiſſe Cæſari & Herodi, quod in ἀπογραφῆ & exigi potuit, & præſtari, ſupra ſex verò millia Phariſæorum juramentum detrectaſſe. An abſurdum, id factum ob rumorem gliſcentem de rege Iudæorum vel jam nato, vel brevi naſcituro, ſecundùm periodum natali Meſſiæ vaticiniis propheticis præſtitutam? Additur, ab iiſdem prædictum, finem regni Herodis inſtare, illúdque transferendum in aliam prolem. Tametſi enim id ad Pheroræ liberos referatur apud Ioſephum, nihil obſtat tamen, quominus rumoribus de novo Rege naſcituro jam tum Iudæa perſtrepuerit, unde Herodes adeò turbatur ſuper adventu &

quæſtione Magorum, ob id ipſum Hieroſolymam è locis longinquis ſe recipientium. Hunc rumorem ſecuta legitur cædes apud Ioſephum, & vatum illorum, & complicum, addamus nos cum Evangeliſtâ, infanticidium Bethlehemiticum. Nec prætereunda hîc elogia illa magnifica Regis ſuſcitandi ſecundùm vaticinia, futura illi omnia καὶ χεῖρα, & ſucceſſionis certam in propriâ prole ſpem, quæ non incommodè applicari poſſunt ad vaticinia prophetica de potentiâ & æternitate Meſſiæ, *ſemen eius manſurum in æternum, nec regnum ejus diſſipatum iri*, & alia id genus. Nec mirum, talia multa, de quibus in Hiſtoriâ Evangelicâ ſermo, ab homine Iudæo, ſive errore, ſive partium ſtudio, aliter accepta, aliter relata. 5. Tametſi etiam deſcriptio, de quâ *Suidas* in voce ἀπογραφῆς ex antiquo Scriptore anonymo, ut ſuprà notatum, quoad poſteriorem ſui partem non conveniat deſcriptioni Lucæ, quatenus iſta fuit ſine δυσμολογία, illa cum eâ: tamen nihil obſtat, quominus illa, quæ ſine temporis notatione proferuntur, aliquo modo huc referamus, & inde analogicè ſaltem inferamus, ſine abſurditate circa ultima Herodis tempora id factum ſtatui, quod nec inſolens Auguſto, nec novum. Refert ibi *Suidas*, Auguſtum miſiſſe xx. viros τοὺς ἀρίστους τὸν βίον καὶ τὸν τρόπον. In hoc cenſu Quirinius vel propriâ virtute locum habere potuit, vel opinione Auguſti, neque enim aliâs iuventuti Caji admotus fuiſſet. Illi xx. Viri miſſi dicuntur ab Auguſto ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν τῶν ὑπηκόων, δι᾽ ὧν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο τῶν τε ἀνθρώπων καὶ τῶν οὐσιῶν, &c. Quid hoc aliud quàm ἐξῆλθε δόγμα &c. ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην? quid πᾶσα οἰκουμένη hîc niſi πᾶσα ἡ γῆ τῶν ὑπηκόων, quæ verba ſunt Commentarii inſtar verborum Lucæ? Adde, ἀπογραφῆς vocem diſertè apud Suidam iſtic loci haberi. 6. An credibile etiam, *Tertullianum* Scriptorem eximium ita vel ſuæ famæ, vel orthodoxorum cauſæ prodigum fuiſſe, ut ad archivum Romanum, tabulas cenſuales, acta publica, quæ in paganorum forulis, provocare ſuper eâ re ſuſtineret, in ſcripto præſertim eriſtico, & apud hominem vafrum, niſi pro comperto habuiſſet, ſatis ſibi & ſuæ narrationi publicis monumentis cautum eſſe? 7. Sic Tertulliano antiquior *Iuſtinus Martyr* ad cenſum Quirinio præſide actum provocat Apologiâ II. pro Chriſtianis, & apud quos? apud Imperatorem Antoninum pium, Senatum

Roma-

Romanum,& populum universum, inquiens, vicum quendam esse Bethlehem in regione Iudęorum, triginta quinque stadiis Hierosolymis distantem, ubi natus fuerit Christus Iesus. Addit verò, ὡς καὶ μαθεῖν δύνασθε ἐκ τῶν ἀπογραφῶν τῶν γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου τοῦ ὑμετέρου ἐν Ἰουδαίᾳ πρώτου γενομένου ἐπιτρόπου. Annon suæ & Christianorum causę proditor Iustinus? annon famę suæ decoctor siquidem census hypobolimęos, vel dubios saltem & incertos, iis ingerere nihil pensi habuisset, penes quos erant acta publica, fasti, tabulæ censuales, monumenta omnia antiquitatis, quibus revinceretur, & per latus ipsius Christianorum causa, pro quâ tam solicitè & tam operosè laborat vir eximius? Sic in *Dialogo cum Tryphone Iudæo* eosdem census ingerit Adversario, Iosephum profectum in Bethlehem, ad descriptionem, ἀπογραφῆς οὔσης ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ τότε πρώτης ἐπὶ Κυρηνίου. Quid attinebat ἀπογραφῆς illius mentionem injicere, siquidem res erat vel obscura, vel non explorata? Tempora quoque Iustini non ita remota erant à seculo natalitio, quin rerum eo gestarum memoria adhuc vigeret.

IV. *Inst.* Oggeri nobis fortè poterit, esse hos testes *de domo productos*, quos *Paulus* Iurisconsultus non interrogandos censuit, prout & Iurisconsultis *non* videntur *testes idonei, quibus imperari potest, ut testes fiant.* Digest. lib. XXII. Tit. V. §. VI. Et sapienter quidem, cum nec cōtradicere honestum sit, nec tutum illis, quibus obsequium debetur, vel in quorum placita semel itum. In hoc verò censu videntur esse & Iustinus & Tertullianus, adeoque testimonia illorum suspecta, quia obnoxia. *Resp.* I. Nullus sanè testis *de domo productus* idoneus in re suâ, in re incompertâ, privatâ, dubiâ, obscurâ, qui sibi credi jubet: at quivis testis idoneus in re publica, nota, obvia, qui ad publica instrumenta & monumenta provocat, qui non sibi, sed fidei publicæ fidem haberi vult, quod faciunt & Iustinus & Tertullianus. 2. Imò provocatio ejusmodi testis sinceritatem commendat, & probat non esse lucifugam, tenebrionem, sycophantam, quadruplatorem, sed *integræ frontis* hominem. 3. Testimonia quinetiam suspecta, quando vel imperata, vel extorta, vel pretio conducta, vel spe aut metu corrupta, vel talia, in quibus totum causę momentum, probatio omnis. Quid hîc tale? Licebat Iustino & Tertulliano, sine causę, quam agunt, di-

pendio mentionem ἀπογραφῆς illius prçterire. Cui bono, in cujus gratiam confictum, ἀπογραφὴν aliquam factam tempore natalis Christi? quid inde lucelli, vel spei Iustino & Tertulliano? quid causę Christianorum compendij? An sine illa incarnatio Domini nec certa foret, nec nota? Itáne deerant probationes aliæ? & fingendum erat factum œcumenicum, quod nonnisi ab omnibus revinci poterat, & fingenti probrum, causę prçiudicium grave creare. Et hoc non fuisset περπερεύεσθαι, & παραφρισβεύειν? Eadem Lucę integritati hac in parte vindicandę sufficere possunt apud Lectores sani capitis, & bonæ mentis. Adde, nec ἀπογραφὴν illam unquam negatam à Celsis, Porphyriis, Iulianis, vel aliis id genus portentis, quibus nefariâ subtilitate excussa & perstricta, quę uspiam in libris sacris vel negari posse videbantur, vel perverti, quorum silencio satis supérque absolvitur Lucas.

V. Dictum verò etiam, responderi posse *per* συγχώρησιν. Concedamus, quod absolutè concedi non debet, nihil tale apud ullum Scriptorum uspiam reperiri, nec ἀπογραφῆς mentionem sive directam, sive indirectam, sive implicitam, sive explicitam ullibi exstare, causæ tamen nihil est, cur Lucæ fides abrogari debeat. Prætermitto argumenta, quæ sunt οἰκεῖα domesticis fidei ab αὐθεντίᾳ, & αὐτοπιστίᾳ Lucę, & alia id genus, quę non valida tantùm sunt, sed & supra ἀποδείξεις omnes. Non desunt tamen & causę alię, quæ satis superque docent, mirum non esse, non expressam mentionem istius ἀπογραφῆς apud Scriptores Romanos exstare. 1. Notat *Tacitus*, ex dignitate populi Romani fuisse, *res illustres annalibus, cætera actis diurnis mandari*, inter quæ & redituum rationes, adeoque & census ac ἀπογραφαί. Vnde, quamuis & ordinariæ & extraordinariæ frequenter agerentur, rarissima tamen illarum apud Scriptores mentio. 2. Iosepho commemorata secunda sub Quirinio, quia conjuncta cum mutatione Reipublicæ, & motibus variis. 3. Multa alia id genus Iosepho, aliísque Scriptoribus omnibus dissimulata, multa uni tantùm observata, quæ ob id non minus certa. An ex unius Dionis fide vigesimę pensitatio admittenda, ex Suetonio & Tacito multa, quamvis sine teste, ex Lucæ nostri fide ἀπογραφὴ non item? Cur huic Scriptori gravi, candido, incorrupto, illorum temporum, de quibus scribit,

παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς fides minor? Præſertim nullo alio contradicente. 4. Adde, Scriptores illorum temporum magno numero, barbarorum irruptionibus, urbium excidiis, temporum injuriâ, aliis id genus cladibus funeratos, alios bonâ ſui parte truncatos, multa etiam vel mutata, vel expuncta à Religionis Chriſtianæ oſoribus, quæ fidem ſacris literis facere poterant apud homines minùs imbutos religione, quæ debetur ſacris Scriptoribus.

VI. Laudanda hìc *Baronii* induſtria, qui ad hunc ſcrupulum tollendum multa appoſitè obſervat §. XCV. 1. Monumenta Hiſtoricorum nobiliſſimorum illorum temporum excidiſſe. 2. Dionis Hiſtoriam in Conſulatu Antiſtii & Balbi ad Conſulatum Meſſalę & Cinnæ per decem annorum ſpatium, quinque ante Chriſtum natum, totidem poſt, è Commentariis ſublatam periiſſe. 3. Taciti Annales non niſi ab imperio Tiberii incipere. 4. A Suetonio nullum temporum ordinem ſervatum, multa prætermiſſa. 5. Ab acerrimis hoſtibus Eccleſiæ Chriſtianæ ἀπογραφὴν iſtam nec negatam, nec impugnatam, utpote publicâ Archivi Romani fide obſignatam. Vtique ſanè illa ipſa potiſſimùm Dionis intercidiſſe, quę ſub natalem Chriſti accidêre, fraudis ſuſpicione non caret. In Tacito nihil tale quęrendum res docet, cùm ille pauca tantùm, & ἐν παρόδῳ ex ævo Auguſti delibet. Notum etiam Suetonium pauciſſimis pagellis LVII. annorum Hiſtoriam, rerum illuſtrium, ſi ulla alia, copiâ fœtam complecti. In talibus itaque ultrò Baronio ſubſcribimus, & obſervationes ejus probamus.

VII. Illud verò probare non poſſumus, quod à Theologis noſtris, quos ut noſtri ſeculi Novatores invidioſo nomine onerat, fidem illi ἀπογραφῇ Lucę abrogatam, criminatur. Nulli noſtrorum id unquam in mentem venit, & ſi veniſſet, quod Baronius nunquam probabit, ſit ille ἀνάθεμα, μαραν-αθά, *Tros Rutulúſve fuat, pariter det ſanguine pœnas.* Aliud verò, ſuſpicari in Codicē Lucę aliquid infartum, aliud Lucę fidem ſollicitare. Nihil cæteroquin antiquius illis, in quos invehitur Baronius, primâ & priſcâ antiquitate, & ſacrorum voluminum authoritate, & qui eo potiſſimùm nomine Theologis Romanenſibus ſunt exoſi, quod novitatum in Eccleſiam invectarum

& hoſtes ſint, & Ariſtarchi, quippe qui ſoli S. Scripturæ affixi id unicè ingerunt Adverſariis, *Scriptum eſſe*, *Non fuiſſe ita ἀπ' ἀρχῆς*, *non deſlectendum ad dextram vel ſiniſtram*, *nihil adjiciendum vel auferendum*, ſolis ſacris Scriptoribus fidem deberi, reliquis judicium.

VIII. Addimus verò, pro ſuperpondio, ſuperioribus cauſas myſticas, cur Deus Opt. Max. raró voluerit à ſacris Scriptoribus notata à profanis referri. Id factum videri 1. ad exercendam & ſubigendam fidem, cui non levis tentatio à Scriptorum aliorum ſilentio. 2. Ad notandam ὑπεροχὴν & ſanctitatem Hiſtoriæ ſacræ, quam nefas attingi calamo profanò, unde nec Dæmoniorum vel energumenωn teſtimonia pro Chriſto & Apoſtolis admiſſa, aut probata. Locum hîc habet illud *Callimachi*, ἑκὰς, ἑκὰς ὅςις ἀλιτρός. Nullus *Cananæo* locus *in domo Iehovæ exercituum*. Sic, *Ioſepho* referente libro XII. Antiqu. cap. 11. Demetrius apud Ptolemæum Philadelphum ex Hecatæo Abderitâ de Sacris voluminibus loquens inquit, nec poetas, nec hiſtoricos legis divinæ meminiſſe, ὡς ἁγνῆς ὅσης, quá non conveniat βεβήλοις ςόμασι διασαφεῖσθαι. Et idem repetitur paulò poſt, Rege demirante, quî factum, quod tam eximiarum legum nec hiſtoricorum ullus, nec poetarum meminiſſet? reſpondit Demetrius, neminem auſum eas attingere, quippe quas conſtet eſſe divinas & veneratione dignas, punitos etiam quoſdam, qui tale quid moliti eſſent. Theopompum enim ex divinis illis voluminibus quædam ſuis inſerentem, mente motum, triginta dierum rabie temeritatem luiſſe: Theodectum etiam tragicis ſuis talia miſcere conantem, ſcotomate percuſſum juſtas audaciæ pœnas dediſſe. 3. Id factum etiam, ad deſignandum χάσμα & διάςημα ingens quod inter Hiſtoriam ſacram & profanam interjectum, adeò quidem, ut quæ ex hiſtoriâ profanâ attingit Spiritus Sanctus, illa velut inacceſſa eſſe voluerit Scriptoribus aliis. 4. Ad διδασκαλίαν & παιδείαν, unicum nobis eſſe credendorum principium, illi uni hærendum, illud unum tantæ dignitatis eſſe, ut omnium inſtar eſſe debeat. 5. Ad declinandas Paganorum, & aliorum Eccleſiæ hoſtium calumnias & corruptelas, quibus illi res ſacras, & quæ Hiſtoriam Eccleſiæ concernunt, plerunque fœdare conſuevêre. Nunquam enim ferè ab illis attinguntur, quod rariſſi-

rariſſimè fit, quin ſordidentur ineptis & ridiculis commentîs. Mitto quæ de Mundi & hominum creatione, quæ de cataclyſmo olim fabulati ſunt Poëtæ, de Iudæorum inſtitutis & hiſtoriâ quàm pauca apud paganos! præcipua illis ignorata, reliqua ita delumbata & detorta, ut vix veſtigium veræ & veteris hiſtoriæ in illis reperiatur. Argumento ſint acerrimi cęteroquin Scriptoris, (*Tacitum* intelligo) prodigioſa de Iudæis
„ commenta initio *quinti Hiſtoriarum*, Iudæos dici quaſi
„ Idæos ab Idâ Cretæ monte, eos Hieroſolymo ac Iudâ Duci-
„ bus in proximas terras exoneratos, Solymos Hebræorum
„ carminibus celebratam gentem conditæ urbi Hieroſolymæ
„ nomen è ſuo feciſſe: Fortuitum iter Ægypto ejectos incepiſſe,
„ gregis aſinorum ſylveſtrium ductu è rupe nemore opacâ Mo-
„ ſen largas aquarum venas aperiiſſe: Eos ſex dierum iter emé-
„ ſos, ſeptimo, pulſis cultoribus, obtinuiſſe terras, in quibus urbs
„ & templum diruta ſunt. Effigiem animalis (aſini) quo mon-
„ ſtrante errorem ſitímque depulerint, ab iis penetrali ſacra-
„ tam. Sue abſtinere, memoriâ cladis, quod ipſôs ſcabies quon-
„ dam turpaverat: Longam olim famem crebris adhuc jeiu-
„ niis fateri: Raptarum frugum argumentum, panem Iudaicum
„ nullo fermento detineri: ſeptimo die otium placuiſſe, quia
„ is finem laborum tulerit, dein blandiente inertiâ ſeptimum
„ quoque annum ignaviæ datum: Honorem eum, ſecundùm a-
„ lios, haberi Saturno: Nec quidquã priùs imbui Iudæos, quàm
„ contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres
„ vilia habere. Videamus etiam, quæ *Tacitus* xv. Annalium, quando occaſione incendii à Nerone excitati, ne juſſum crederetur, in Chriſtianos ſævitum narrat, de Chriſto & Chri-
„ ſtianis referat. Abolendo rumori, inquit, Nero ſubdidit
„ reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inviſos,
„ vulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis ejus Chri-
„ ſtus, qui Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pi-
„ latum ſupplicio affectus erat. Repreſſáque in præſens exi-
„ tialis ſuperſtitio rurſus erumpebat, non modò per originem
„ ejus mali, ſed per urbem etiam, quò cuncta undique atrocia
„ aut pudenda confluunt, celebrantúrque. Addit, illos haut periñde in crimine incendii, quàm odio generis humani convictos fuiſſe. Nec aliter *Suetonius*, in Claudio, cum Iudæos

impulsore Chresto assiduè tumultuantes Româ expulisse. Quod non falsum tantùm, sed & ἀνιστόρητον prorsus & fatuum. Multa ejusdem commatis, sive de Iudæis, sive de Christianis in paganorum monumentis apud eximios cęteroquin Scriptores, quos ita infatuârat suorum temporum superstitio, ut videantur velut œstro quodam perciti furere & κορυβαντιᾶν, ubi res Ecclesiæ attingunt. Ex his, ne alios attingamus, liquet, singulari Dei providentiâ effectum, ut hæc sacra operta maximam partem & inaccessa essent Scriptoribus paganis. Idem semel responsum esto omnibus illis, qui Historiam sacram tantùm testibus de domo productis dictam, indictam aliis quiritantur, ideò enim illa indicta, quia sacra, quia res & peculium Ecclesiæ, quia supra argumentum & captum communem. Taceo antiquitatem primæ Historiæ, quæ omnia Græcorum & Romanorum monumenta, omnem illorum memoriam transcendit, unde non mirum inaccessa fuisse talia utrique genti, quarum Scriptores rarò ea attingunt, quæ apud gentes remotas ante sua tempora contigêre, nunquam ferè, quin strenuè nugentur. Adde, Iudæos, sacram Deo gentem, paganorum commercio prohibitos sibi antiquitùs vixisse, nec sui copiam aliis fecisse, & angusto terræ angulo conclusos, ac linguâ, institutis, moribus, sacris ab omnibus disterminatos nonnisi gētibus illis diu patuisse, à quibus, Dei patientiâ proritatâ, subacti interdum & coërciti fuêre. Quarum gentium monumenta quum interciderint, frustrà Iudæorum Historia apud alios quàm sacros testes quæritur. Sufficiunt ista muniendis piorum auribus & animis, siquidem sacrorum Scriptorum fidem quandoque pestilentibus cavillis solicitari contingat. Quanvis verò ἀπογραφὴ, de quâ Lucas, & posteriorum temporum fuerit, & à Principe, & sub Principe, cujus historia multis scripta, nota etiam & famosa, utpote œcumenica, mirum tamen non est, ob causas supradictas, vix ejus vestigium reperiri apud Scriptores exoticos. Et quandoquidem non tantùm in natalem Servatoris incidit, sed & ob id ipsum divino consilio instituta, velut sacra esse debuit & inaccessa Scriptoribus exoticis, æquè ac περιστάσεις aliæ incarnationis Dominicæ, ut quæcunque circa cœleste istud mysterium contigêre,

tigêre,

tigerit, non admitteret ratio, sed apprehenderet fides, eaque non testimoniis, non documentis exoticis, nec ullo alio tibicine fulta præterquam oraculorum cœlestium.

DVBIVM IX.

Cur Christus tempore ἀπογραφῆς illius œcumenicæ natus fuerit?

EXAMEN.

Causa Dubii propositi. Observatio Augustini *super tempore adventus Christi. Character* ἀπογραφῆς *respondet characteribus propheticis. Status populi Iudaici, & necessitas instaurationis.* Ἀπογραφὴ *nota pacis prædictæ & procurandæ. Quæ & quotuplex pax à Christo. Institutum claudendi Iani Gemini. Alcyonis emblema. Providentia Dei in B. Virgine Bethlehemum deducendâ. Casualia multa à causis secundis, non primâ. Exempla eximia.* Τὸ ἐγένετο Luc. *II.I. quale? Dei in Reges Imperium. Primum Augusti obsequium, symbolicum. Libertatis & necessitatis concursus in Augusto & Cyrenio.* Novatores *notati. Et mali & mala ancillantur Deo. Peccatum Augusti quomodo & quò directum.* Ἀπογραφὴ *Iosephi & Mariæ nota generis utriusque. Fœminæ etiam sub censum vocatæ à Romanis. Mira Dei providentia. Alius vaticinij complementum occasione* ἀπογραφῆς. *Descriptionis Christi in actis pa-*

ganorum scopus & usus. Nativitatis Christi spectatores acciti. Observationes veterum super συνδρομῇ *descriptionis & natalis Christi. Allegoriæ contortæ Scholasticorum.* Augusta *pro* Sanctis *ex* Nasone. *Descriptio œcumenica, symbolica.* Ambrosii & Orosii *observationes. Nomen* Domini *recusatum ab Augusto. Distinctio* Plinii *inter dominationem & principatum. Cur Christus peregrè, & in alieno & in viâ natus?* Παιδείας *&* τροπολογίας *utiles. Allegoriæ violentæ* Bedæ *explosæ.* Augustini *observatio solida. Documentum tropologicum de obsequio Magistratui debito.* Libertini *notati. Prodigia &* τέρατα *conficta circa natalem Christi, explosa.*

I. NIHIL in actionibus humanis magni, nihil in divinis parvi. Vnde parva etiam dictu, immensa esse debent æstimatione, quando à sapientiâ illâ profecta, quæ talis. Applicamus hoc axioma nativitati Christi, quam Lucas refert incidisse in ἀπογραφὴν œcumenicam ab Augusto institutam. Vt verò περιστάσεις aliæ, quas divina providentia circa sacrosanctum illud mysterium & reperiri voluit, & observari, magnæ sunt & arduæ: sic dubium non est, quin graves ob causas quoque συνδρομὴ illa natalis Christi & descriptionis sub Augusto arcano Dei consilio præstituta fuerit, & consignata à sacro Scriptore. Et sanè, siquidem penitiùs in causas ejus rei inquiramus, adeò expressos sapientiæ divinæ characteres in hac ipsâ περιστάσει reperiemus, qui sufficiant augustissimæ Christi nativitati demonstrandæ, piorum animis ingenti solatio reficiendis, profanorum verò cavillis retundendis. Proinde non alienum fuerit ab instituto nostro in hoc quoque argumentum incumbere, & præcipua, quæ sive ad διδασκαλίαν, παι-

δείαν

δείαν & *παράκλησιν* fidelium, sive ad *ἔλεγχον* hostium Ecclesiæ pertinent, velut edecumare.

II. Monet optimè *Augustinus* lib. de Quæst. Vet. & Novi Testamenti quæst. XXXIII. de causâ, cur Christus tum temporis potiùs nasci volerit, quàm aliâs, non esse anxiè vel curiosè litigandum, *Idcircò*, inquit, *tunc venit, quando venire debuit, suæ voluntatis secutus rationem, non meritum nostrum: Nam si merita perpendas, venire non debuit. Venit ergo, quando & subvenire debere scivit, & gratum futurum beneficium.* Illa ipsa tamen œconomia causas habuit graves & arduas admodùm, de quibus inter alios videri potest *Greg. Nyssenus* Homil. de Sanctâ Christi nativitate. Cur verò tempore *ἀπογραφῆς* potissimùm nasci voluerit, causæ præcipuæ sunt: id factum, 1. Vt non tantùm res tam illustris charactere temporis illustri consignaretur, sed & tali, qui responderet vaticiniis propheticis, & ostenderet Iudæorum servitutem sub sceptro alieno, periodum à Iacobo designatam, regni quarti à Daniele notati *πλήρωμα*, cujus temporibus promiserat Deus *Dan.* 11. 44. se suscitaturum *cæli regnum, quod non destrueretur in secula, sed comminueret & consumeret omnia alia.* Tale quid observatur ab *Hieronymo* Comment. in Danielem. Et sic character iste Lucæ apprimè respondet characteri Matthæi de regno Herodis. Descriptio enim Iudæorum sub Augusto erat publica servitutis professio, & tessera obsequii, quod debebatur principi extero, adeóque *ἀπόδειξις*, advenisse *πλήρωμα* illud *χρόνου*, quo Messias nasci debuit, & lapis sine manibus è monte exscindi.

II. Tunc potissimùm conveniebat exhiberi Salvatorem Iudęis vindicandis, quum Iudæa regnorum aliorum instar Romano Imperio accensebatur, & Iudæi publicum velut sacramentum obsequii & subjectionis dicebant principi extero, adeoque non Dei amplius, sed Augusti populus censebantur. Hoc enim rerum statu videbatur Deus jussisse populum suum esse *Lo-ammi*, suas res sibi habere, gentibus adnumerari, sine ullo veteris prærogativæ intuitu. Quam calamitatem corporalem voluit Deus esse indicem & nuntiam spiritualis, & designare iugum, quod cervicibus populi sui incumbebat sub peccati & Sathanæ tyrannide. Solet verò Deus tunc potissimùm suis adesse manifestatione suæ gratiæ, quando omnia concla-

mata videntur & desperata, quando cervici Isaaci incumbit gladii acies, duplicantur lateres, Davidi circumsesso à Saule nullum effugium, & Petri supplicio dies dictus. Tunc enim beneficium & illustre magis, & magis gratum, aptius etiam providentiæ simul & potentiæ Dei manifestandæ.

III. Accedit & hoc, inter characteres designantes periodum exhibendi Messiæ, & hunc à Prophetis præstitui, *Esa.* II. *Mich.* IV. & alibi passim, pacifica fore tempora illa, & tranquilla, cõvenientia principi pacis, qui *pax nostra. Ephes.* II. 14. Vtpote à quo 1. *pax hominum cum Deo* & promulgata, & procurata. 2. A quo conciliata *pax hominum cum hominibus*, intergerini parietis septo soluto, inimicitiâ ac lege mandatorum, quæ in ritibus, abolitâ, conjunctis lupis cum agnis, pardis cum hœdis, Iudæis & gentibus in unum corpus redactis. 3. A quo constituta *pax hominum in se ipsis*, conscientiis tranquillatis & persuasis de pace æternâ sibi partâ, coercitis etiam affectibus, & edomitâ carnis per Spiritum S. ferociâ. Meritò ergo pacis tempore natus, qui *veniens evangelizavit* & attulit *pacem & iis qui procul* erant, *& iis qui propè*, sub quo ferociam posuêre & lupi & pardi, unde non sine causâ Angeli præcones tantorum natalium pacis in terra constituendæ meminêre. Pacis verò illius symbolum erat, pax externa, cujus index certus ἀπογραφὴ œcumenica, quæ turbidis temporibus nec indici poterat, nec institui. Et sanè sub tempus Christi exhibiti, ex veteri Numæ Pompilii instituto, Iani Gemini portæ clausæ, & in eo pax obserata, *extirpatis*, ut habet *Paulus Orosius* lib. VII. capite II. *bellorum radicibus*. Sic tum temporis, *feritate atque rabie singularũ gentium, immensáque libidine dominandi repressâ, in unius ditionẽ pariter omnia conciderunt regna, & hoc non hominum fortitudo, vel prudentia, sed Dei omnipotentia, quod anteà nusquam fuerat, præparavit.* Clausum verò mansit templum illud, eodem Authore, integro duodecennio, ita ut iam fores rubigo corriperet. Sub hæc ergo tempora nasci debuit princeps pacis, verus ille *Melchisedec, Rex Salem, Salomo* mysticus, cujus mirando partu undosum mare nõ potuit non mitescere, ventorum procellæ cadere, flatus aurarum quiescere, & stare placidum ventis mare, quod de partu Alcyonis refert *Ambrosius* Hexaem. lib. V. cap. XIII. Si tantam gratiam

gratiam Alcyon avis minuscula divinitùs indultam habet, ut quatuordecim dies nautici præsumptæ serenitatis observent, quibus ova & excludit & fovet, quidni cœlesti illi partui in dulta gratia major, imò orbi terrarum, cujus bono venit? quæ quidem descriptionis illius œcumenicæ charactere signatur.

IV. Nec dubium, ἀπογραφὴν illam divinitùs reservatam temporibus Messiæ exhibendi, non tantùm, ut via sterneretur complemento vaticinii prophetici, quo Bethleem patria Messiæ præstituta *Mich.* v. 2. *Ioh.* VII. 42. Sed ut sterneretur modo prorsus mirando & extraordinario. Minus utique mirum fuisset, Christum nasci in Bethleem, siquidem B. Virgo rerum suarum sedem jam olim ibi fixisset, poterat enim videri partus ille vel communis, vel fortuitus. Quot enim tunc fœminæ aliæ Bethleemi incolæ in patriâ fœtus enixæ? At mirum, edicto Imperatoris acciri Virginem ex vrbe Nazareth, & gravidam quidem ac partui vicinam, adeóque dubio procul invitam & reluctantem, adverso etiam anni sidere, ut sanctissimum illum fœtum Bethleemi deponeret, quem domi parere constituerat, quamvis nec illi, nec Iosepho quicquam tale ante edicti promulgationem prævisum, vel destinatum. Hinc sanè elucet admiranda Dei providentia, & clarum, nihil humano consilio circa nativitatem Christi gestum, nihil arte à Iosepho vel Mariâ quæsitum, quippe quorum iter nec spontaneum, nec gratuitum, sed necessarium, & ad nutum superiorum unicè compositum. Alii ergo infantes communiter nati Bethleemi, Christus singulariter, & ex causa peculiari, adeóque in illo Micheæ vaticinium adimpletum, non in aliis. Hinc & alia documenta eximia. 1. Quæ videntur casualia vel fortuita, nobis talia esse, non Deo, nec minus vel volita & ordinata, vel prævisa, etsi nobis non cogitata. Statutum divinitus, egressurum Messiam ex Bethleem, prędictum etiam. Vt id fiat, indicitur descriptio orbis, publicatur in Iudæâ, iubentur incolæ in urbes familiarum μητροπόλεις se conferre, ad iter se accingunt Iosephus & Maria, recipiunt se in Bethleem. Tempus partus urget, enititur ibi B. Virgo fœtum. Quis non casu ista omnia contigisse putaret, nisi præordinata fuissent & prædicta? Exempla id genus alia obvia in Scripturâ, v.g. 1. *Reg.* XXII. Constitutus Deo,

prædictus etiam Achabi interitus in Ramoth Galaad, consultat ille cum Iosaphato, prophetas consulit, ascendit etiam spreto Micheæ oraculo, mentitur habitum, triginta duobus præfectis curruum id negotii datur, Regem Israelis petant. Inanis conatus Regis Syriæ, & delectorum, non Dei. Ecce *quidam jaculans arcu simplici animo percutit Regem Israelis inter commissuras.* Qui nihil minus cogitat de exequendo Dei decreto, illud exequitur. Locus alius illustris cumprimis reperitur *Ezech.* XXI. 26. Indicitur Iudæis clades à Babyloniis, denuntiatione Prophetæ. Stat Rex Babyloniæ *in bivio*, *in capite duarum viarum, ad diviñandum divinationem, tergit cultros, consulit imagines, inspicit* jecur, ambigit an Rabbatham Ammonitarum, an Hierosolymam Iudæorum exercitus sit ducendus, sortes & aruspices omnes uno consensu designant Hierosolymam. An habitâ ratione decreti divini, & ob illud? Multa id genus alia in S. Scripturâ. Dicantur ergo à philosophis multa fortuita, casualia, contingentia, respectu suæ productionis, existentię, durationis, à radice internâ, à causis externis aliis, sed secundis, sed particularibus. Nihil tale respectu primæ & universalis, à quâ omnia certo ordine, pondere, mensurâ, Τὸ ἐγένετο ergo *Luc.* II. 1. non casuale, contingens, sed ordinatū, ut sæpè τὸ ויהי Hebræorum.
2. Vt Iosephi & Mariæ animi & passus aliò spectant, aliò diriguntur: sic non profanorum tantùm, sed & sanctorum instituta, consilia, alios habent fines, alios reperiunt.

V. Ex notatione ἀπογραφῆς illius in Historiâ nativitatis Christi clarum, non privatorum tantùm, sed & *Cor Regum*, qui videntur magis suæ spontis, esse *in manu Iehovæ, ut rivos aquarum, & ab eo, quocunque vult, inclinari. Prov.* XXI. 1. Videbatur Augustus ἀδέσποτος omninò, ἀνυπεύθυνος, imò αὐτεξούσιος, cogitur ille tamen esse Christi metator, Prophetæ minister, Dei præco, edicere ἀπογραφὴν implendo vaticinio, ignarus prorsus & consilii & vaticinii divini, ut justa esset causa B. Virgini concedendi in Bethleem, & ibi pariendi Servatorem potius quàm alibi. Primum hoc obsequium ab Augusto, & ab Augusto ignaro cunabulis Christi redditum, symbolicum esse voluit Deus, ut constaret, Imperatorum, Regum, principum Majestatem illi obnoxiam esse, eorum quamvis in alia omnia euntium consilia, actiones, molitiones ab ejus nutu suspensas esse, nec quicquam ab iis

ab iis vel decerni, vel præstari, quod non manu & consilio Dei fuerit prædefinitum. 2. Hinc evidens etiam, libera posse esse necessaria, & necessaria libera, nec Dei decretum in libertatem hominis arietare, vel concursum providentiæ divinæ in genere, prędestinationis in specie id ab homine tollere, sine quo nec liber esset, nec homo. Liberum erat Augusti edictum, libera promulgatio Cyrenii, utrumque spontaneum ἑκούσιον, ἐκ προαιρέσεως. Nec Augustum cogit Deus ad descriptionis sanctionem, nec Cyrenium ad publicationem, uterque à seipso determinatur ad actum utrumque. Et tamen utrumque necessarium, & sanctio, & promulgatio, non tantùm *à posteriori* & ex post facto, *reduplicativè*, sed & *à priori*, tum ratione decreti divini, tum ratione pręscientiæ divinæ, necessitate utrâque *immutabilitatis*, respectu illius, *infallibilitatis* respectu istius. Augustus ergo morem gerit Deo, Cyrenius Augusto, adde, Iosephus & Maria Cyrenio & liberè, & necessariò tamen, quod Novatoribus opponendum, qui in hæc ut ἀσύςατα odiosè declamant, & flexum efficacem cum coactione imperitè confundunt. Talia quædam notavimus *Dubiorum parte primâ Dubio* XXXII. 3. Hinc liquet etiam, non malos tantùm, sed & mala divinæ providentiæ ancillari, v. g. ambitionem Augusti oraculo prophetico. Quid enim descriptio illa, & œcumenica quidem, nisi fœtus hominis ambitiosi & tumidi? ut palàm faceret, totum orbem sibi obnoxium esse, cùm vix partem possideret. Ex eo ipso tamen, quo Augustus sibi velificatur, & gloriæ suæ theatrum quærit, Deus gloriam suam, commodum universi, præter Augusti institutum, educit, iter nimirum Mariæ in Bethleem, Christi nativitatem, & veritatis cœlestis complementum. Innumera exempla alia obvia in Scripturâ. 4. Hinc videmus etiam, Deum invertere consilia sapientum, & infatuare sapientiam Mundi. Institutum Augusti, descriptione illâ suæ gloriæ operari, & cogitur ille operari gloriæ divinæ, vult Iudæos premere, & eos erigit, Davidis posteritatem & regnum Israelis labefactare, & eo ipso instaurat, & illius natales & regnum promouet, cui & ipse obnoxius, & totus terrarum orbis.

VI. Credibile quoque, ἀπογραφὴν sapientissimo Dei consilio tum temporis institutam, ut magis liqueret, Iosephum &

Mariam esse è tribu Iudâ,& de domo ac familiâ Davidis. Quod enim documentum illustrius illo, quod ἀπογραφὴ ista subministrat? Ascendendum erat cuique pro consuetudine gentis Iudaicæ, in urbem, quę familiæ caput. Dignoscebantur publicâ professione ἀλλόφυλοι ab ἀλλοφύλοις, qui ejusdem πατριᾶς domus, ab aliis. Nisi Iosephus ex tribu & domo Davidis, cur tam solicitè cum conjuge gravidâ ad iter se accingit adversâ anni tempestate? Quid causæ, quod se ingerat in familiam alienam, non prostratam tantùm, sed & exosam potissimùm dominantibus? Cur non mavult describi in Nazareth? Cur se exponit vel contemptui, vel odiis hostium domus Davidicæ? Qui non metuit repulsam cum infamiâ homo in re tenui & statu abjecto constitutus, non in alienam tantùm sed & regiam familiam invadendo? Ista itaque descriptio, illud ipsum iter ob descriptionem institutum documento est, eum, quod notat Lucas II.4. reverâ *fuisse ex domo & familiâ David*, adeoque necesse habuisse ascendere in vrbem, quę familiæ Davidicæ caput, cujus incola olim Isai, quæ patria Davidi, unde κατ᾽ ἐξοχὴν vocatur *Civitas David*, v.11. distincta à Sione, quæ etiam civitas David, nō quia ex eâ David, sed quia illa à Davide & exstructa, & insessa. Facit itaque ἀπογραφὴ ista ad necessarium illum characterem Messiæ nostri demonstrandum, cum natum ex Virgine, quę erat ex domo & familia Davidis. Idque eò magis, quia non Iosepho tantùm ascendendum, sed & ipsi Mariæ. Nec enim illa alioquin, utpote partui vicina, se in non necessarium iter datura fuisset, quod non nisi ægrè, & cum querelâ suæ sortis ingredi poterat. Tametsi enim in gente Iudaicâ in viris censerentur fœminæ, tamen quia descriptio ista à Romanis & imperata & instituta, fœminis etiam comparendum erat, & illę censendę ex antiquâ consuetudine, & more Romano, qui inde à Servio Tullio obtinuit, authore *Dionysio Halicarnass.* lib.IV. Sin solus Iosephus ex domo & familia Davidis fuisset, causę nihil erat, cur ascenderet Maria eo statu, tempore iniquo. Admiranda itaque Dei providentia in eo enituit, quod non gloriatione B. Virginis, non ullo ad fallendum artificio, non voluntariâ professione, sed necessariâ, nec privatâ, sed publicâ, occasione istius ἀπογραφῆς, compertum fuerit, B. Virginem è familiâ Davidicâ originem traxisse. Nec sanè de eo unquam Servatori lis mota ab hostibus, ad om-

ad omnia attentis, quibus id minimè dissimulatum fuisset, si hîc rima patuisset calumniæ. Imò ex hoc ipso itinere ob ἀπογραφὴν instituto à Mariâ, certius longè, illam fuisse ex domo Davidicâ, quàm si habitasset in Bethleem, potuisset enim aliàs ἀλλόφυλος censeri, ex tribu Levi saltem oriunda, ex qua licebat omnibus tribubus uxores petere, nec lege obstante, nec legis causâ, preterquàm quod ἀλλόφυλος etiam migrare poterat in urbē Bethleem, & illam incolere, iis presertim temporibus, quibus gens Iudaica & confusa erat, & multùm recesserat à veteri statu. Sed dum ascendit, & ascendit gravida, & ascendit ad descriptionem, quæ pro veteri Iudeorum more inter illos per tribus & familias instituebatur, an ulli dubium esse potest, eam fuisse ex domo & familiâ Davidis? Adde, ex stabuli Bethleemitici commemoratione, in quod, occasione ἀπογραφῆς illius, ob confluxum tot advenarum detrusus Christus cum parentibus, clarissimè liquere, Christum prodiisse *e trunco succiso Isai*, ex familiâ Davidis quidem, sed oppressâ ferè ac exstinctâ, & ad privatum Isai statum redactâ, ut veritas constaret vaticinio prophetico *Ies.*XI.1. Hæc causa sanè ex præcipuis συνδρομῆς & descriptionis, & omnium istarum circunstantiarum cum natali Christi.

VII. Dici quinetiam potest, ἀπογραφὴν illam in eum finem institutam, ut in publicis paganorum actis exstaret Christi nomen, genus, patria, sive ad institutionem gentilium, sive ad convictionem, sive ad præsagium, in gentilium etiam monumentis, & ab illis Christi nomen aliquando describendum, æstimandum, celebrandum. Hoc fundamentum provocationis & *Iustini Martyris*, & *Tertulliani*, de quâ suprà actum. Nec parum ponderis ab hoc testimonio, utpote publico, authentico, exotico accedebat assertioni Sanctorū Patrum, sive apud Paganos, sive apud Hæreticos in demonstrandâ incarnatione & Genealogiâ Christi. Credibile quin etiam, hâc ipsâ ἀπογραφῇ multos cunabulorum Christi spectatores divinâ providentiâ accitos, ut obscuro quidem loco, in conspectu tamen integrę domus Davidicę, Bethleemum tum temporis edicto publico coactę, nasceretur, ne ignorationis causa ulla prætexi posset, quum natalium Christi obscuritati, & fidei Iudæorum imbecillitati, Angelorum pręconio, pastorum confluxu, Mago-

rum adventu & percunctatione, & temporis à Prophetis præstituti notatione, satis superque caveretur.

VIII. Conveniens etiam erat, illum tempore descriptionis orbis nasci, à quo descripti primogeniti in cœlis, à quo describendus erat fidelium orbis, illum nomen dare, cui nomen dandum, illum in censu computari, qui nos vindicat à censu Diaboli, illum in tabulas referri, qui nos refert in librum vitæ, illum in primo censu describi, cui primus census debetur, illum profiteri obsequium, cui obsequium omne deferendum, professio omnigena, illum servituti statim à nativitate se subjicere, qui formam servi assumpsit ut nos à servitute vindicaret, illum censitori parêre, qui venit confracturus *virgam exactoris*, illum æqualem sortem cum aliis subire, qui æqualem induerat naturam. Multa talia patribus *Origeni, Ambrosio, Gregorio M. Theophylacto, Euthymio, Bedæ*, alijs piè observata. Hinc *Glossa ordinaria: Nascituro Domino describitur mundus, quia ille apparebat in carne, qui electos suos ascriberet in æternitate* &c. *Dum professio secularis obtenditur, spiritualis impletur. Abolito censu synagogæ vetusto novus census Ecclesiæ paratur, qui tormenta non exigit, sed aufert, quia non uno numismate, sed unâ signatur fide.* Allegorias alias Scholasticorum super Cæsaris & Cyrenij nominibus, super denario census, & aliis id genus, ut contortas & joculares prætermittimus, quibus mysteria sacra non commendantur, sed prostituuntur. Subtiliora etiam quàm solidiora, sub Augusto natum, potius quàm sub alio, eum qui verè Augustus, à quo aucta Ecclesia, aucta natura humana, auctus mundus, aucta gratia, aucti fideles singuli: sub Augusto natum illum, qui *augustus* h. e. *sanctus*, prout secundùm *Nasonem*, Fastorum primo:

Sancta Patres augusta vocant, augusta vocantur
Templa, Sacerdotum ritè dicata manu. &c.

Suavia verò etiam, quæ à Patribus excogitata: Quum universum videbatur sub unius imperio, eum natum, qui universo imperaret: Descriptionem universi orbis ab Augusto prætensam, à Christo impletam, cui soli convenit, qui dominatur *à mari ad mare, cui datæ gentes in hæreditatem, & cujus possessio, fines terræ.* Ab Augusto eâdem descriptione censos Iudæos & gentes, à Christo censitore, Rege, salvatore in suorum censum adscriptos.

ſcriptos & cooptatos & Iudæos & gentes,& ex utroque populo unum conſtitutum. Si nemo ab Auguſti cenſu immunis, minùs ullus à Chriſti cenſu. *Nec ætas diſtinguitur*, inquit *Ambroſius* lib.II. in Luc. cap.xx. *ſed omnis adſcribitur, nullus enim ab hoc immunis eſt cenſu, quia omnis ætas munifica Chriſto eſt, quem vagientes pueri martyrio confitentur, quem intra vterum poſiti exultatione teſtantur*,&c. *Quis autem poterat profeſſionem totius orbis exigere, niſi qui totius habebat orbis imperium? Non enim Auguſti, ſed Domini eſt terra & plenitudo eius. Gothis non imperabat Auguſtus, non Armeniis,imperabat Chriſtus*,&c. Notat etiam *Oroſius*, Auguſtum ſub illa ipſa tempora *Domini* nomen recuſaſſe, publico etiam edicto ob id promulgato, cujus meminit *Suetonius* in Octavio Auguſto, ut & occaſionis,qui id factum. Sive verò illud judicij Auguſti fuerit, *diverſa naturâ eſſe dominationem & principatum*, quod vult *Plinius* in Panegyrico,ſive modeſtiæ,ſive artis etiam,rem habere,nomen adſpernari,declinandę invidię, *Oroſii* illatio pia eſt, meritò id nominis rejectum ab Auguſto, velut illo exhibito,qui verè *Dominus* dominio & œcumenico & æterno.

IX. Nec de nihilo planè,occaſione illius ἀπογραφῆς,Chriſtum in alia civitate conceptum, in alia natum fuiſſe, & natum fuiſſe peregrè,& natum in alieno,& natum in diverſorio, imò in ſtabulo,loco ſordido,non tam ut ſanguinarias Herodis manus faciliùs fugeret, quàm ut primus vitæ Chriſti actus reſponderet reliquis,& ut Chriſtus doceret exemplo æquè ac verbo, ſuos hic eſſe peregrinos & advenas, imò extorres, vitam illorum,dies peregrinationum, conditionem, vilem & abjectam, mundum, diverſorium, locum commorandi, non habitandi, patriam alibi quærendam, exſpectandam, *in urbe habente fundamenta, cujus artifex & conditor Deus*. Sic *Beda* obſervat, *in viâ natum, qui factus eſt via, quâ ad patriam adduceremur*. Solidiora hæc & firmiora iis, quæ idem *Beda* habet ſuper nativitate Chriſti in Bethlehem, quotidie Chriſtum *in Nazareth* concipi, flore verbi ſuſcepto, *in Bethlehem* naſci his, qui ſe domos æterni panis efficiunt, quotidie Eccleſiam in ſui doctoris comitatu *de Galilæa*, id eſt, rotâ mundanæ converſationis aſcendere in civitatem *Iuda*, id eſt, confeſſionis & laudis, ut cenſum devotionis perſolvat. Allegoriæ illæ piæ quidem,ſed

contortæ, non οἰκεῖαι vel ἔμφυτοι, sed παρείσακτοι, non insitæ vel innatæ, sed illatæ in Scripturam, & ex earum genere, à quibus abstinere manum & mentem præstat, ne licentia ista & luxuries τῶν ἄγαν θεωρητικῶν τε καὶ αἰνιγματωδῶν, quos notat *Gregorius Nazianzenus* orat. XLII. εἰς τὸ ἅγιον πάσχα certa evertat, dum incerta consectatur. Optimè *Augustinus* lib. XVII. de Civit. Dei cap. III. *Mihi sicut* multùm videntur errare, *qui nullas res gestas in eo genere literarum aliquid aliud, præter id, quod eo modo gestæ sunt, significare arbitrantur*, *ita* multùm audere, *qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt.*

X. Documentum verò *tropologicum* hinc non incommodè educitur, Deum Iosephi & Mariæ, imò ipsius Servatoris obsequio Magistratui ante nativitatem etiam exhibito, cautum voluisse honori & obedientiæ, quæ debetur *potestatibus supereminentibus*, ad παιδείαν fidelium, ad ἔλεγχον Antitacticorum Anabaptistarum & Libertinorum omnium, qui libertatis Christianæ prætextu fibulam laxant licentiæ, illis tributum, vectigal, honorem, obsequia negant, quibus debentur. Paruit Christus Magistratui nondum natus, paruit natus, idem obsequium suis imperavit, & honorem superioribus debitum non verbo tantùm sanxit, sed & exemplo.

XI. Ista quidem sufficere possunt commendandæ Dei providentiæ, natalibus Christi illustrandis, & piorum animis reficiendis, quî Deus Opt. Max. Servatorem nostrum tempore & occasione ἀπογραφῆς illius Bethleemi nasci voluerit. Ex allatis enim evidens, *illud à Domino factum fuisse, &* meritò *mirabile esse in oculis nostris*, *profundas esse divitias Sapientiæ divinæ*, *& vias ejus impervestigabiles*. Nihil attinet ergo, novâ prodigiorum & miraculorum congerie extra Scripturam nativitati Christi lucem fœnerari. Περιστάσεις à sacris Scriptoribus notatæ sufficiunt illi illustrandæ. Homines otiosi confinxerunt multa alia, v. g. sub nativitatem Christi templum Pacis Romæ concidisse, tres soles in unum coëuntes visos, fontem aquæ in oleum conversum trans Tyberim integro die fluxisse ex tabernâ meritoriâ, vineas Engaddi subitò floruisse, Virginem infantem gremio gestantem à Sibyllâ Au-

gusto

gusto ostensum, omnes Sodomitas toto orbe repentinâ exustione cinefactos, splendorem mediâ nocte exortum, & in limbum usque, terrâ dehiscente, immissum, simulachrorum Ægyptiacorum casum, ut alia id genus silentio prætermittam. Quid hîc vel certi, vel sani? An sacris Scriptoribus tanta & tam admiranda prætermissa, leviora longè exposita? Quî factum, quòd primis seculis à vetustissimis patribus, illa non observata, non gentilibus impacta? Annon fateri coguntur summi etiam viri inter Pontificios, ex his alia falsa & gratis conficta, alia incerta, alia aliorum temporum fuisse? *Baronius* sanè candidè aliqua ex illis explodit. Debentur ista maximam partem *Bonaventuræ*, *Thomæ*, *Petro de Natalibus*, *Innocentio* & aliis id genus Scriptoribus superstitiosis, sequiorum seculorum, & famæ sequioris. Quæ ex *Eusebio* & *Orosio* producuntur, aliis temporibus signantur. Præstat ergo illas συνςάσεις animo revoluere, & in iis admirandam Dei providentiam tum contueri, tum venerari, quæ & certæ sunt, & à sacris Scriptoribus notatæ, & eximiis documentis refertæ, qualis est ἀπογραφὴ œcumenica, sub quâ Christum natum docet Lucas.

DVBIVM X.

An ex notatione anni xv. Tiberii, & ætatis Christi *Luc.* III. versibus 1. & 23. inter se collatis, certa anni natalitii designatio peti posſit?

EXAMEN.

Quot characteres anni natalitii in S.Scripturâ? Qualis character iste Lucæ? Iudicium multorum. Επίκρισις *Authoris. Rationes variæ.*

Incerta connexio annorum Tiberij & ætatis Christi. Temporis interjecti intervallum, dubium. Argumentum à προλήψει *captivitatis Ioannis. Vis phraseωs* ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, בימים האלה בימים ההם, *Initium Tiberii à Lucâ spectatum, dubium. Rationes. Numeri rotundi in Scriptura pro præcisis. Exempla ex* Augustino, Eucherio, *aliis. Illustratio locorum* Luc. II. 21. Act. II. *1.* Matth. XXVII. 63. Marc. VIII. 31. Ierem. XXV. 12. Beza *laudatus. Variatio inter Scriptores Veteres & recentes de anno emortuali Augusti, & inaugurali Tiberii.* Clementis Alexandrini, *&* Eusebii *calculus.* Pauli Forosemproniensis, Ioannis Heruuarti, *&* Antonii Cappelli *opiniones. Nova Epocha annorum Tiberii. Inconstantia* Petavii. *Observatio* Keppleri *ex* Vellejo Paterculo. *Annorum Augusti calculus apud* Tacitum. *Incertum, an computi Romani, an Iudaici ratio habita à Luca.* Sethi Calvisii *apodeixeis elisæ. Rationes oppositæ. Observatio* Calvisij *in Auctorem retorta. Phraseωs Lucæ laxitas: Constructionis difficultas: Variatio Interpretum. Incertus annus Baptismi Christi. Sacrorum Scriptorum harmonia in designatione temporis natalitii.* Montacutii *&* Pererii *assertiones incautæ.*

I. DICTVM *Dubio I.* Sectione XXXVIII. tribus potissimùm Characteribus annum natalitium Christi consignari in S. Scripturâ. I. Notatione regni Herodis *Matth.* II. I. II. Notatione Imperii Augusti, & descriptionis primæ institutæ Cyrenio Syriæ præside. *Luc.* II. I. 2. III. Notatione anni XV. Tiberij & ætatis Christi. *Luc.* III. Versibus primo & vigesimo tertio inter se collatis. Characterem enim ductum ab adventu Magorum, stellâ, & infanticidio ut obscuriorem, & cujus apud exteros Scriptores nullum, apud Iosephum exiguum tantùm indicium, prætermittimus. De primo & secundo charactere hactenus prolixè, &, ut spero, ex fundamento actum. Restat tertius, cui Diatriba etiam debetur & examen. Idque eò magis, quod character iste credatur à multis esse velut ἡράκλειον quoddam ἅμμα, & ἡφαίστειος δεσμὸς, quo alligetur Epocha Christiana, & sistantur nutantes Chronologorum animi. Quod an solidè fiat, ex sequentibus Lectori attento liquebit. Mihi sanè non præcisa & definita, sed communis tantùm & indefinita temporis natalitii designatio illo ipso loco æquè ac in superioribus exstare videtur, adeóque gratis ἀπόδειξις contraria inde à multis educi.

II. Causæ, cur id statuam, hæ sunt potissimùm, quas compendio proponam, ἐξηγήσει versûs 23. rejectâ in *Dubium* sequens, ubi ostendetur, quid de diversis Interpretum opinionibus sit sentiendum, &. quæ aliis præferenda videatur. *Primò* supponunt Chronologi multi, non probant, designationem ætatis Christi connecti cum anno XV. Tiberij. Atqui nec verba Lucæ id docent, nec id ex contextu ullis fidiculis exprimi potest. Connectit quidem Lucas annum XV. Tiberii cum initio prædicationis Ioannis Baptistæ, sed non cum baptismo Christi, nec cum ætate ejus. Vtrumque liquet ex inspectione contextus sacri. Dicitur ibi, anno XV. *imperij Tiberij Cæsaris* &c. *factum esse verbum Domini ad Ioannem Zachariæ filium.* Hactenus *causa impulsiva* ministerij Ioannis, nimirum mandatum Dei. Sequitur *executio*, cum venisse in omnem regionem circumjacentem Iordani. Additur *argumentum* prędicationis, eum prædicasse Baptismum resipiscentiæ &c. De ætate & annis Christi, nihil nec dicitur, nec innuitur. Subjicitur *concio* Ioannis

στηλιτευτικὴ ad turbas, παιδευτικὴ ad publicanos & milites, σύγκρισις etiam ministerij Ioannis, & ὑπεροχῆς Christi. Inde captivitas Ioannis coniecti in carcerem ab Herode. His præmissis demum subnectitur Historia de Baptismo Christi, & tandem aliqua ætatis Christi designatio. Διάστημα ingens ergo interjectum à versu I. ad 23. inter commemorationem anni XV. Tiberij, & connotationem annorum Christi. Nec constat, quantum temporis præcisè intercesserit inter initium Ioannis & Baptismum Christi, quod nullibi expressum. Et sanè momenta temporum hîc non anxiè observata fuisse à Lucâ, nec illa connexa inter se, quæ eodem tempore se exceperunt, vel inde liquet, quòd captivitas Ioannis interserta legatur, & præmissa Baptismo Christi, ubi tamen πρόληψις manifesta. Supponitur ergo liberaliter admodum à Chronologis hypothesis dubia, probent illi solidè, illo ipso anno, quo Ioannes cepit curriculum ministerij, Christum baptismo tinctum, probent designationem ætatis Christi necessariò connecti debere cum baptismo. Notum verò, multa eodem tenore referri in sacris litteris, quæ tamen diversis temporibus contigêre. Sed demus connectendos esse versus 21. 22. 23. quod probabile, alia tamen ratio, versus I. & 23. inter quos intervallum majus quàm ut connecti debeant. Nec *Matth.* III. ubi de initio Ioannis & Baptismo Christi agitur, illa ullo temporis vinculo inter se connectuntur. *Marc.* I. 9. videtur quidem tale quid innui verbis Evangelistæ, Christum venisse ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, prædicationis nimirum Ioannis. Sed nota latitudo phraseως illius, ex latitudine Hebraicarum similium, בימים האלה vel בימים ההם quæ de dissitis sæpe usurpantur. Sic *Iud.* XVIII. I. XIX. I. & alibi passim ἀορίστως potius quàm διωρισμένως sumuntur. Vide *Matth.* III. I. ubi connectitur initium Ioannis eâdem loquendi formâ cum itinere Iosephi in Nazareth, inter quæ tamen hiatus ingens. Exempla innumera id genus passim obvia.

III. *Secundò*, ponamus, quod falsum, connecti inter se annum XV. Tiberii, & designationem ætatis Christi, supponunt denuò multi hypothesin aliam, & ipsam dubiam, constare unde arcessat Lucas annos Tiberij, an ab illo ipso mense & die, quo Augustus occubuit, XIX. nimirum Augusti, Iuliani LIX. an à Nisan illius ipsius anni pro ratione computi Iudaici, an à Kalendis

lendis Ianuariis ejusdem anni, an à Kalendis Ianuariis, vel, an à Nisan anni sequentis. A quo demonstrari poterit, quem computum secutus fuerit Lucas? Qui verò sine prævia illâ demonstratione certa illatio de annis Christi? Nec sine causa initium Tiberianum à Lucâ spectatum in dubium vocari posse, inde liquet: I. Quia Sacri Scriptores non solicitè, nec anxiè temporum momenta putant, sed sæpe ἐν πλάτει tempora notant. Sæpe dicunt aliquid hoc vel illo anno, tempore factum, quod circa illud tempus factum, interdum tamen ante tempus designatum, interdum post. Sic rotundis & compendiariis numeris utitur sæpe Scriptura, tempora non ἀποτόμως sed cum latitudine aliquâ significantibus. *Eucherius* Comm. in *Genes.* lib. I. Sect. XXXVII. quingentorum annorum dici Noe *Gen.* V. contendit, quum CCCC LXXX. vitæ annum ageret. Sic, ut *Augustinus* observat lib. II. quæst. in Exod. quæst. XLVII. peregrinatio & servitus seminis Abrahami *Gen.* XV. 13. quadringentorum annorum dicitur, & tamen quadringenti triginta numerantur à Spiritu S. *Exod.* XII. 40. & *Gal.* III. 17. Sic secundùm *Augustinum* in lib. Iud. LXX. viri dicuntur occisi, quanvis essent tantùm LXVIII. Ionatha excepto & Hierobaale, *universum numerum*, inquit Augustinus, *posuit pro penè universo.* Sic *Gen.* XVII. 17. Abrahamus tantùm XC. annorum & tamen centenarius vocatur, *an centenario nascetur filius?* Sic in numeris sæpe phrasis Scripturæ attendenda, non vexanda verba. Apud Evangelistam nostrum *cap.* II. 21. dicitur Christus fuisse circuncisus, ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ, quanvis ipsâ die octavâ id factum fuerit, secundùm sanctionem expressam legis *Levit.* XII. 3. Sic *Actor.* II. 1. dicitur factum ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς, quod tamen factum ineunte die *Pentecostes.* Vide eruditissimas *Bezæ* notas ibidem, qui ista solidè pertractat. Sic non tantum Principes Pharisæorum & Sacerdotes inquiunt, Christum dixisse, se resurrecturum μετὰ τρεῖς ἡμέρας *Matth.* XXVII. 63. sed & ipse Christus id de se disertè testatur *Marc.* VIII. 31. quod tamen factum post tres dies, non exactos, sed exortos tantùm. Et eruditè observatur à Viro CL. *Ludovico de Dieu*, cum impleri dies dicuntur in Scriptura, non id intelligendum semper de impletione horarum diei, sed numeri dierum. Sic LXX. τὸ מלא interdum reddunt per κατακληρῶσαι. *Gen.* L. 3. Ita *Ierem.* XXV. 12. 13. Iudæi dicuntur

liberandi במלאות שבעים שנה, quod factum initio anni illius. Sic *Iosephus* quando ephemeriarum à Davide constitutarum meminit, inquit, διέταξε δὲ μίαν πατριὰν διακονεῖσθαι τῷ θεῷ ἐπὶ ἡμέρας ὀκτὼ, cum tamen ephemeria quælibet sacris tantùm operaretur à sabbato ad sabbatum, vel à matutino sacrificio sabbati ad matutinum sacrificium sequentis sabbati. Notum etiam axioma Chronologorum, *unum annum in Chronologia nullam afferre differentiam.* Notæ προλήψεις & ὑστερώσεις frequentes sacris Scriptoribus circa ipsa tempora, solennes item numerorum definitorum pro indefinitis positiones, & alia id genus. Quî ergo Epocha præcisa figi poterit in notatione vel anni XV. Tiberij, vel XXX. Christi? Id ipsum etiam inde probatur, quia (tametsi Scriptores quidam Romani conveniant in figendo anno emortuali Augusti, & inaugurali Tiberij, & utrumque constituant Iulianum LIX. Annum Vrbis Varronianum DCCLXVII. Coss. duobus Sextis) non desunt tamen & ex priscis, & ex recentioribus Scriptoribus, iísque non contemnendis, qui hîc linguis variant, & sententiis. *Clemens Alexandrinus* Stromatũ primo, Augusto tribuit annos XLIII. Tiberio XXII. Addit *Clemens* ibidem, ab aliis tribui Augusto ἔτη μϛ', μῆνας δ', ἡμέραν μίαν XLVI. annos, menses IV. diem unum, Tiberio ἔτη κϛ', μῆνας ϛ', ἡμέρας ιθ' annos XXVI. menses VI. dies XIX. Ex calculo verò incerto, nonnisi Epocha incerta & dubia. *Eusebius* refert initium Tiberii ad Olympiadis CXCVIII. primum, & Augusto tribuit tantùm annos LVI. quanvis à Scriptoribus Romanis ad LVII. annos ejus imperium communiter extendatur. Hinc etiam illius periodus minus certa. Nec defuêre inter Chronologos recentiores, qui circa annum emortualem Augusti discederent à Scriptoribus Romanis. Sic *Paulus Forosemproniensis* conjicit mortem Augusti in annum XVII. Æræ vulgaris (ob Eclipsin Solis, quam putat illo anno contigisse) adeóque in Iulianum LXII. Olympiadis CXCIX. primum Cycl. Solis XXVI. Lun. XVIII. *Part.* II. *libro* XIII. Sic *Ioannes Hervvartus* Novæ Chronol. Scriptor mortem Augusti conjicit in annum Æræ Christ. XIX. Iulianum LXIV. Cycl. Sol. XXVIII. Lun. I. Imò & initium novum imperio Tiberij assignatur & ab *Hervvarto*, & ab *Antonio Cappello*, quorum ille contendit biennium imperasse Tiberium conjunctim cum Augusto, iste quadriennium *Dissert.*

De anno passionis Christi *cap.v.* Etsi verò de biennio ferè inter illos lis sit, in fundamento tamen communi conveniunt, Tiberium ad ejusdem honoris & dignitatis consortium fuisse ab Augusto adscitum, imperio proconsulari in illū collato, secundùm *Suetonium* cap. XXI. *ut provincias cum Augusto communiter administraret, simulque censum ageret.* Hinc nova annorum Tiberii Epocha. Vt verò biennio variant in figendâ illâ dignitate, sic & eodem intervallo variant in annis imperij Tiberiani numeratis ab obitu Augusti: *Hervvartus* enim XXI. tantùm tribuit Tiberio, *Cappellus* XXIII. Quanvis verò sententia illa non nova tantùm sit, sed & parùm solida, cùm alia fuerit ratio dignitatis proconsularis, alia Imperij vel principatus, quippe quæ & distincta & sejuncta sæpe, de quibus vide *Petavium* cap.VII. lib.XI. tamen hoc inde evincitur, non adeò certam esse Epocham initii Tiberiani, quin in dubium vocari, & de eâ litigari possit, quanvis probabilior sit calculus illorum qui & obitum Augusti & initium Tiberij figunt Iuliano LIX. Mira hic *Petavij* inconstantia, cap.VII. libri XI. statuit ab hac Epocha mortis Augusti XV. Tiberii annum à Luca putari, & illo ipso anno, labente Geminis duobus Coss. baptizatum esse Christum à Iohanne. Sic inquit cap.VI. certissimis characteribus insignitam esse Augusti mortem & Tiberij exordium. Si enim vtrumque hoc verum & exploratum, qui Petavius cap.V. libri XII. ubi de interpretatione verborum illorum Lucæ agit, concludit, ex illo loco Lucæ non posse de ætate Christi Domini, cum ad Ioannem adiit, certi aliquid erui? Imò, tametsi putetur tricesimus Christi annus ab Evangelista definitus, non ideò tamen de ætate ipsâ, aut natali anno Domini concludi posse, nec enim ex Lucæ oratione necessariò sequi, Christum baptizatum anno XV. Tiberii, cum anno illo Ioannem duntaxat produisse scribat Lucas. Nesciri verò quantum inter initium prædicationis Ioannis, & baptismum Christi temporis intercesserit. Vnde postulatum id esse, non probatum, anno ipso XV. Tiberii baptizatum esse Christum. Addit, quis ariolari possit, utrum Lucas annorum Tiberij primordium ab ipso Iuliano mense, quo imperium init, an ab antecedente Nisan, vel Autumno, ut Antiochenis mos erat, inchoarit? Hæc sunt, inquit, quæ prudentem hominem assensum suum in alterutram partem præci-

pitare prohibent, faterique cogunt, conjecturis tantummodò probabilibus, non certis argumentis eos inniti, qui baptismũ Christi certo anno hactenus circunscribunt. Proba quidem ista, at parum consona illis quæ de initio Tiberii, & supputatione anni XV. à Lucâ notati jam ante statuerat *Petavius*. Annon hoc est βέμβικος δίκλω in orbem agi?

Nec de nihilo, quod observat *Kepplerus* in Eccl. Chron. Paterculum Consulatum Vinitii conferre in XV. Tiberii, qui Consulatum gessit Iuliano LXXV. adeóque Paterculo non LIX. sed LXI. Iulianus demum primus Tiberii. Non omnes itaque Scriptores Romani conveniunt in Epochâ annorum Tiberii figendâ. Vnde ergo constabit de certo anno Iuliano, vel Olympiadico, vel Vrbis, ad quem referenda sint verba Lucę in computo annorum Tiberij? Quis nos certos reddat quem computum secutus fuerit, an Iudaicum, an Romanum? Si *Iudaicum*, an à Nisan ejusdem anni quo obiit Augustus, an à Nisan anni sequentis? cùm post Nisan Iuliani LIX. mortuus fuerit Augustus, quippe XIX. Augusti. *Si Romanum*, an cum *Suetonio* & *Dione*, à LIX. Iuliano, an cum *Vellejo Paterculo* ab anno LXI? Imò an exactè & anxiè computet annos Tiberij, an verò ἐν πλάτει eosdem commemoret, quod solenne sacris Scriptoribus? Hæc omnia quia incertissima, frustrà Lucæ verba alligantur ad certum annum, & definitum. Prolixus in hoc argumento est Vir CL. *Sethus Calvisius* & utrunque adstruit characteribus variis partim historicis, partim astronomicis. Bene quidem multa, quæ indubia, si stemus characteribus, qui apud Scriptores quosdam reperiuntur. Sed non animadvertit Vir eruditus vacillare relationem aliorum. 1. Diversimodè computari annos Augusti, adeóque & Tiberii, ob diversa initia, de quibus alibi actum. 2. Diversum esse computum *Paterculi*, quem allegavimus ex *Kepplero*. 3. Diversum *Dionis*, qui Eclipsin Solis totalem narrat antecessisse mortem Augusti libro LVI. quanvis *Petavius* probet, nullam Solis defectionem nec anno illo quo mortuus Augustus, nec antecedente visam fuisse, nec videri potuisse. 4. Diversum *Iosephi* & Doctorum veterum *Clementis* & *Eusebij*. 5. Incertum esse, an à Luca annus XV. Tiberij componatur cum designatione ætatis Christi, quæ habetur versu 23. 6. Incertum esse initium annorum Tiberij spectatum à Lucâ, quæ

quæ omnia ſunt poſtulata, non probata. 7. Imò *Calviſium* oppugnamus ex *Calviſio*, contendit ille eodem *capite* XLVI. *de anno nativitatis Chriſti*, quando agit de periodo annorum Herodis, hunc morem & ſacris Scriptoribus & Ioſepho obſervatum, ut Regum ſuorum annos ratione initii à verno tempore numerent, vel à feſtivitate paſchali, & dicant hunc vel illum Regem tot annos regnaſſe, quot paſchata ſub illo celebrata fuerint, eò quod ex mandato divino caput anni ex autumno in Martium ferè traductum fuerit, & Iudæi aliâs annos Græcorum à verno tempore, non ab autumno, ut alii ſolebant, incipiant. Quid obſtat ergo; quominus Lucas hîc ſecutus fuerit conſuetudinem Hebraicam, & annos Tiberij non putarit ab anno emortuali Auguſti, quod vult *Calviſius*, ſed à Niſan demum anni ſequentis? An abſurdum ſtatuere id à Lucâ factum, quod ordinariè à ſacris Scriptoribus fieri ſolet? Nondum itaque ſecundum ipſius *Calviſii* principia certi eſſe poſſumus de principio, unde annos Tiberii ducat Lucas. Nec obſtat, non agi de Rege Iudaico, ſed de Imperatore Romano, ſufficit annos illius putari à Scriptore non Romano, & qui in aliis Hebræorum morem ſequitur. Et hoc argumentum ex hypotheſi validum: quemadmodum enim, etſi Herodes ineunte æſtate poſt paſcha celebratum deſignatus fuerit Rex à Senatu Iuliano VI. tamen, ſecundùm *Calviſium*, Ioſephus annos ejus pro conſuetudine Hebræorum non orditur ab anno illo, ſed à ſequentis anni paſchate: ſic quid obſtat, quominus idem calculus Lucæ tribuatur, cum videlicet annos Tiberii non ab anno & die emortuali Auguſti arceſſere, ſed demum à ſequentis anni paſchate, idque eò firmius contendi poteſt, quia ſeriùs regnare cœpit Tiberius Herode, non ineunte, ſed adultâ jam æſtate, cum Auguſtus XIX. demum die menſis ſibi cognominis occubuerit. Sufficiunt iſta abundè illis confutandis qui ſupponunt τὸ ζητούμενον, & calculum Lucæ ad menſem & annum emortualem Auguſti adſtringunt ſine probatione.

IV. Addi poteſt ratio alia gravis, cur certa Æræ Chriſtianæ deſignatio ex loco illo Lucæ vix peti poſſe videatur, ob phraſin & genus loquendi quo utitur ſcriptor ſacer. Supponunt multi præter hypotheſes dubias ſuprà enarratas XXX. Chriſti annum præcisè ab Evangeliſtâ notari, quod falſum. Vtitur enim

ille phrasi laxâ admodùm, nec ἀποτόμως quidquam signãte, sed circumscribente tantùm ætatem Christi, ἦν αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν. Annon & τὸ ὡσεὶ ambiguum, & τὸ ἀρχόμενος, & constructionis ac interpunctionis constituendæ locus? Annon lis magna inter Interpretes an ὡσεὶ excessum notet, an defectum? Sic τὸ ἀρχόμενος à quibusdam convertitur in ἐρχόμενος, quidam τὸ ὡσεὶ ὑποβολιμαῖον statuunt, non γνήσιον, quorum tamen sententiæ non accedimus. Multi etiam Lucam populariter potius quàm rigidè, ex communi opinione non suâ loquutum contendunt. Ambiguum hodiéque inter eruditos, an ὡσεὶ sit στοχαστικὸν vel ἀπορητικὸν, an θετικὸν & ἀληθινὸν? an idem quod σχεδὸν, an quod ὡς ἔοικε? an τὸ ἀρχόμενος ad ætatem Christi sit referendũ, an verò ad ministeriũ ejus? An vicesimus septimus, secundũ Dionysiũ, an vicesimus octavus, secundùm Æram communem, an undetricesimus, quod vult *Bantingus*, an tricesimus, quod contendunt Patres multi, an tricesimus primus, quod putant *Scaliger*, *Baronius*, *Calvisius*, alij: an tricesimus secundus, quod volunt *Dekerius* & *Suslyga*, an tricesimus tertius, quod præfert *Kepplerus*? Priusquam itaque lites suas inter se componant Chronologi, frustrà sunt in anno natalitio ex loco illo Lucæ apodicticè eruendo. Quid verò probabilius hic intelligendum videatur, indicabitur *Dubio* sequenti, ubi in verum & genuinum versus 23. sensum accuratius inquiretur.

V. Adde, ob lites illas Interpretum super phrasi Lucæ, non constare quo anno Christus fuerit baptizatus, an Iuliani LXXIII. mense Septembri, vel Octobri, quod satagit *Beroaldus* lib. IV. cap. II. an Novembri, quod alij, an verò VI. Ianuarij, an Kalendis Februariis anni LXXIV. sequentis, quod placuit multis ex Veteribus. Vnde & dies illa priscis dicta κατ᾽ ἐξοχὴν φωσφόρος ἡμέρα, à cereis & lucernis quibus illâ die & tempore baptismali vtebantur. Vnde τὸ φωτίζεσθαι pro βαπτίζεσθαι non solùm apud veteres sed & apud Syrum *Hebr.* VI. 4. ubi ἅπαξ φωτισθέντες sunt דחדא זבן למעמודיתא נחתו qui una vice ad baptismum descenderunt, ob κολυμβήθρας in quas immergebantur. Sic X. 32. φωτισθέντες redditur per קבלתון מעמודיתא accepistis ablutionem, de quo eruditè disserit beatæ memoriæ Theologus *Abr. Scultetus* noster *Exerc. Evang.* lib. II. cap. I.

ut hæc

ut hæc obiter inſeram. Quæſtionem verò de baptiſmo Chriſti prius definitam oportet, ſi Epocham annorum ejus figere velimus in loco illo Lucæ. *Tertullianus* contra Marcionem Chriſtum revelatum contendit XII. Tiberii, alii communiter XV.

VI. Adde, res quaſlibet quærendas eſſe in illis locis, ubi ſedes argumenti cujuſque. Atqui obiter tantùm, & ὡς ἐν παρόδῳ, ibi commemorat Lucas ætatem Chriſti, occaſione Baptiſmi ejus, idque verbis ejuſmodi, quæ laxa & indefinita, & ita intelligenda, vt ſimul Herode vivente Chriſtus natus dici poſſit. Nec putandum, temerè ita locutum Spiritum Sanctum, & non potius ſapientiſſimo conſilio, vt ſic ſibi conſtaret ubique ſtylus ſacer circa temporis natalitii deſcriptionem. Quod enim alibi latêre voluit Deus, & indefinitè tantùm notari, id pari ratione hoc loco indefinitè duntaxat, & ἐν πλάτει notatum, ſive exercendæ fidei & diligentiæ noſtræ, ſive erudiendæ Eccleſiæ, in præciſâ temporum perſcrutatione non anxiè laborandum, cũ tam inſignem epocham latere voluerit ſummus rerum & temporum arbiter. Tutiſſimum ergo cum ſacris Scriptoribus loqui, & dicere Chriſtum natum ὡσεὶ, circa hunc vel illum annum Herodianum, Auguſtalem, Olympiadicum. Qui hîc certum Epochæ hujus punctum figere volet, hypotheſes dubias, de quibus hactenus actum, rationibus non topicis, ſed apodicticis adſtruere neceſſe habet. Sed vix videtur tale quid à quoquam ſolidè præſtari poſſe, θᾶττον ποιήσει μέλι κάνθαρος, ἢ γάλα κώνωψ. Fallitur itaque *Richardus Montacutius* Vir C L. qui arbitratur Exercit. IX. Sect. I. ſi ab anno Tiberiano XV. retrò annorum numerus recolligatur, qui XV. illum & Chriſti natalem intervenerunt, ad certum annum deveniri poſſe ſtatâ Olympiade conſignatum, ſuis Conſulibus in Faſtis deſignatum, certo anno Auguſtali fixum. Fatetur enim ipſe ex *Baronii* Apparatu Sect. CVI. verborum illorum ſenſum multiplicem à Patribus adferri, nec facile dignoſci poſſe, quis potior, & potiùs ſequendus. Addit, controverſiæ totius cardinem verti, an Chriſtus tunc cum baptizatus fuit anno XV. Tiberii Coſſ. duobus Geminis XXX. compleverit, & XXXI. inchoârit, an verò XXX. completo tantùm XXIX°. exorſus fuerit? Atqui plura longè, vt oſtenſum, intercedunt, quæ jubent nos hîc ἐπέχειν, incerta connexio XV.

Tiberiani cum designatione ætatis Christi, διάστημα inter versum 1. & 23. incertum initium annorum Tiberij spectatum à Lucâ, variatio Authorum super hoc argumento, phrasis laxa Lucæ, constructionis & interpunctionis difficultas, lis de anno baptismi Christi, difficultas connexionis hujus characteris cum charactere regni Herodis, qui apud Matthæum. Hæc & alia id genus graviora sunt, quàm ut dissimulari debeant vel possint. Ipse *Montacutius* fatetur verba ab Evangelistâ posita esse paulò obscuriora, ambiguæ acceptionis, interpretationis dubiæ, ab hisce in istum sensum, ab aliis in alium tracta & diversimodè exposita fuisse. Quî ergo hinc via plana ad certum annum natalitium? Sic *Pererius* impingit, qui inquit quæst. VI. Comment. in Dan. lib. XI. Divum Lucam apertè scribere, Christum anno XV. Tiberii baptizatum: quod falsum, licet ipse ibidē fateatur verba Lucæ valde perplexam & ambiguam habere sententiam, quod anxia ἐξήγησις ab eodem subiecta satis supérque docet. Et sanè locus ille Lucæ ex eorum numero, de quibus crebriùs ab Interpretibus & veteribus & recentioribus litigatum. Concludimus ergo, cum frustrà certa ex incertis educantur, nec ex hoc charactere præcisè definiri posse annum Christi natalitium, quod erat demonstrandum.

DUBIUM XI.

Quis sit sensus verborum *Lucæ* 1. 23. Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὢν &c. & quod tempus baptismo Christi præfigendum?

EXAMEN.

Difficultas argumenti. Causa. Euthymii *coniectura*: Erasmi *observatio. Quatuor interpretationes diversæ.* Prima *cum suis fundamentis* textuali & chronologico. *Confutatio utriusque.* Secunda

cunda *opinio.* Authoritates *pro eâ,* & rationes. *Examen rationum.* Tertia *opinio. Fundamenta ejus ab* authoritate & ratione. *Cavillum* Scaligero *impactum, abstersum. Rationes* Scaligeri. *Quid* anniculus *Iurisconsultis. Quotuplex* τὸ ὡσεὶ *Græcorum*, & τὸ Caph *Hebræorum.* Caph *excessus nota. Conciliatio locorum.* Exod. XII.37. & Num.I.46. *Ætas ministerij sacerdotalis apud Iudæos. Canon Græcorum super ordinatione presbyteri. Examen rationum* tertiæ *opinionis. Quæ latitudo, quis usus* τοῦ ὡσεὶ *in Scriptura. Locus* Ioh.I.14. *explicatus.* Ὑπόφορα. Ἀνθυπόφορα. Quarta *opinio. Eius & explicatio & probatio. Usus & latitudo* numerorum rotundorum *in Scripturâ. Phrasis Lucæ popularis, non Mathematica.* Erasmi παρόραμα. *Tempus Baptismi Christi indefinitum potius quàm definitum. Sensus & interpunctio verborum Lucæ. Rationes interpretationis. Tralatio Bibliorum veterum* Helveticorum. *Causæ indefinitæ vel laxioris locutionis. Conformitas styli sacri.*

I. OBSCVRITATEM & difficultatem hujus loci non tam Lucæ verbis, quàm Chronologorum litibus, & Interpretum multorum subtilitati debemus, qui dum Evangelistæ verba sua facere, & ad suam super anno Natalitio hypothesin trahere conantur, multas textui sacro hîc tenebras offuderunt. Duo itaque nobis hîc peragenda. I. Sententiarum varietas indicanda. II. Interpretatio probabilior eruenda. V.

trumque paucis, & ſine prolixa authoritatum vel congerie, vel examine præſtabimus. Prætermiſsâ verò *Euthymii* conjecturâ, qui ἐρχόμενος legit pro ἀρχόμενος, & obſervatione *Eraſmi*, qui τὸ ὡσεὶ in quibuſdam exemplaribus deeſſe notat, Interpretationes probabiliores, quas mihi videre cōtigit, ad quatuor claſſes revocari poſſe videntur. I. Quidam arbitrantur annum Chriſti vndetriceſimum deſignari à Luca. II. Triceſimum alii. III. Alii triceſimum primum. IV. Quidam contendunt Lucam numero rotundo ἐν πλάτει vſum, & illius verba etiam ad XXXII. vel XXXIII. annum extendi poſſe.

II. Prima ſententia annum XXIX. notari, tribuitur à multis *Irenæo* & *Epiphanio*, ex veteribus, ex recentioribus *Cajetano* in caput tertium Lucæ. Rationes potiſſimæ adferūtur *una* textualis, *altera* Chronologica. *Textualis* eſt, τὸ ὡσεὶ eſſe *terminum diminuentem*, ut vocant Scholæ, ſic quaſi incipere, vel ferè incipere annum aliquem, eſſe nondum incipere, ſed ad initium illius accedere. Sic τὸ ὡς legi ſenſu ſimili *Act.* XIII. 20. *Et poſtea*, ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα, *dedit Iudices uſque ad Samuelem Prophetam.* Ratio *Chronologica* eſt, natum eſſe Dominum anno XLII. Auguſti, baptizatum XV. Tiberii, Auguſti Imperio ad LVI. annos, ſecundum Scriptorū Romanorum calculum, extenſo, & XIV. annis, quos Chriſtus vixit ſub Auguſto, adjectis ad XV. annos Tiberii, relinqui tantùm XXIX. non plures, vel pauciores, adeóque Chriſtum videri illo ætatis ſuæ anno baptizatum.

III. Sed vtraque ratio infirma eſt, 1. Quia petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, incertum hîc & dubium, an τὸ ὡσεὶ ſit terminus diminuens, vel non, an ϛοχαϛικὸν, an verò ἀληθινόν. Et peccatur Elencho τῷ ἐν μέρει, etſi enim interdum notet defectum, notat tamen alibi exceſſum. 2. Loci *Act.* XIII. 20. allegatione probatur obſcurum per obſcurius. 3. Chronologia quæ ad XLII. Auguſti natalem Chriſti alligat, nec certa eſt, nec probata, ut ex ſuperius diſputatis ſatis liquet. 4. Auguſto non anni LVI. ſed LVII. à multis tribuuntur. 5. Supponitur, non probatur XV. Tiberii annum connecti cum hac deſignatione ætatis Chriſti.

IV. *Multi* eximii Viri inter veteres ſimul & recentiores exiſtimarunt, Lucam verbis illis innuiſſe, Chriſtum XXX. annorum

norum fuiſſe, cum accederet ad baptiſmum, & baptizatum trigeſimo anno inchoato, non verò completo. Hæc ſententia tribuitur ex veteribus *Clementi Alexandrino, Tertulliano, Hieronymo, Auguſtino*, aliis. *Baronius* fatetur eam communiorem videri antiquorum Patrum opinionem, Chriſtum eo anno quo eſt baptiſmate initiatus, iniiſſe annum trigeſimum. *Pererius* in hanc claſſem conjicit etiam *Ignatium* & *Irenæum.* Ex recentioribus agmen hîc cogunt *Thomas, Lyranus, Abulenſis, Onuphrius, Sigonius, Ioannes Lucidus, Beroaldus, Toletus, Suarezius*, aliique. *Pererius* Comm.in Dan.lib.XI. quæſt.VI. exertè eam tuetur, ut aliis opinionibus probabiliorem. Idem placet CL. *Montacutio* Exerc. IX. Sect.I. qui contendit, Chriſtum exorſum fuiſſe ætatis ſuæ annum XXX. ante dies duodecim, quàm baptizaretur in Iordane, ad VI. diem Ianuarij, ſub Conſulatu incepto Geminorum, anno Tiberiano XV. per menſes quatuor, &, quod excurrit, decurrente. Fundamenta hujus ſententiæ potiſſima videntur, 1. Verba Lucæ id intervallum deſignare. 2. Reliquas ſententias minus probabiles eſſe. 3. Vulgatam Editionem cum Græcâ juxta rigorem literæ id innuere. 4. Loca parallela Scripturæ id ipſum docere *Luc.*II.21. *Matth.* XXVII.63. ubi tempus completum ponitur pro inchoato. 5. Natali Chriſti relato in XLII. Auguſti, & baptiſmo in XV. Tiberii, reſtare ex Auguſti imperio ætatis Chriſti annos ferè XV. quibus ſi addantur alii ferè XV. Tiberiani Imperii, ſummam XXX. annorum confici.

V. *Authoritates* veteres & recentes ad calculum hîc vocare tædioſum nimis foret & moleſtû, adde & parùm firmum, cùm multi ex illis obſcuriùs loquantur, ut in eorum dictis major quàm in Lucæ verbis ambiguitas reperiatur. Vnde ut *νευρόσπαστα*, & nervis alienis mobile lignum, ab Interpretibus modò in hanc ſententiam, modò in aliam pro diverſis Authorum placitis trahuntur. *Rationes* verbo expendendæ. 1ª Petit *τὸ ἐν ἀρχῇ* & *τὸ κεινόμενον.* 2ª Eſt ejuſdem commatis. 3ª Dubia eſt quoad textum græcum, inconſequens prorſus, quoad verſionem vulgatam. 4ª Peccat *Elencho parium*, cum phraſis utrobique diverſa ſit, & ex locis parallelis, & analogiâ fidei locorum *Matthæi* XXVII.63. & *Lucæ* II.21. interpretatio ſit manifeſta, hujus non item. 5ª Supponit, non probat,

Christum natum XLII. Augusti, baptizatum XV. Tiberii præcisè, quorum neutrum in Scriptura. Adde, calculum annorum Augusti, & Tiberii, & mensem ac diem baptismatis ambiguum esse, nec de eo constare inter Interpretes, ut suprà ostensum.

VI. *Alii* contendunt, designari verbis illis, Christum baptizatum fuisse anno XXX. completo, XXXI. inchoato. Pro hac sententia ingens quoque *authoritatum* classis citatur, *Ignatius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Eusebius*, *Euthymius*, *Theophylactus*, *Cedrenus*, *Bernhardus*, *Beda*, *Antiquum rituale Romanum*, *Salmero*, *Baronius*, *Scaliger*, *Gordonus*, *Torniellus*, *Baradas*, *Franciscus Lucas*, alii. *Rationes* potissimæ huic sententiæ propugnandæ ex ipsâ phrasi Lucæ producuntur à Summo Viro *Iosepho Scaligero*, quo nomine flagellatur acerbè, ut merus Grammaticaster, ab *Annalistâ* quodam, sed parum pro dignitate utriusque. Laudanda potiùs, si minus probanda in singulis, & illius, & aliorum industria, qui in phrasi Spiritus Sancti discutienda laborant. *Scaligeri* fundamenta sunt libro VI. de Emend. Temp. & Can. Isag. lib. III. I. Illum rectè triginta annorum dici, qui tricesimum annum absolvit, Iurisconsultos *anniculum* vocare, cui incipit annus absolutus. In Iure XXV. annorum esse, cui illuxit vicesimus sextus natalis. Augustum in Indice rerum à se gestarum scribere, anno vicesimo ætatis suæ se fuisse annorum undeviginti. Ergo & annorum triginta esse, cui tricesimus primus iniuit. II. τὸ ὡσεὶ non esse indefinitum pro μικροῦ δεῖ, sed definitum, quia ἄρχεσθαι tale sit. Hebraismum ergo esse in voculatione ὡσεὶ, eamque sumi nunc dubitanter, nunc affirmanter, ut *Caph* Hebræorum, quod interdum sit ἀπορητικὸν vel στοχαστικὸν, interdum ἀληθινόν. Et tale esse apud Lucam, instar illius, δόξαν ὡς μονογενοῦς Iohannis primo &c. III. Nō dici, ἐγὼ ἄρχομαι τριάκοντα ἐτῶν, pro ἄρχομαι τοῦ τριακοστοῦ ἔτους. Iesum fuisse τριάκοντα ἐτῶν toto anno tricesimo primo, & absoluto anno tricesimo hanc illi phrasin convenire, ut dicatur ἄρχεσθαι ὢν τριάκοντα ἐτῶν. Suppressum fuisse participium ὢν ne repeteretur. Hæc ergo perinde esse, ac si scriptum fuisset, ἤρχετο Ἰησοῦς ὢν τριάκοντα ἐτῶν, ὤν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσήφ. Promiscuum esse, verba ἄρχεσθαι & παύεσθαι cum participiis construi, ἦν ἀρχόμενος, esse idem quod ἤρχετο. IV. Addunt alii, *Caph. Ex.* XII. 37. excessum potius notare quàm defectum, quando dicuntur

cuntur Iſraelitæ egreſſi ex Ægypto *circiter ſexcenta millia peditum*, ut ſic concilientur verba Moſis cum illis quæ leguntur *Num.*I. 46. ubi dicuntur egreſſa ſexcenta tria millia quingenti quinquaginta. V. Chriſtum in exceſſu Auguſti compleviſſe annos XV.& octo menſes, deinde baptizatum fuiſſe XV. Tiberii, cujus anni quinque menſes jam exacti, ſequi ergo, cum triceſimum annum compleviſſe, & in aliquâ parte exceſſiſſe. Inde liquere Chriſtum baptizatum anno XXX. completo, inchoato ſequenti per aliquot dies. VI. Apud Iudæos miniſterii ſacerdotalis ætatem legitimam fuiſſe annum triceſimum exactum, veriſimile ergo eſſe, Chriſtum ad miniſterium ſuum anno illo demum expleto acceſſiſſe. Ioſephum nonniſi XXX. annorum virum Ægypto imperaſſe: Davidem regnum adjiſſe eâdem ætate. Vtrique typo debuiſſe reſpondere antitypum. Sic Ezechielem nonniſi triginta annis exactis prophetare cœpiſſe. Hinc Græcorum Canonem natum, non ordinandum preſbyterum, niſi qui triginta ætatis annos impleverit, quia & ipſe Dominus trigeſimo anno baptizatus fuerit, & cœperit docere.

VII. Sed nec hæ rationes apodicticæ, vel uſquequàque ſolidæ. Ad I. *Reſp.* peccari *Ignoratione Elenchi*, vel paralogiſmo à *dicto ſecundum quid*, nec enim quæſtio', an triginta annorum dici poſſit, qui triceſimum annum abſolvit, de quo nemo dubitat, ſed ſupponitur, Chriſtum dici ἁπλῶς τριάκοντα ἐτῶν, quod falſum, cum κατά τι tantùm talis dicatur, & cum ὡσεὶ adjecto. Ad II. *Reſp.* peti τὸ ἐν ἀρχῇ, τὸ ὡσεὶ eſſe definitum potiùs, quàm indefinitum, ἀληθινὸν & θετικὸν, quod vocant Hebræorum filii כ האמיתה *Caph veritatis*, quod affirmat & determinat rem, & non potius στοχαστικὸν, ἀπορητικὸν vel ἐνδοιάσιμον, quod vocant כ השיעור *Caph conjecturæ*, quod ipſum eſt τὸ ζητούμενον. Rationes verò, cur στοχαστικῶς & ἐνδοιαστῶς ſumi debeat, ſunt: 1. Nunquam aliter non tantùm apud Lucam, ſed ne in toto quidem Novo Teſtamento reperitur, quando tempori deſignando, vel numeralibus præſcribitur, ſed ſemper ἀπορητικῶς, ut ὡς εἰ, ac ſi. Vide loca *Matth.*XIV.21. *Marc.*VI.44. *Luc.*IX.14. XXII. 41. XXIII.44. *Ioan.*IV.6. VIII.10. *Act.*II.41. V.36. X.3. Alibi ſæpe συγκριτικῶς ſumitur, quando res cum re confertur, ut *Matth.*IX. 36. XXVIII.4. *Marc.*IX.26. *Luc.*XXIV.11. *Act.* II.3. IX.18. *Hebr.*

XI.12. Τὸ ὡσεὶ quoque apud profanos Scriptores ſæpe πλεονάζει, ſecundùm *Etymologicum* magnum, Ὡσεὶ, ἐπίῤῥημα παρέλκον. 2. *Syrus* Interpres hîc loci τὸ ὡσεὶ στοχαστικῶς reddit איך בר שנין תלתין, *quaſi filius annorum triginta. Arabs* particulam ὡσεὶ planè prætermittit, & verba Lucæ interpretatur, Chriſtum incepiſſe eſſe in triginta annis. 3. Ratio à conjunctione τοῦ ἄρχεσθαι levior, ſalvâ Summi Viri authoritate, videtur, τὸ ἄρχεσθαι eſſe definitum, ergo & τὸ ὡσεὶ. Quid obſtat enim, quominus τὸ ἀρχόμενος non ad annos Chriſti, ſed ad munus & miniſterium ejus referamus, quod & *Origeni* & *Bedæ* inter veteres placuit, & *Ianſenio*, aliiſque inter recentiores? Obſervatum quin etiam jamdudum à Viris eruditis, τὸ ἄρχομαι alteri verbo junctum ſæpe πλεονάζειν, v.g. capitis hujus v.3. μὴ ἄρξησθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, patrem habemus Abraham, quippe quod erat vetus Iudæorum καύχημα, non recens. Sic *Act*.1.1. ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν, quanvis non initium tantùm dictorum & factorum Chriſti, ſed plena eorum hiſtoria deſcribatur. 4. Exemplum ex *Ioh*.1.14. *Spectavimus gloriam eius* ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός, parum accommodum, ubi τὸ ὡς occurrit, non τὸ ὡσεὶ, quod ibidem vel ἀναφορικὸν eſt, vel αἰτιολογικόν. Nec par ratio particularum ὡς & ὡσεὶ. Τὸ ὡς enim laxius longè, & innumeras ſignificationes habet, & modò eſt ἐπίῤῥημα θαυμαστικὸν, modò βεβαιωτικὸν, modò διηγηματικὸν, modò συγκριτικὸν, & ſignificat παραβολὴν, ἀνταπόδοσιν, ὑπερβολὴν, ὁμοίωσιν, ἀναφορὰν & alia id genus complura, de quibus Etymologica græca. Ad III. *Reſp*. 1. Supponi itidem gratis, τὸ ἄρχομαι conſtruendum & connectendum eſſe cum annis Chriſti. 2. durum admodum, dicere, illum dici incipere triceſimum annum, qui eum jam implevit, & triceſimum primum eſt ingreſſus. 3. Non opus ſupplemento alîus participii, cum verba optimè fluant, participio ἀρχόμενος ad munus Chriſti relato, & τοῦ ὢν ad genealogiam Chriſti ſequentem. 4. Bene ſane dicitur ἦν ἀρχόμενος pro ἤρχετο, ſed duriter admodum ἦν ἀρχόμενος ὢν pro ἤρχετο εἶναι. Quid opus erat hoc verborum circuitu? Longè ſanè fluidior verborum Lucæ ſenſus participiis ſeparatis, quàm conjunctis. Videretur aliâs alterutrum πλεονάζειν, ſive τὸ ὡσεὶ, ſive τὸ ἀρχόμενος. Quin potius, ſi accuratè expendantur, pugna inter utrumque, qui enim incipit eſſe tricenarius, non dici debet habere circiter annos triginta, nec

contra. Ostensum enim τὸ ὡσεὶ non esse θετικόν. Nec verendum, ne, siquidem τὸ ὢν referamus ad sequentia, qui erat, ut existimabatur Iosephi, filius Heli, Lucas videatur probare errorem Iudæorum, Christum ex Iosepho natum, cum verba illa (ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ) παρένθετα sint, ut ostensum *Dubiorum* parte primâ *Dubio* XX. XXI. XXII. §. XXX. & Christus revera fuerit filius h. e. nepos Heli patris Mariæ. Adde, Scripturam sæpe ex aliorum sensu & iudicio loqui, κατὰ τὸ δοκεῖσθαι, non κατὰ τὸ εἶναι. Sic Sol & Luna dicuntur *magna luminaria*, quidam *iusti, sapientes*, *Evangelium stultitia*, & innumera id genus alia. Ad 4. *Resp.* peccari Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *à particulari*, illo loco *Caph* Hebræorum excessum notat, ergò & hic τὸ ὡσεί. Atqui plures alii opponi possunt, ubi excessus non notatur. Adde, non tam vi vel usu τοῦ *Caph*, quàm collatione loci paralleli liquere, excessum ibi notari. Ad 5. *Resp.* Denuò supponi τὸ ἐν ἀρχῇ, tot annos vel menses Christum sub excessum Augusti præcisè habuisse, & connecti à Lucâ baptismum Christi cum XV. anno Tiberii. Ad 6. *Resp.* Argumentum ab ætate præfixâ ministerio sacerdotali, typis Christi, & Canone Græcorum minus quàm topicum esse, tantum abest ut sit apodicticum, talia enim non probandæ rei controversæ, sed tantùm illustrandæ rei iam probatæ adhiberi debet. Adde, hoc argumento illos tantùm urgeri, qui Christum infra annum tricesimum munus suum auspicatum contendunt, non verò illos, qui supra ætatem illam ascendunt.

VIII. Restat *quarta* & ultima sententia, tricenarium numerum à Spiritu S. παχυλῶς adhiberi & ἐν πλάτει, nō ἀκριβῶς, & phrasin Lucę indefinitam potius esse, quàm definitā, adeóque tutius longè cùm latitudine aliquâ accipi quàm præcisè & ἀποτόμως, ac si diceret Lucas, Christum illo tempore, cum munus suum auspicaretur, fuisse circiter annorum triginta hominem: sive igitur tricenario minor statuatur, sive maior, Lucæ verbis secundùm se consideratis sua constat veritas, præcisè verò tricenarius statui non potest, quin verbis Evangelistæ vis fiat, siquidem enim hoc designatum voluisset Lucas, quid opus erat τοῦ ὡσεὶ adjecto rem ambiguam reddi? Quia tamen id adjectum, inde constat populariter potius locutum Lucam, quàm strictè & exactè ad Chronologorum calculum. Et hæc quidem

ſententia mihi probabilior videtur ob rationes varias, eáſque ſolidas ſatis & graves.

Duo verò probabo. I. Lucæ phraſin ἐν πλάτει potius intelligendam, quàm ἀποτόμως. II. Eâ exceſſum potius notari, quàm defectum, ſive, Chriſtum tricenario majorem tunc fuiſſe, non minorem. *Prius* I. Quia ſi præcisè ſumatur, nunquam poterit conciliari calculus ille cum charactere Matthæi, Chriſtum natum *in diebus Herodis*, ut ex collatione illorum, quæ ſupra à nobis diſputata, patet. 2. Quia hoc loco non directè agitur de ætate Chriſti, & ejus exactâ ſupputatione, ſed obiter tantùm, & extra ſedem hujus argumenti. 3. Quia Lucas utitur numero rotundo, quo decas integra ſæpe in S. Scripturâ exprimitur, & id tricenarium, quinquagenarium, centenarium dici ſolet, quod vel accedit ad illum numerum, vel paululũ excedit. Sic quinquagenarium dici poteſt id quod intra numerum 45. & 55. continetur, ſive quod propius eſt quinquagenario quàm quadragenario, vel ſexagenario. Tricenarius ergo ex uſu S. Scripturæ eſt etiam ille qui exceſſit XXV. annum, & nondum attigit triceſimum quartum vel quintum. Alia ratio eſt numerorum non rotundorum, in quibus illa latitudo dari non poteſt, nec ſolet in Scripturâ. 4. Quia non numero rotundo tantùm vtitur Lucas, & compendiario, ſed & adjectâ particulâ laxâ ὡσεὶ, quæ nunquam rem in Scripturâ definit, quando numeralibus præfigitur, ſed tantùm oſtendit, ad numerum hunc vel illum acceſſiſſe id de quo ſermo, ſive exceſſus notetur, ſive defectus. *Marc.* VI.44. ὡσεὶ πεντακισχίλιοι ἄνδρες. *Act.* II. 41. ψυχαὶ ὡσεὶ τρισχίλιαι. *Act.* V.36. ἀριθμὸς ἀνδρῶν ὡσεὶ τετρακοσίων. Notandum tamen, quando τὸ ὡσεὶ præponitur numeris non rotundis, id minorem latitudinem deſignare, quàm quando rotundis præfigitur, ſic quando dicitur fuiſſe ὡσεὶ ὥρα ἕκτη *Luc.* XXIII. 44. intra quintam & ſeptimam id probabiliter arctandum. Datur tamen exemplum collatis inter ſe locis *Matth.* XVII.I. & *Luc.* IX. 28. ubi ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτὼ, & μεθ' ἡμέρας ἓξ æquipollent. Quidni ergo ὡσεὶ numero rotundo præfixum cum latitudine aliquâ uſurpari poſſit?

Poſterius verò, quod probandum ſuſcepi, exceſſum hîc potius notari quàm defectum, ſive Chriſtum tricenario majorẽ fuiſſe, probari ſolidè poteſt ex iis quæ ſuprà à nobis diſputata, Chri-

stum nimirum natum ante XLIII. Julianũ, si characteres varios, (Herodis cum primis regnum, sub quo natus statuitur à Matthæo) inter se conferamus. Vt ergo sibi constent characteres à Spiritu S. notati, Christus tricenario maior tunc temporis potius fuit, quàm minor, cùm LXXIII. Iulianus demum respondeat XV. anno Tiberii.

IX. Et hæc quidem sententia placet *Kepplero* Chronologo CL. qui eam strenuè contra *Calvisium* tuetur, & probat, Lucam populariter tantùm non Mathematicè locutum, & tametsi Christus dicatur baptizatus anno ætatis XXXII. demum, suam adhuc verbis Lucæ veritatem constare, Christum fuisse ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν, quasi tricenarium, si quis ex staturâ & facie de eo judicaret. Statuit verò *Kepplerus* incidisse baptismũ Christi in XV. Tiberij & LXXIII. Iulianum, vel in initium LXXIV. Illo anno LXXIII. in Autumno cœpisse Ioannem baptizare, Christum verò venisse ad Ioannem vel proximo Novembri ejusdem anni, vel initio Ianuarii anni LXXIV. sequentis, & ab eo baptizatum duobus *Geminis* Coss. Τὸ ὡσεὶ ergo non idem esse quod σχεδὸν, ut vult *Erasmus*, cùm ὡσεὶ laxius sit, σχεδὸν strictius, illud excessum æquè notet ac defectum; istud defectum tãtùm, sed respondere phrasi ὡς ἔοικε, ἐν πλάτει. Argumenta *Keppleri* gemina sunt illis, quæ suprà proposita, & prolixè reperiuntur in variis locis *Sylvæ Chronologicæ*, & in *Eclogis Chronicis* ejusdem. Sic *Ioannes Dekerius* existimat Christum XXXII. annorum fuisse cum baptizaretur, verbis ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν etiam laxiùs acceptis. Et sanè, ut *Kepplerus* notat, hæc non pugnant inter se triginta annorum circiter esse, & XXXII. vel XXXIII. annos præcisè habere.

X. Quicquid ergo statuatur de anno baptismi Christi præstat indefinitè & cum latitudine aliquâ de eo loqui cum Lucâ, quàm definitè & præcisè. Quisque hìc suo judicio frui potest. *Authori*, ut observat *Kepplerus*, Æræ hodiernæ is est XXVII. *Æræ hodiernæ* XXVIII. *Buntingo*, XXIX. *Patribus* multis XXX. *Scaligero* XXXI. *Deckerio* & *Suslygæ*, XXXII. *Kepplero* XXXIII. Tantùm in hoc cuique incumbendum, vt characteri Matthæi cum charactere Lucæ conveniat, ne committantur inter se sacri Scriptores.

Sensus verò verborum Lucæ mihi commodè fluere vide-

tur, si interpunctionem constituamus post vocem τριάκοντα, & τὸ ἀρχόμενος referamus ad λειτουργίαν Christi, cùm enim participium illud non præponatur annis, sed postponatur, non ad illos referri debet, imò sine contradictione non potest conjungi cum τῷ ὡσεὶ, qui enim incipit annum tricesimum non potest dici esse ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν, & contrà. Sic τὸ ὢν per interpunctionem disjungendum à participio ἀρχόμενος, & pertinet non ad priora, sed ad posteriora, ὢν (ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσὴφ) τοῦ Ἡλί. Sensus ergo verborum ita constitutorum, καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, ἀρχόμενος, ὢν (ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσὴφ) τοῦ Ἡλί est, Iesum non incepisse esse annorum triginta, sed Iesum circiter annos triginta natum, cœpisse, scilicet docere & cursum ministerii ingredi, qui erat (ut putabatur, filius Ioseph) revera filius Heli, hoc est, eius ex filiâ Mariâ nepos. Nec malè τὸ ἀρχόμενος referri ad ministerium Christi præter authoritates supra dictas liquet, 1. *Ex materiâ subiectâ*, quia reverâ cœpit se patefacere, postquam voce cœlesti in baptismo velut solenni vocatione inauguratus fuisset. 2. *Ex locis parallelis*, ubi eâdem phrasi simili sensu utitur Lucas, *cap.* XXIII. 5. ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως ὧδε. *Act.* 1. 22. ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου &c. X. 37. ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας. Quid obstat ergo, quominus dicamus, Iesum fuisse annorum plus minus triginta, ἀρχόμενον scilicet τῆς λειτουργίας, τῆς διακονίας, τῆς ὑπηρεσίας? Et sanè *Kepplerus* observat Biblia quædam *Helvetica* vetera sic expressisse verba Lucæ, *Vnd Iesus vvas by dreißig Iahr, da er anfieng.*

Tametsi ergo Spiritus S. non ignoraverit præcisum numerum annorum Christi, illum tamen nec hoc loco nec aliis ἀποτόμως designatum voluit, tum ut nos exerceret & subigeret, tum ut doceret, non superstitiosè nec anxiè in talibus hærendum, ubi salutis cardo minimè vertitur. Sic non ignoravit alibi Spiritus S. quot anni, quot dies, quot horæ fuerint elapsæ, quot homines fuerint cibati, quot animæ accesserint Ecclesiæ, quot stadia fuerint interjecta ad hunc vel illum locum, sed tamen illa omnia indefinitè potius designare voluit quàm definitè, & ejusmodi phrasibus, quæ non excluderent plures vel pauciores, fortè ad cautionem, ut de similibus cautè loquamur, nec temerè affirmemus, tot annos intercessisse, tot homines adfuisse, occubuisse, & alia id genus, cùm facilis ibi

detur

detur lapsus: præstare ergo ejusmodi vocibus uti, quæ salvâ veritate sufficienter tamen numerum describant, de quo agitur.

Concludimus itaque, conformem sibi esse ubique stylum Spiritus S. in describendo tempore natalitio, & omnes eius characteres qui in S. Scripturâ exstant, communes tantùm esse & indefinitos. Præstat ergo hîc ἐπέχειν, & sobriè loqui quàm quicquam temerè affirmare, & de anno natalitio quærentibus respondere cum Scriptura, Christum natum ἐν ἡμέραις Ἡρώδου, imperante Augusto, Syriæ præside Cyrenio, tempore ἀπογραφῆς τῆς πρώτης: de anno baptismali, Christum baptizatum & munus suum ingressum ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν. Et hæc de tertio etiam charactere anni natalitii.

DVBIA XII.

XII. De Mense & Die natalitio. XIII. De Zacharia, an summus Pontifex? *Luc.* I. 5. XIV. De ἐφημερίας, de quibus mentio ibidem. & v. 8. XV. De sensu verborum, *Luc.* I. 9. κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι.

EXAMEN.

Variatio Veterum de Mense & Die natalitio. Duæ *opiniones primariæ, una veteris Ecclesiæ, alia recentiorum quorundam. Vetustas prioris dubia. Serior illius receptio in Ecclesiis Orientalibus.* Prior *opinio bipartita.* Τὰ ἐπιφάνια *ubi fixa, & unde ducta.* Keppleri *conjectura super diversâ Veterum opinione. Duodecim noctes Veteribus sacræ.* Ioannis Hervvarti *coniectura.* Ἐπιφάνια *diversa ol*

diversum anni principium. Fundamenta primæ opinionis Christum natum xxv. Dec. ex locis Ioh. III. 30. & Luc. I. 9. *Authoritates à* Baronio *citatæ.* Petavii παρόληψις *callida. Confutatio fundamentorum primæ opinionis. Vindiciæ locorum* Ioh. III. 30. & Luc. I. 9. *Zachariæ summus Pontificatus commentitius. Rationes ex contextu sacro. Rationes aliæ. Incrustatio de Vicariatu Zachariæ inanis. Observatio* Cunæi *proba. Duplex metamorphosis, vtraque falsa. Sensus loci* Levit. XVI. 18. *Tempus conceptionis Ioannis dubium. Authoritates* Baronii & Petavii *partim falsæ, partim dubiæ. Opinio* secunda *recentiorum,* Beroaldi, Scaligeri, Calvisii, *Christum natum sub æquinoctium autumnale. Fundamenta illorum à tempore census, à vigiliis pastorum. Ratio conjecturalis triplex* Beroaldi. *Septimus mensis festus præ cæteris. Mundi initium circa æquinoctium autumnale. Initium Indictionum, & anni apud veteres multos à Septembri.* Σεισάχθεια *à Christo prædicata. Argumentum* Beroaldi *à* LXX. *hebdomadibus Danielis. Demonstratio* Scaligeri *ex* ἐφημερίας *Sacerdotum* Luc. I. 5. *Summa illius* in Thesi. *Origo ephemeriarum. Periodus singularum. Interruptio ordinis illius duplex.* In Hypothesi *tempus* ἐφημερίας *Abiæ. Tempus conceptionis Ioannis. Argumentū ab eâ ad natalem Christi.*

Scali-

Scaligeri *judicium de Die natalitio.* Calvisii *calculus conformis calculo* Scaligeri. *Examen fundamentorũ & rationum opinionis* secundæ. *Argumentum à tempore census inane. Falsæ hypotheses.* Keppleri ἔνστασις. *De* ἀγραυλίᾳ *Pastorum, eiusq́; tempore.* Casauboni *observatio. Consuetudo Anglicana. Quid* τὸ ἀγραυλεῖν. *Phrasis illa generica, ut &* τὸ שרא *Syrorum & Chaldæorum. Verba Hebræorum parallela.* Ἄγραυλοι *qui Suidæ. Versio Arabica. Vulgatæ versionis,* Erasmi, & Bezæ *tralatio strictior. Argumentum* Beroaldi *à festis septimi mensis infirmum. Opiniones diversæ de tempore creationis Mundi.* Scaligeri *opinio probabilior. Vetus anni principium apud Hebræos. Collectio* Beroaldi *infirma. Confutatio tertij argumenti* Beroaldi. *Examen demonstrationis ab ephemeriis. Hypotheses dubiæ multæ. Incommoda varia.* Keppleri & Petavii *illatio contraria ex ephemeriis. Conceptionis Ioannis tempus incertum.* Scaliger *laudatus.* Τάξις *ephemeriarum.* Beroaldi παρόραμα. *Orbis hieraticus qualis.* Ἐφημερίας *vox à* LXX. *derivata. Voces Hebrææ illi respondentes.* Ἐφήμερος & ἐφημέριος *quid Græcis.* Ἐφημερία *quid in* Etymologico & Suida. *Quid* πατριὰ, φατρία, *vel* φρατρίαι, φράτορες. Ἐφημερία *duo notat. Religio Iudæorum in observandis ephemeriis. Canon vetus Iudæorum.*

Ἀρχιερεῖς qui Evangelistis, ראשי אבות. *Illustratio* versus 9 Luc. 1. *Ephemeriarum functiones* sorte *distributæ. Observatio* Scaligeri *ex Liturgiis Iudaicis. Causæ distributionis per sortem. Sors* consultoria & distributiva, *sacra. Syra versio insufficiens.* τὸ λαγχάνειν *laxius apud* LXX. *pro* κρατεῖν λαμβάνειν, לכד *apud Hebræos.* ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι *ellipticum.* Baronii *de hebdomada & die natalitio conjecturæ* jejunæ, *illatio infirma.* Hesychii & Anastasiorum *calculus precarius, ut & aliorũ idgenus. Vacillatio* Baronij. *Cur Christus noctu natus.* Ἐπίκρισις *Authoris. Incertitudo utriusque opinionis. Celebratio anniversaria Natalis Christi pia. Libertas Ecclesiæ circa diem.* Exercitatoris *cujusdam calor intempestivus.*

I. ANXIO hactenus & perplexo labore defuncti fuimus in investigando anno Natalitio, & excutiendis characteribus Chronicis, qui apud sacros Scriptores super hoc argumento reperiuntur. Reliquum est, ut in Mensem & Diem natalitium inquiramus, & observemus, an Spiritus S. in sacris literis has nobis περιστάσεις nativitatis dominicæ consignârit, & quibus characteribus, quæ veteris Ecclesiæ hîc sententia fuerit, quæ aliorum, & quid de toto hoc argumento probabiliter statuendum videatur. Huic *Dubio* adjecta alia quædam, quæ cum ejus explicatione connexa.

II. Primum *Dubium* de Mense & Die natalitio quod attinet γαγγαμῶν reverâ nobis denuò objicitur, ita facilius hîc se induere in nodos quàm ex iis expedire. Conabimur tamen in hoc quoque argumento operam nostram Lectori probare clarâ & succinctâ rerum obscurissimarum & vastissimarum ἐξηγήσει.

γήσει. Prætermiſſo verò anxio examine, quæ ſigillatim uniuſcuiuſque ex Patribus opinio fuerit, quæ fundamenta, præcipuas tantùm conſectabimur. *Clemens Alexandrinus* Stromatum primo jam ſuo tempore variatum ſententiis, & diverſas invaluiſſe docet: quoſdam conjeciſſe Natalem Domini in XXV. Pachon, cui reſpondet Majus noſter, alios in XXIV. vel XXV. Pharmuthi, cui reſpondet Aprilis. *Clemens* ibidem quæſtionem hanc curioſiorem vocat, Εἰσὶ δὲ, inquit, *οἱ περιεργότερον τῇ γενέσει τοῦ σωτῆρος ἡμῶν οὐ μόνον τὸ ἔτος, ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προστιθέντες, ἣν φασὶν ἔτους κη´ Αὐγούστου ἐν πέμπτῃ Παχὼν καὶ εἰκάδι.* Et paulò poſt, cum diverſitatem etiam opinionum de baptiſmi & paſſionis Dominicæ die ediſſeruiſſet, ſubjicit *καὶ μὴν τινὲς αὐτῶν φασὶ φαρμουθὶ γεγενῆσθαι κδ´, ἢ κε´.* Talis opinionum diverſitas notatur etiam ab *Epiphanio*, in Panario, cujus ſeculo nihil dum definitum legimus ſuper Natali Chriſti, quanvis ille floruerit adhuc ſub Gratiano & Theodoſio circa A. C. CCCLXXX. Meminit etiam *Epiphanius* opinionis quorundam qui conjiciebant natalem Chriſti in VI. Iduum Novembrium.

III. Duas verò opiniones obſervare licet, quæ & palmariæ videntur, & rationibus ex Scripturâ deductis firmatæ. Vna veteris Eccleſiæ, vel plerorúmque ſaltem in veteri Eccleſia, quæ hodiéque obtinet in praxi Eccleſiæ Chriſtianæ: alia recentiorum quorundam. *Prior* conjicit natalem Chriſti in XXV. Dec. *Poſterior* circa finem Septembris. De prioris antiquitate litigatur. Quidam opinionem illam à Chryſoſtomi demum ætate ducunt, cui ὁμόψηφοι *Auguſtinus, Oroſius, Sulpitius Severus, Caßiodorus* & innumeri alii, & Eccleſia Chriſtiana per complura ſecula. Alii altiùs aſcendunt, & ejus originem arceſſunt ab ipſis Apoſtolorum temporibus. Facit hoc *Suſlyga*, qui in hanc rem citat *Conſtitutiones Clementis*, traditionem *Evodii*, Petri in cathedra Alexandrina ſucceſſoris, & Acta Martyrum. Ex Chryſoſtomo ſanè liquet, feſtum Natalitium XXV. Decemb. fixum ſeriùs apud Eccleſias Orientales, ſed tamen ex priſcâ traditione jam diu in Eccleſiis Occidentalibus obſervatum Homil. XXXI. de diverſ. Novi Teſt. locis *παρὰ τῶν ἀκριβῶς ταῦτα εἰδότων, καὶ τὴν πόλιν οἰκούντων παρειλήφαμεν τὴν ἡμέραν. Οἱ γὰρ ἐκεῖ διατρίβοντες ἄνωθεν, καὶ ἐκ παλαιᾶς παραδόσεως αὐτὴν ἐπιτελοῦντες, αὐτοὶ νῦν αὐτοῖς ἡμῖν τὴν γνῶσιν διεπέμψαντο.*

III. Fatendum tamen & hîc in partes itum fuiſſe. Quidam enim τὰ ἐπιφάνια vel τὰ θεοφάνια potius coniecêre in xxv. Dec. alii verò in vi. Ian. quæ dies reſpondet xi. menſis Tybi. In hac ſententiâ poſteriore fuêre Eccleſiæ Aſiaticæ & Syræ teſte *Epiphanio* lib. II. contra hær. & Ægyptiacæ, referente *Caſſiano* Collat. x. cap. II. ad quam diem etiam retulêre baptiſmum Chriſti ex detortâ conſtructione & pravâ interpretatione loci *Luc.* III. 23. quanvis poſtmodum id nominis hæſerit illi diei tantummodò à baptiſmo & adventu Magorum, rejecto Chriſti natali in xxv. Decembris, utut præter rem, cùm τὰ ἐπιφάνια ex imitatione paganorum in Eccleſiam introducta fuerint ad deſignandam τὴν τοῦ σωτῆρος κατὰ σάρκα ἐπιφάνειαν vel γέννησιν, ut bene obſervat *Iſidorus Peluſiota*. *Ioannes Kepplerus* ſuſpicatur, nec omnino præter rationem, diſcrimen illud inter Veteres ſuper die natalitio ortum ex lapſu quodam librariorum, qui pro VIII. Kal. Ian. h.e. xxv. Dec. ſubſtituerint VIII. Id. Ian. h.e. VI. Ianuar. vel pro Idibus Kalendas. Quia tamen Veteres duodecim noctes quaſi ſacras obſervavêre, quæ inter xxv. Dec. & vi. Ian. ſunt interiectæ, videmus illos dubios fuiſſe quę ſententia eſſet præferenda. *Ioannes Hervvartus* hîc etiam conjecturam habet ſubtilem ſatis & argutam conciliandis opinionibus, de quibus Clemens Alexandrinus, cum ſententiâ & praxi Eccleſiæ Occidentalis. Ægyptiis enim ideò τὰ ἐπιφάνια celebrata menſibus Pachon & Payni, quòd illi eſſent nonus & decimus ab initio ſui anni, menſe nimirum Thoth, qui reſpondet noſtro Septembri, eò quod audiviſſent Chriſtum exhibitum nono vel decimo menſe anni, qui December, calculo ducto ab initio anni ſacri. Non attento itaque principio anni Ægyptios hæſiſſe in numero menſium, & ſic diſceſſiſſe à communi ſententia. Hinc etiam factum, ut in xxv. die τὰ ἐπιφάνια figerent, mutatione relictâ in ſolo menſe, ob diverſum ſui anni principium.

IV. Fundamenta verò communis illius ſententiæ, Chriſtum natum xxv. Decembris, hæc obſervari poſſunt apud Veteres. 1. *Chryſoſtomus* Homiliâ in primum caput Lucæ, poſt prolixam Diſſertationem de conceptione & nativitate Ioannis æquè ac Chriſti, concludit, utriúſque conceptionem contigiſſe in duobus æquinoctiis, utriuſque nativitatem in duobus ſolſti-

tiis,

tiis, æquinoctio autumnali conceptum Iohannem, verno Christum, solstitio æstivo natum illum, hyberno istum. Hinc natalis Christi coniectus in xxv. Dec. quod tunc putaretur ex fastis Eudoxi & Metonis solstitium hybernum incidere in VIII. Kalend. Ianuar. Si in huius etiam conjecturæ radicem inquiramus, reperiemus illam è verbis Ioannis ductam à Veteribus fuisse, quæ habentur *Ioh.* III. 30. *Illum oportet crescere, me autem minui*, *αὐτίθεσιν* nimirum ministerii Christi & Iohannis adumbratam fuisse per utriusque nativitatem, cùm ergo dies decrescant à solstitio æstivo, crescát ab hyberno, inde cõclusêre Christum isto natum, illo Ioannem. Hinc natalis Iohannis coniectus in XXIV. Iunii, Christi in XXV. Decembris. 2. Huic argumento adjectum geminum aliud à Veteribus, *Hieronymo*, *Chrysostomo* & aliis: Ioanné conceptum mense Septembri, Christum sex mensibus post Iohannem, ergo mense Martio, hinc natum Ioannem mense Iunio, Christum Decembri. Ioannem verò conceptum mense Septembri conclusêre ex eo quòd Angelus Gabriel annuntiârit Zachariæ conceptioné Iohannis, die decimo septimi mensis, putati nimirum secundum legem ab initio anni sacri, Zachariam enim fuisse summum Pontificem, eumque mense & die dictis ex lege ingressum in sanctum sanctorum incensum obtulisse *Luc.*I. 9. & Angelicâ apparitione de conceptione Iohannis fuisse edoctum. Conceptum ergò Iohannem circa finem Septembris, natum circa finem Iunii, Christum itaque sex mensibus post Iohannis conceptionem conceptum, & sex post eius nativitatem natum, adeoque mense Decembri exeunte. Conjectura illa Zachariam fuisse summum Pontificem, & eum solenni illo sacerdotii sui actu cœleste hoc nuntium excepisse, inde adhuc firmari videtur, quòd postquam Zacharias secundùm ritum functionis sacerdotalis ingressus fuisset téplum Domini, tota multitudo populi dicatur foris precata fuisse tempore suffitus. Hæc enim respondere videntur iis quæ habentur *Levit.*XVI.17. *Nullus homo esto in tentorio conventus, quum ille ingredietur ad expiationem faciendam in loco sancto, usque dum egrediatur, quum expiationem faciet pro se & pro familiâ suâ, & pro totâ congregatione Israelis.* Hinc multi ex Veteribus apodicticè sibi concludere videbãtur, incidisse conceptionem Iohannis in finé Septembris, ob notam festi illius solennis

periodum quæ in Tisri mensem incidebat. 3. *Baronius* §.cxxi. Appar. ad Annal. Ecclesf. authoritates varias, rationibus illis prætermissis, allegat, & ait, tam Latinorum quàm Græcorum Ecclesias pari consensione in eam convenisse sententiam, Redemptorem natum xxv. Decembris: Augustinum id affirmare ex traditione Ecclesiæ, & fundamento supradicto, *illum oportet crescere, me autem minui.* Cæteros Latinorum idem tradere, Græcorum consensum liquere ex *Anastasio* Episcopo Nicæno, & Menologio Græcorum & aliis ipsorum monumentis antiquis. Sic *Petavius* lib. xii. de Doctr. Temp. cap. vii. Christum Dominum viii. Kal. Decemb. (scribere voluit Ianuar.) natum esse, vetustissimã esse Ecclesiæ traditionem, probatam à Baronio notis ad Martyrologium, à Dekerio, Suslyga, & aliis, vt & à Martyrologio Romano à *Rossuueido* edito. Quin & *Petavius* ad Christi & Apostolorum usque tempora ascendit, & ab illis traditionem de natali Christi die derivat. Excipit etiam ad fundamenta superiora, priùs de die natali in xxv. Decembr. figendo insitam & πατροπαράδοτον hæsisse sententiam, cætera deinde de Zacharia summo Pontifice & id genus aliis veteri illi sententiæ superstructa fuisse.

V. In eo sanè cautus *Petavius*, quod lubrica illa fundamenta nullius momenti esse tacitè fatetur, & firmamentum calculi in praxi Ecclesiæ Christianæ observati à traditione potius ducit quàm ab argumẽtis, reverâ enim illa ficulnea prorsus sunt, & minus quàm topica, & tantis Authoribus indigna, quibus pauca ex multis opponimus. 1. Hypothesis de conceptione Iohannis & Christi in æquinoctiis, de nativitate utriusque in solstitiis, à merâ conjectura est, imò contraria praxi Ecclesiæ, cùm solstitium hybernum nec figi debeat nec possit in xxv. Dec. 2. Argumentatio ex verbis Iohannis ducta, *Illum oportet crescere, me autem minui*, inconsequens est & precaria, quasi verò necesse fuerit adumbrari incrementum Christi decrementum Iohannis per puncta nativitatis utriusque. Ita argumentari est ludere in re seriâ, & suo otio & Lectorum patientiâ abuti. 3. Nihil falsius, Zachariam fuisse summum Pontificem, adeoque suffitum, de quo Lucas, fuisse ceremoniam illam solennem in festo expiationis observari solitam, quod à Viris eruditis meritò explosum. Præterquam enim, quod nullum festi illius vestigium

iſtic loci apud Lucam, repugnat phraſis Lucæ, & commentum illud convellit. Rationes evidentiſſimæ ſunt in contextu ſacro. Si enim Zacharias ſummus Pontifex, quî vocatur tantum ἱερεὺς ſacerdos quidam, ex plebe nimirum ſacerdotum? quî is ſacerdotio fungebatur in ordine ſuæ ἐφημερίας, qui nulli erat affixus, & quibuſvis ſacris quovis tempore poterat operari? quî dici poterat ſortitus fuiſſe λειτουργίαν ſuffitus faciendi, cùm ſummoSacerdoti & ſoli quidem ſolennis illa ceremonia citra ſortem ex officio incumberet? Annon ſuffitum facere extra velum & ſanctuarium pertinuit ad quoſvis ſacerdotes ſorte ad id delectos? quî Angelus apparuit ad dextram altaris ſuffitus, ſi ille in Sancto Sanctorum erat? cum altare ſuffitus extra velum & adyta ſancta fuerit collocatum, ut patet ex capite xxx. *Exod.* quippe ad quod exeũdum erat è Sancto Sanctorum ſummo Sacerdoti ejus cornua ſanguine conſperſuro. Hæc omnia jugulant invictè commentum de ſummoZachariæ Pontificatu. Adde, à Ioſepho ſummos Sacerdotes alios commemorari circa illa tempora, SimonemHerodis ſocerum, Matthiam, Ioazarum, fratrem Eleazari, Iehuſiæ filium, Ioazarum, nullâ Zachariæ ne leviſſimâ quidem mentione injectâ. Nec conveniens erat Iohannem ſummo Pontifice naſci, ne natalium potius ſplendori, quàm ſingulari Dei benedictioni miniſterii ejus ſucceſſus adſcriberetur. Nec Iohannem, ſed Chriſtum ſummi Pontifices referebant. Et fruſtra adhibetur σοφὸν φάρμακον, Zachariam Vicarium tunc fuiſſe ſummo Pontifici ſubſtitutum ob pollutionem aliquam, quâ arcebatur à muneris ſui executione. Tametſi enim Hebræorum filii doceant, ut bene à CL. *Cunæo* ex Maimonide obſervatum, id interdum fieri ſolitum, tamen tale quid hîc contigiſſe nec Lucas docet, nec ratio, neque enim inſignem hunc honorem Zachariæ diſſimulaſſet Lucas, nec λειτουργίας illius ut ordinariæ, pro ſucceſſione ephemeriarum ab eo obitæ meminiſſet, nec ſuffitus tantùm, ſed & præcipui actus mentionem injeciſſet, introitus nimirum cum ſanguine in ſanctum ſanctorum, & ſanguinis ſparſi ad altare thymiamatis; & aliarũ id genus ceremoniarum, de quibus ne veſtigium quidẽ ullum apud Lucam reperitur. Et cùm Ioſephus diligentiſſimè expreſſerit Vicarios, quos aliquando ſubſtitui contingebat ſummis Pontificibus ob pollutiones adverſas ſanctimoniæ legali,

& Ioſephi Ellemi filii meminerit, qui una tantùm die vicarium Matthiæ ſummi Pontificis egerat, an credibile, vel Lucam, vel Ioſephum tale quid diſſimulaturos fuiſſe, ſi Zachariæ vicaria illa functio obtigiſſet? Supponitur itaque, non probatur, oblationem incenſi, de quâ Lucas, fuiſſe ſolennem illam quotannis intra velum à ſummo Sacerdote peragi ſolitam, die ſolenni expiationis. Duplex itaque metamorphωſis, ſacerdotis ex plebe in ſummum Sacerdotem, & ſuffitus quotidiani ſecundùm legem *Exod.* XXX.7. in actum extraordinarium anno tantum recurrente certâ die fieri ſolitum. 4. *Probatio* quin etiam ab expectatione populi ducta, levis eſt, & aliena à ſanctione illâ quæ habetur. *Levit.* XVI.18. Commune enim & ordinarium erat populo expectare in atrio, utpote cui non dabatur aditus in tabernaculum vel locum ſanctum, ſed ſolis ſacerdotibus, prout nec his in ſanctum ſanctorum. Opperiebatur itaque pro more Zachariam populus, dum ille pro ſortitionis ſuę ratione ſacris operabatur. Sanctio verò, de quâ *Leu.* XVI.18. non populo lata, cui non patebat aditus in locum ſanctum, ſed ſacerdotibus, ne ullus ex illis, quibus alioqui licita erat mora in tēplo, ſolennitatis illius tempore intra limen ſacrum conſiſteret. Nec ſine cauſa populus mirabatur cūctationem Zachariæ, cum præter ſolitum moras necteret, ab Angelo videlicet compellatus. 5. Adde, ſupponi liberaliter, ſtatim à feſto illo conceptum Iohannem, tametſi de Expiationis ſolennibus ſermo eſſet, quod falſum, verba enim Lucæ indefinita ſunt *ver.* 24. μετὰ δὲ ταύτας τὰς ἡμέρας, & illis ſua poteſt conſtare veritas, quanvis non immediatè poſt reditum Zachariæ conceperit Eliſabet, unde tempus conceptionis Ioannis dubium ſemper manet & incertum. 6. Aſſertio *Baronii* & *Petavii* ab authoritatibus ducta tum inconſequens eſt, tum particularis, tum revinci poteſt authoritatibus aliis. Eſſe traditionem Chriſti & Apoſtolorum, & πατροπαράδοτον opinionem Eccleſiæ ab illis temporibus, Chriſtum natum præcisè XXV. Decemb. eâdem facilitate negari poteſt quâ ſolet affirmari, cùm nihil tale in ſcriptis Apoſtolicis deprehendatur. Nec moramur vel *Clementis* conſtitutiones, vel *Martyrologium* Romanum, vel alia ſcripta ejuſdem commatis, quæ partim notha & ὑποβολιμαῖα, partim depravata & farta commentis humanis.

VI. Præter opinionem illam communem de menſe & die natalitio, reperitur alia recentiorum quorundam Virorum cl. v. *Beroaldi, Scaligeri, Calviſii*, & aliorum, qui arbitrantur, Chriſtum natum ſub æquinoctium autumnale, vel circa finem menſis Septembris, ſub feſtum σκηνοπηγίας. Rationes, quæ huic ſententiæ firmandæ adhibentur, ad duas claſſes referri poſſunt. Quædam enim probant alio Menſe præterquam hyberno Chriſtum natum, quędam, incidiſſe ejus natalem in mēſem Septembrem. Ad primam claſſem pertinent duo ſequentia. I. Ejuſmodi tempore Chriſtum natum, quo cēſus commodè agi potuerit, & Iudæi aſcendere in loca ſibi aſſignata, quale minimè tempus hybernum. II. Ad illam tempeſtatem natalem Chriſti referendum, quo potuerint paſtores ἀγραυλεῖν & φυλάσσειν φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην αὐτῶν. Tempus verò hybernum minimè aptum eſſe ad τὸ διανυκτερεύειν ἐν ὑπαίθρῳ, quo tempore pecus in caulas cogi ſolet. Adde, montana Bethlehem fuiſſe tractum aſperiorem & frigidiorem, adeoque minus probabile, paſtores illos tempore adeò iniquo noctu præſertim in agro ſtabulatos fuiſſe. In Autumnum verò incidiſſe natalem Chriſti duplici etiam argumentorum genere probari poſſe videtur; quorum unum *conjecturale* dici poteſt, alterum *demonſtrativum*, ex Authorum ſuorum ſententiâ. *Conjecturale* triplex habet *Beroaldus*, lib. IV. cap. 11. Æquinoctium autumnale convenientiſſimum fuiſſe nativitati Chriſti, & ſeptimum menſem variis feſtis nobilem, quorum complementum cum natali Chriſti exhibitum fuerit, ejus natalem circa feſta illa incidere debuiſſe. Circunſtantias id genus ſimiles alibi à Deo obſervatas. In Feſto Paſchatis immolatum fuiſſe paſcha Eccleſiæ, in feſto Pentecoſtes primitias Spiritus exhibitas, & legem novam veteri ſubrogatam. Sic æquum fuiſſe, ut circa feſtum tabernaculorum Chriſtus naſceretur, & illo tempore quo convectis in horrea frugibus, & perfectâ vindemiâ feriæ ſolennes populo indicebantur, & is aptus eſſet tanto beneficio eâ quâ conveniebat religione excipiendo. 2. Eodem tempore Mundum & natum & renatum, illud in creatione, iſtud in natali Chriſti. 3. Eccleſias veteres eam ob cauſam à Septembri menſe annos ſuos incepiſſe. Ab eodem incipere Indictiones (Cæſareas nimirum) Ægyptiacas Eccleſias ab eodem menſe annos ſuos inchoare,

Toth enim illorum reſpondere Septembri noſtro. Tunc etiam veniſſe Chriſtum prædicatum *annum illum acceptum* Domini, ſecundum vaticinium Eſaię cap. LXI. h.e. Iubilæum & σεισάχθειαν generalem, quæ Septembri menſe die expiationum anno Iubilæo ſolebat denuntiari. *Lev.* XXV. 9.

VII. Argumentum demonſtrativum *Beroaldi* ex LXX. hebdomadibus Danielis ductum prætermittimus, cùm enim de earũ principio & fine & Theologi inter ſe litigent & Chronologi, obſcurum probatur per obſcurius. Quid verò de iis ſentiendum videatur, alibi, Deo dante, aperiemus. *Scaligero* videtur apodeixis duci poſſe ex ἐφημερία, de qua *Lucas* I. 5. inquiens Zachariam fuiſſe ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά. Hoc argumentum *Beroaldo* ſuboluit, ſed id à *Scaligero* Viro incomparabili ſubtiliſſimè & diffuſiſſimè pertractatum libro III. Can. Iſag. & in Append. Emend. Temporum. Summa ratiocinationis Scaligerianæ huc redit. Poſteritatem Aaronis in XXIV. familias vel claſſes diſtributam fuiſſe, quarum ſedecim ab Eleazaro, octo verò ab Ithamaro propagatas ex S. Scripturâ liquet. Eæ familiæ per vices ſacris operabantur, ſingularum miniſterio in orbem redeunte. Id inſtitutum à Davide ortum I. *Paral.* XXIII. 27. & XXIV. 7. & certo ordine collocatæ familiæ ſecundùm ſortem quæ ſingulis primò obtigerat. Hinc Ioaribi familia prima collocata, octava familia Abiæ. Familiarum ordo & Liturgiæ ſibi ſuccedentes conſtantiſſimè obſervabantur, ne vlla aliam anteverteret, vel ordinem ſuum mutaret. Ioſephus teſtatur, hunc ordinem ad ſua tempora ſervatum. Functionis tempus vocatum ἐφημερία, quæ incipiebat à feriâ ſeptimâ ſive Sabbathi die matutino, & deſinebat ſequenti Sabbatho eodem tempore. Multiplicato ergo numero ſeptenario per XXIV. elapſis ſingulis CLXVIII. diebus unaquæque familia iterum vices ſuas obibat. Interdum verò interruptionem ordinem hunc paſſum fatetur Scaliger, ex quo à Davide inſtitutus fuit, propter idololatriam populi, ſub Nabuchodonoſore, tẽplo everſo, & poſtmodùm ſub Antiocho, eodem profanato. Ex quo verò à Iuda Maccabæo reſtitutus legitur I. *Macc.* IV. 42. & ephemeriarum ordo iterum inchoatus, ab eo tempore nunquam nec ἐνδελεχισμὸς h.e. juge ſacrificium interruptum, nec ordo hieraticus, uſque ad excidium templi ſub Veſpaſiano. His in theſi diſputatis, pergit

Scali-

Scaliger ad hypothesin, & inde inquirit in tempus ἐφημερίας Ἀβιά, ex quâ Zacharias, fundamento jacto in tempore ἐγκαινισμοῦ τῆς ἱερατείας, & statuit Iudam incepisse à principe familiâ quæ Iojarib, ejus ephemeriam inivisse suum munus XXII. Nov. anni per. Iulianæ 4549. Ephemeriam verò octavam, quæ Abiæ, cepisse liturgiam suam quinquagesimo die orbis hieratici, qui cadit in X. Ian. anni sequentis 4550. Cùm verò Christus Scaligero natus videatur circa vltimos menses anni per. Iul. 4711. inquit, evangelismum Zachariæ contigisse anno per. Iul. 4710. quo Ephemeria Abiæ inivit suum ministerium die XXI. Iulij. A decima enim Ianuarij anni 4550. quo eadem ephemeria inivit ministerium post encænia Maccabæi ad Sabbatum XXI. Iulii anni 4710. fluxerunt anni 160. dies 192. qui sunt orbes hieratici Abiæ præcisè 349. Ergo XXVIII. Iulii ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας Zachariæ. Conceptus ergo Iohannes post XXVIII. Iulii & Evangelismus incidit inter XXI. & XXVIII. cujus dies incompertus. Post XXVIII. Iulii Zacharias liturgiâ suâ defunctus domum se recepit *Luc.* I. 23. habitabat enim in montanis Iudæ v.39. à cujus reditu conceptus legitur Iohannes, καὶ ἐγένετο ὡς ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ. Μετὰ δὲ ταύτας τὰς ἡμέρας συνέλαβεν Ἐλισαβὲτ ἡ γυνὴ αὐτοῦ &c. Hinc concludit Scaliger conceptionem Iohannis incidisse in finem Iulii. A Iohannis verò conceptione progreditur Scaliger ad eruendum natalem Christi, hoc modo. Quinque menses integros se occultasse Elisabetam, & sexto ineunte Angelum Gabrielem missum ad Mariam, incidisse ergo hæc in finem Decembris, quo tempore post evangelismum Gabrielis Maria cognatam suam inviserit, cui mensis inibat sextus à conceptione. Hinc concludit Scaliger, natalem Christi nono mense ab Evangelismo putato incidere circa finem Septembris diebus σκηνοπηγίας Cycli Lunæ XVIII. æstibus anni, quando in tabernaculis sub dio morari, & pastoribus ἀγραυλεῖν tempus anni sinit. Hoc tempus planè initio autumni convenire, quo in Iudæa adhuc æstus ardentissimi, præsertim eo anno quo σκηνοπηγία ferè in ipsum tempus æquinoctii incidit anno XXVIII. Actiaco. Τὸ ἀγραυλεῖν verò non convenire diebus brumalibus, quibus pecus noctu in caulas cogitur, præsertim in montanis Bethlehemi. Sic *Scaliger* mensem designat, diem verò negat

à quoquam mortalium designari posse,& meritò,cùm nec dies concepti Iohannis, nec dies concepti Christi ullibi exprimatur. Et hæc est ἀπόδειξις Scaligeriana. *Calvisius* vestigia Scaligeri secutus eundem calculum ab eodem initio ἐγκαινισμοῦ τῆς ἱερατείας per Iudam Maccabæum instituti putat per annos Mundi,& quia eodem anno Christum natum statuit quo Scaliger, concludit Christum conceptum sub initium mensis Ianuarii Anni Mundi 3947. adeóque natum sub finem mensis Septembris ejusdem anni,cujus die XXIV. eo anno festum Scenopegias fuerat celebratum. Anni verò per.Iul.4711. & Mundi 3947. respondent sibi secundùm calculum *Scaligeri* & *Calvisii*. Firmat id ipsum Calvisius ex consuetudine Ecclesiæ Alexandrinæ, illam nativitatem Iohannis celebrasse circa XXIII. Aprilis, die XXVIII. mensis Pharmuthi, ergo Christum sex mensibus minorem Iohanne natum circa finem Septembris. Et hæc quidem sunt fundamenta sententię posterioris, quæ natalem Christi conjicit in Septembrem.

VIII. Sed quanvis speciosa videantur argumenta in confirmationem hujus opinionis à Viris Clarissimis producta, parum tamen solida deprehenduntur, si propius vestigentur. Obj. 1. *Ejusmodi tempore Christum natum quo census agi commodè potuit, quale non tempus hybernum.* *Resp.* 1. Tempus census non aliunde quàm à voluntate imperantis suspensum fuisse, pro cujus arbitrio nomina erant proferenda Iudæis,sive commodo,sive incommodo tempore. Imò quod commodo tempore Romæ imperatum, vix in Iudæâ executioni mandari nisi aliquot post mensibus potuit. Et obnoxietas ad cruda imperia non minima erat pars servitutis Iudaicæ. Nec adeò Romanis in pretio erant Iudæi, ut illorum attenderentur commoda vel incommoda. 2. Adde regionem, quam incolebant Iudæi, temperatam fuisse, adeoque minus incommodam itineri faciendo sub tempus hybernum, cum menses November & December in tractibus multis, Europæis etiam, satis amœni sint & temperati. 3. Adde, Iudæam totam exiguis finibus fuisse circumscriptam,non itaque longinquo itinere opus fuisse. 4. *Keplerus* quoque nō præter rem observat, illam anni tempestatem, liberam ab operibus rusticis,commodissimam genti integræ ad censum fuisse, quanvis in hoc parum situm sit, & supponatur

falsa

falsa hypothesis, nonnisi commodo tempore censum actum in Iudæâ.

IX. Objicitur II. *Illâ tempestate Christum natum, quâ licebat pastoribus ἀγραυλεῖν, & διανυκτερεύειν ἐν ὑπαίθρῳ. Tale verò non esse tempus brumale.* *Resp.* I. Non magis inde evincitur Christum natum mense Septembri, quàm quovis alio verno, æstivo, autumnali. 2. Tractus Iudææ Europæis calidior est, & magis temperatus, & major plerunque serenitas Decembri mense quàm Ianuario vel Februario sequente. Vnde non sine causâ Eruditissimus *Casaubonus* argumentum illud parum firmum esse notat. *Exerc.* II. ad Annal. Eccles. Ann. I. Num. XIV. si attendatur temperies Iudææ, & regionum magis meridionalium, & observat in Anglia, ubi nullus est à lupis & aliis animalibus noxiis metus, armenta toto anno in agris pernoctare, nec propter frigus, aut pluviam, aut vẽtos ulli tecto unquam subire. Potuêre ergo pastores in Iudæâ Decembri mense ἀγραυλεῖν, h. e. non διανυκτερεύειν tantùm, vel ἀγρυπνοῦν, quod specificum, sed αὐλίζεσθαι ἐν ἀγροῖς, interdiu æquè ac noctu in agro degere. Vox enim generica est, & æquè ad diurnam ac nocturnam moram potest referri, ut benè observatum à *Casaubono*. Vnde & Syrus Interpres vtitur verbo communi שרא, quod utrunque designat, & significat in genere habitare, commorari in *Kal* & *Ithpahel.* Sic eandem significationem habet apud Chaldæos in *Kal*, & transitivam in *Aphel*, & frequentissimè reperitur in Targumim, ut & nomina concreta & abstracta inde derivata. Respondet verò verbis Hebræorum שכן & חנה. *Rabbini* τῷ שרה eodem sensu utuntur. *Suidæ* ἄγραυλοι sunt *οἱ ἐν τῷ ἀγρῷ διανυκτερεύοντες, ἢ αὐλιζόμενοι.* Arabs phrasi genericâ reddit *pascentes in agro.* Sic αὐλὴ in *Etymologico* magno ὕπαιθρος τόπος, & διαπνεόμενος τόπος παρὰ τὸ ἄω τὸ πνέω. Ἀγραυλεῖν *Budæo* idem quod θυραυλεῖν rusticari, ruri degere. Vndè τὸ vigilare Vulgatæ versionis & *Erasmi* angustius, aliud ἀγραυλεῖν, aliud γρηγορεῖν, strictius etiam τὸ *excubare* Doctissimi Interpretis, ut à Viris eruditis bene observatum.

X. Argumentum *Beroaldi* primum à concursu plurium festorum in mensem Septembrem, adeoque & complementi illorum, minus quàm topicum est & *coniecturale* tantùm. Mensis Tisri sane, qui respondet maximâ sui parte nostro Septembri,

septimus à Nisan nobilis erat festis compluribus. Primus eius dies sacer erat ut ראש השנה *principium anni* politici nimirum, prout initium anni Ecclesiastici vel sacri erat in primo Nisan circa æquinoctium vernum. Die x. ejusdem mensis Tisri erat festum solenne יום הכפורים Die xv. celebrabatur חג הסכות festum tabernaculorum, & alia id genus. At non necessariò sequitur, illo mense Christum natum, nec ob id minus complementum suum habent festa illa in Christo. Si constaret de συνδρομῇ nativitatis Christi cum mense Septembri, argumentum *Beroaldi* locum haberet, ut commodum rei probatæ illustrandæ, non probandæ rei dubiæ. *Secundum Beroaldi* argumentum, eodem anni tempore Mundum & natum per creationem, & renatum in Christo, æquè infirmum est. Non opponam, *Athanasio, Augustino, Cyrillo Hierosolymitano, Ambrosio, Theodoreto, Bedæ,* & primipilis inter Scholasticos diversam sententiam placuisse, mundum verno tempore creatum, eò quod tempus illud nobilius videatur, & amænius, & magis temperatum, quo mundus quotannis videtur renasci, & germinatio rerum ac reproductio orbe anni exacto redire. Probanda enim potius videtur Ill. *Scaligeri* & aliorum sententia, Mundum tempore autumnali conditum. Tametsi enim Astronomi pagani solarem motum à principio Arietis auspicati fuerint, longè probabilius, anni initium apud Hebræos ab initio Mundi ductum. At primus mensis in Diluvio incipit ab autumno, & id *Scaliger* probat ex Tekupha vel revolutione anni, & Lectionario Hebræorum, quod in mense Tisri incipit. Vnde concludit, mundi primordia fuisse in æquinoctio autumnali, & docet priscorum Ægyptiorum sententiam huc redire, qui mundi initium statuerunt in ultimis partibus Libræ. Et sanè festum tabernaculorum celebrari solebat iussu divino בצאת שנה *in exitu anni* & בתקופת שנה *in revolutione anni*, anno vertente, quanvis aliud anni sacri initium à Deo fuerit constitutum, sed Mosis demum ætate. Demus ergo *Beroaldo*, Mundum creatum tempore autumnali, collectio tamen infirma, ob id Christum eodem tempore natum, nec Mundus in Christo renasci desiit, quanvis in aliud tempus natalis Christi rejiciatur. *Tertium Beroaldi* argumentum στοχαστικὸν etiam potius quàm ἀποδεικτικὸν, & peccat παρὰ τὸ ἑπόμενον, sufficit Ecclesias &
vete-

veteres & Ægyptiacas credidisse, quod admisimus, Mundum tempore autumnali creatum ad figendum ibi sui anni initium. Illatio ab Indictionibus infirma est. Quivis annus etiam, & quodvis tempus sub Messiâ, est annus acceptus Domini, & dies salutis.

XI. Restat ἀπόδειξις *Scaligeriana* ducta ab ἐφημερίᾳ Abiæ, quæ sanè ingeniosissima est, & digna acumine Summi Viri. Intercedunt tamen complura, quæ jubent nos assensum sustinere. 1. Supponitur à *Scaligero*, Christum natum periodi Iulianæ anno 4711. à *Calvisio* anno Mundi 3947. quod à multis strenuè oppugnatur, ut in superioribus ostensum. 2. Supponitur, Christum accessisse ad baptismum Anno LVIII. Actiaco, ætatis XXXI. 3. Supponitur, ἐφημερίαν Iojarib primam à restituto Dei cultu sacris operatam: at, quid si illa legali pollutione contaminata? quid si denuò sorte in Dei voluntatem inquisitum à Iuda? quid, si aliqua ex XXIV. familiis interciderat, vel non præstò erat? quid, si illi familiæ ἐνδελεχισμὸς & ceremoniæ sacræ commissæ, quæ tempore interrupti cultus sacri munere suo defungebatur? quid si illi, quam ordo tetigisset, supputato triennii tempore ab interruptione, si nulla fuisset? Hæc omnia quia accidere poterant, nec definiatur in Scripturâ quid acciderit, præstat ἐπέχειν, quàm incerto fundamento ἀπόδειξιν certam superstruere. 4. Supponitur etiam, familiam Abiæ octavam semper mansisse. At ut ante tempora Iudæ Maccabæi ordinem illum non obtinuit, sed modò duodecimo, modò undecimo gradu numerari videtur *Neh.* XII. 1. & 17. quid obstat, quo minus alium fortè ordinem etiam obtinuerit? At non procedit demonstratio, nisi octavum gradum constanter sortita fuerit Abiæ ἐφημερία. 5. Adde, & *Kepplerum* & *Petavium* ex eâdem serie ephemeriarum concludere, Christum natum XXV. Decembris. Demonstrationes apud Authores videri possunt. 6. Adde, tempus Iohannis concepti esse incertum, & supponi à *Scaligero*, cùm Zachariæ λειτουργία finita fuerit demum XXVIII. Iulij, illo ipso mense adhuc conceptum fuisse Iohannem. Verba verò Lucæ laxiora sunt, nec quicquam tale præcisè designant, phrasis enim (μετὰ δὲ ταύτας τὰς ἡμέρας) vera esse non desinit, etsi cum aliqua latitudine sumatur. 7. Adde, tametsi referamus conceptionem Iohannis ad finem

mensis Iulij, tamen non ob id sequi, Christum conceptum sub finem mensis Decembris, sed potius sub finem mensis Ianuarij, adeóque natum exeunte Octobri, non Septembri, quod vult Vir summus. Hæc & alia id genus non sine causa animum Lectoris suspendere possunt, & demonstrationis illius vim labefactare.

XII. Multa cæteroquin & egregia habet Vir illustris de ἐφημερίαις ex sacris litteris, Iosepho, & Hebræorum libris super hoc argumento, quibus verbis Lucæ ingens lux accedit. Hinc liquet, cur Lucas vocârit Zachariam sacerdotem ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά, & cur dicat illum Sacerdotio functum esse ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ. Origo enim hujus ordinis à Davide, I. *Paral.* XXI. instauratio ab Esdra & Nehemiâ: restitutio à Iudâ Maccabæo I. *Maccab.* IV. tempus λειτουργίας non, ut vult *Beroaldus*, cap. II. duæ hebdomades, sed una à sabbato ad sabbatum, quod ex Iosepho & Liturgiis Iudaicis docet Scaliger, μίαν πατριὰν διακονεῖσθαι τῷ Θεῷ ἐπὶ ἡμέρας ὀκτὼ ἀπὸ σαββάτου ἐπὶ σάββατον. Tributo itaque cuique ex viginti quatuor familiis septiduo cōfiunt CLXVIII. dies, quibus vices in orbem redibant, & hanc circulationem vocat *Scaliger* orbem hieraticum. Ἐφημερία cæteroquin apud Scriptores profanos non reperitur, sed sacris tantùm in vsu est. LXX. Interpretes sic reddunt voces varias Hebraicas, v.g. מחלקת. I. *Paral.* XXIII. 6. XXVIII. 13. 21. & II. *Paral.* V. 10. cui apud LXX. respondet διαίρεσις. Sic מלאכה vox generica ita redditur quandóque ut II. *Paral.* XIII. 11. & משמרת sæpius I. *Paral.* XXV. 8. *Nehem.* XII. 9. & alibi. Aliâs פקודה & מעמד ἐπισκοπή, στάσις, λειτουργία. Ἐφήμερος & ἐφημέριος Græcis propriè *diurnus*, hinc ἐφήμερα animalia apud *Eustathium*, consequenter πρόσκαιρος caducus, ἐφήμερα σώματα & χρήματα Thucydidi, ἐφημέριοι homines, id est, βροτοὶ καθημερινὰ εἰδότες. Prius habet *Iosephus*, ut & vocem ἐφημερίς. *Etymologicum magnum* ἐφημερία ἡ πατρία meliùs πατριά משפחה vel φατρία φρατρία. Φατρία μέρος τῆς φυλῆς, φράτορες οἱ τῆς αὐτῆς φατρίας μετέχοντες. Ἐφημερία etiam alioquin ἡ τῆς ἡμέρας λειτουργία *Suidæ* διὰ τὸ ἀμετάβλητον πρὸς τὴν τῆς ἑκάστης ἡμέρας κατάστασιν. Ἐφημερία ergo duo notat, & familiam, & familiæ φυλακήν, λειτουργίαν functionem certo & exiguo tempore circumscriptam, illud primò, istud secundariò & ex consequenti. Τάξιν verò hebdomadi-

madicam ἐφημερίας cuiúſque, de qua Lucas, religiosè ſervatam contendit Scaliger, adeò quidem ut nulla familia alienas partes invaderet, ut anno excidii templi ſolenne jejunium interpellatum fuerit penuriâ familiæ, quam tunc ordo ad miniſterium illius vocabat. Adeò pertinaciter iſti ordini hæsêre Iudæi, cùm tamen ſubſtituenda fuiſſet familia alia, quæ proximè erat functa miniſterio, vel quæ illam excipiebat, quàm ut ſacrum ſolenne omitteretur. Sed obſtabat Canon vetus כל כהן וכל לוי שנכנס בעבודת חבירו חיב מיתח *Omnis ſacerdos & omnis Levita, qui ſe immiſcuerit in functionem alterius,* ἔνοχος θανάτου. Et quia familiæ illæ XXIV. ut φρατρίαι apud Græcos habebant ſuos φατριάρχοις, τοὺς τῆς φατρίας ἄρχοντας, ſic & ſuus cuique ephemeriæ erat πατριάρχης. Vocantur illi ab Evangeliſtis ἀρχιερεῖς ראשי אבות οἱ τὴν ἱερωσύνην μετὰ τὴν πρώτην τάξιν εἰληχότες, ut habet *Philo.*

XIII. Idem *Scaliger* egregiè docet ex ritualibus Iudæorum, cur dicat Lucas v. 9. κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι, populares nimirum unius ephemeriæ functiones ſuas fuiſſe partitos, alium ſortitum fuiſſe incenſum, alium concinnationem lampadum & lychnorum, alium lignorum conſtructionem ſuper altari. Incenſi ergo cura obtigit Zachariæ: Sic in libro מעמדות liturgiarum. אמר להם הממונה בואו והפיסו מי שוחט מי זורק מי מדשן את המזבח הפנימי: h. e. *Dicit illis præfectus, ingredimini, & ſortiebantur quis immolaret, quis ſpargeret, quis cinere levaret altare interius.* Non igitur ſors illa reſpiciebat familiam quę deberet ſuccedere alii, de eo enim iam conſtitutum erat, ſed ſacerdotes cujuſque familiæ, quæ cujuſque partes eſſe deberent durante ἐφημερίᾳ familię, ne quid confusè vel negligenter ageretur. Zacharias ergo ſorte obligabatur לקטורת *ad ſuffitum.* Et hoc ſorte peragi potius volebat Deus quàm ex electione, tum ne in delectu officiorum rixæ orirentur, & faciliora quivis occuparet, tum ut doceret, illam cuique vocationem obeundam, quam Deus (cujus vox ſors eſt) ei demandârit. Hinc ſortitò familiæ collocatæ, ſortitò ſua cuique provincia aſſignata, huic, ut incenſum adoleret, alii, ut holocauſtum offerret, alij ut pacifica. Sic, inter illos conveniebat, quis nunc, quis veſperi, quis hac horâ, quis aliâ hoc vel illo

officio defungeretur. Sic ſortitò delectus Matthias, quia immediata illius æquè ac reliquorum Apoſtolorum debebat eſſe vocatio. Vnde ſortis ſive *conſultoriæ* ſive *diſtributivæ* in ſacris literis vſus ſacer, qui temerari non debet, nec ad luſus profanos applicari. Syrus Interpres laxiùs reddit phraſin ellipticam ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι, מטיהי דיסים *evenit ei ut poneret* &c. at electione, vel commiſſione, vel imperio etiam alicui evenire poteſt, ut hoc vel illud illi incumbat. Sic ſanè per τὸ λαγχάνειν LXX. quandóque vertunt verbũ לכר κρατεῖν λαμβάνειν, ſed peculiaris hîc illius ſignificatio, & ſumitur pro termino τοῦ κληροῦσθαι. Notum verò, ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι ellipticum eſſe, & ſubaudiendam vel λειτουργίαν vel μέρος, vel ἔργον vel διακονίαν vel κλῆρον, vel tale quid aliud.

XIV. *Baronius* verò etiam §. CXXII. in diem hebdomadis, imò & horam diei, quâ Chriſtus natus, ſibi inquirendum ducit, ſed authoritates, quas adfert, ſibi invicem adverſantur, & conjecturas habent exigui ponderis. Optimè & candidè *Scaliger*, Dei eſſe, non hominis, deſignare diem natalitium. Conjectura, eâdem die & horâ quâ primus homo creatus, ſecundum etiam natum, jejuna eſt, nec ejus vel fundamentum datur, vel vſus. *Heſychii* determinatio, Chriſtum natum die ſexto, horâ tertiâ diei, precaria eſt, & æquè firma ac *Anaſtaſiorum* Sinaitæ & Niceni calculi, quorum ille Chriſtum ad veſperam ſextæ diei, iſte horâ dieï ſeptimâ natum aſſerit. Primâ hebdomadis, quæ Dominica, Chriſtum natum tradant licet Hippolytus Epiſcopus Thebanus, Auguſtinus & Synodus ſexta Græcorum, id tamen non probant. Vnde nec ipſe Baronius §.CXXIV. ubi per ἀνακεφαλαίωσιν ſententiam ſuam ſuper tempore natalitio exponit, quicquam de die vel horâ definit. Certum ex Lucâ, *Chriſtum* noctu natum, paſtoribus agentibus vigilias noctis, & convenientiſſimè quidem, craſſæ enim Iudæorum erant tenebræ quando natus, qui & ideò natus ut illas velut novum & cœlitùs ortum ſidus toto orbe fugaret, nec ſine causâ natus tenebras delegit, qui obſcura & ignobilia cunabula, obſcuram patriam ſibi deligendam cenſuit.

XV. Ἐπίκρισιν noſtram ſuper menſe & die natalitio quod attinet, cùm *Beroaldi*, *Scaligeri*, *Calviſii* & ὁμοψήφων ſententia

tentia non nova tantùm ſit, ſed nullo ſolido tibicine fulta, ut oſtenſum, & vetuſta nullo niſi praxeωs & conſuetudinis priſcæ fundamento nitatur, aſſenſum hîc ſuſtinendum cenſemus, & id ignorandum, quod Scriptura nos ignorare jubet, cui proclive fuiſſet menſem & diem nati Chriſti ediſſerere, ſiquidem id ſummo rerum arbitro viſum fuiſſet neceſſarium ad conſolationis Chriſtianæ ſummam. Sed cùm hac de re altum apud Evangeliſtas ſit ſilentium, nec Apoſtolicæ Eccleſiæ vel ſanctionem, vel praxin legamus, cauſæ nihil eſt, cur temerè definiamus, quod ſolidè definiri non poteſt. Quanvis ergo canitiem antiquitatis venerandam exiſtimemus, tamen, quandoquidem nec prima antiquitas hîc nobis præit, nec ſequentia ſecula aliis præterquam infirmis fundamentis, ut demonſtratum, nituntur, ſolennitatis quidem natalitiæ celebrationem anniverſariam piiſſimam judicamus & utiliſſimam, præciſam verò & anxiam xxv. Decembris obſervationem ei rei deſtinari conſuetudine potius & diuturnâ Eccleſiæ praxi, quàm ratione, vel neceſſitate. Intereà, ut priſcorum terminos temerè non refigimus, ſic nec illorum libertatem flagellandam arbitramur, qui non præciſè illum ipſum diem feriatum agunt, aliquem tamen recolendæ ſanctæ Domini nativitati circa illa tempora deſtinare ſolent. Nec probare paſſum Doctiſſimi cujuſdam *Exercitatoris* calorem, qui non novandi tantùm pruritum in Viris eruditis aliis ſuper hoc argumento perſtringit, ſed & ea illis affingit, quæ ex ipſorum placitis minimè ſequuntur. Abſit à Viris bonis *θεὶξ ὕγειχος & nigræ loliginis ſuccus.*

DVBIVM XVI.

An Herodes, vulgò *Magnus*, vel *Aſcalonita* dictus, Iudæus fuerit, an alienigena?

EXAMEN.

Cauſa Dubij propoſiti. Duæ *opiniones oppoſitæ.* Prima, *Herodem fuiſſe alienigenam.* P.Galatini

& Iudæorum commenta. Patrum *opinio bipartita. Origo opinionis illius.* Authoritates *aliæ.* Rationes. *Acta Herodis parum Iudaica.* Secunda *opinio, & illa bipartita, una* Tornielli, *altera* Scaligeri & Casauboni. Prior, *Herodem fuisse planè Iudæum.* Nicolai Damasceni *relatio. Reiecta à Iosepho. Rationes* Tornielli. *Augusti de Herode dicterium. Acta Herodis Iudaica. Difficultas ex locis* Gen.xxv.23. xxvii. 40. Πρόληψις Tornielli. Herodianorum *dogma. Applicatio Oraculi* Gen.xlix.9. *ad Herodem. Qui filij, qui patres Hebræis.* Posterior Scaligeri & Casauboni *opinio.* Scaligeri *rationes. Idumæi pro Iudæis habiti, & à quo tempore. Hyrcani pactum cum Idumæis.* Eusebius & Epiphanius *à* Scaligero *perstricti.* Casauboni *rationes. Nomenclationis Iudæorum latitudo. Duplices Iudæi. Idumæi* גרים προσήλυτοι. *Specialis lex de Idumæis* Deut. xxiii.7. *Summi Viri* παρόραμα. *Vis nominis Iudaici apud* Iosephum. *Quî Herodes* ἀλλόφυλος? *Locus* Gal.ii.12. *illustratus. Regnum Herodis ut vocatum à* Rabbinis? *Iosephi de Herode & ejus genere sententia.* Ἐπίκρισις *Authoris. Falsæ opiniones extremæ, vera media, Herodem fuisse & Idumæum & Iudæum. Examen authoritatum pro* primâ *opinione. Fabulæ Iudaicæ. Causa abolitorum hominum & librorum stirpis regiæ ab Herode.*

rode. Authoritates Patrum cur leves hoc loco. Africani *vacillatio.* Salmeronis, Baronii, & Serarii *error. Examen rationum* primæ *opinionis. Examen fundamentorum* secundæ *opinionis, & rationum* Tornielli. *Applicatio Oraculorum* Gen.xxv.23. xxvii.40. Herodianorum *Theologia aulica.* Iosephi *adulatio. Vindiciæ loci* Gen. xlix. 9. Παρερμηνεία *vulgati Interpretis.* Ἔνστασις *de Davide discussa. Saulis & Herodis typi reiecti. Conclusio de Herodis genere. Nomen* Ascalonitæ *unde Herodi. Origo nomenclationis* proselytorum. *Illustratio locorum* Gal. ii. 15. & Phil. ii. 5.

I. HANC Quæstionem non instituimus natalibus Herodis, hominis nefarii, illustrandis, sed probandæ assertioni, cujus in superioribus à nobis facta mentio, de harmonia characterum sacrorum Veteris & Novi Testamenti occasum sceptri Iudaici & αὐτονομίας populi Dei sub Natalem Messiæ designantium. Examen verò difficultatis hujus necessariò præmittendum, antequam assertioni illi sua constet veritas, idque eò magis quòd Viris quibusdam magnis diversa hîc stet sententia, qui Herodem genti Iudaicæ multis & speciosis rationibus inserere satagunt.

II. *Duæ* itaque sunt opiniones, eæque oppositæ super hoc argumento. i. Quidam contendunt, Herodem prorsus fuisse alienigenam. ii. Alii existimant, eum fuisse Iudæum. Fundamentis pręcipuis utriusque opinionis propositis, tum ἐπίκρισιν nostram subjiciemus, tum examen rationum oppositarum instituemus.

III. Herodem alienigenam prorsus & Ethnicum fuisse quoad originem & natales, probari videtur partim *authoritatibus,*

partim *rationibus*. Authoritates magno numero congeri possunt, sed & hîc in diversa itur: *Quidam* enim arbitrantur Herodē fuisse *Ascalonitam*, majores etiam ejus Ascalonitas: *Alij*, illum fuisse *Idumæum*, non tantùm quod Antipatro patre in Idumæa captivo natus fuerit, sed & quod revera Idumæos maiores habuerit. *Petrus Galatinus*, libro IV. de arcanis Catholicæ veritatis cap. VI. docet, Iudæorum regnum & judiciariam potestatem defecisse Herode Ascalonitâ regnante, eúmque non modò alienigenam fuisse, sed & servum Machabæorum, & hunc primum alienigenam post Hyrcanum in Iudæâ regnasse. Addit *Galatinus* ibidem ex scriptis Talmudicis, cùm Herodes Agrippa Herodis magni nepos incidisset in versum illum *Deut.* XVII. *De medio fratrum tuorum pones super te Regem, nec poteris dare super te extraneum, qui non sit frater tuus*, illum flevisse; omnem autem Israelem dixisse ei, *Ne timeas Agrippa, frater enim noster es tu.* Addit, Romanos inter cætera ei scripsisse, *si generis tui librum relegeris, non invenies te nobilem, nec filium nobilis, sed Herodis Ascalonitæ possessi in servum.* Fuisse verò natum Herodem subjicit *Galatinus* patre Antipatro Ascalonitâ, & matre Cypride Arabissâ: paterno ergo genere Idumæum, materno Arabem fuisse. Illum etiam, ne natalium vitium ei objici posset, & omnes interemisse quotquot de regia stirpe prodierant, & omnes libros, qui de Regum genealogia conscripti erant, exussisse, ne ipse aut filij ejus alieni à regno censerentur. Sic communis plerorumque Patrum opinio, Herodem fuisse alienigenam, sive Ascalonitam, sive Idumæum. In hac sententia est *Origenes, Epiphanius, Rufinus, Cyrillus Alexandrinus, Augustinus, Theodoretus*, & complures alii. Sic *Eusebio* lib. VIII. Demonstr. Evang. dicitur ἀλλόφυλος, & οὐ προσήκων Ἰουδαίοις τὸ γένος. Origo opinionis illius transcribenda videtur tum *Iulio Africano*, tum *Iosepho*, quos Duces sequuti Patres plerique. Et sanè *Iosephus* lib. XIV. Antiqu. cap. II. Antipatrum Herodis patrem disertè Idumæum vocat, ut & lib. I. περὶ ἁλώσ. cap. V. Sic *Eusebius* Hist. Eccl. lib. I. cap. VI. de Herode loquens eum fuisse ἀλλόφυλον, & Ἰδουμαῖον τὸ γένος, κατὰ πατέρα, Ἀράβιον δὲ κατὰ μητέρα, ex Iosepho docet. *Iulium Africanum* ibidem adducit Eusebius asserentem disertè Epistola ad Aristidem, Herodis patrem filium fuisse Herodis cuiusdam Ascalonitæ, qui ex ἱεροδού-

λοις

λοις fani Apollinis fuerit, illum etiam Antipatrum ab Idumæis latronibus captum, diu in captivitate detentum fuisse, quòd Herodi patri in egestate versanti non suppeteret, unde filium redimeret. *Eusebius* etiam ad annum M.DCCCCLXXXIII. docet, Herodem ex vtroq; parente alienigenam fuisse, & Ethnicū, natum quippe patre Antipatro Ascalonitâ, & matre Cypride, melius Cypro, Arabissâ. Sic *Photius* in tmemate CCXXXVIII. expressè scribit, Herodem Romam concedentem nunquam sperasse sibi regnum Iudaicum deferendum, ἀλλοφύλῳ ὄντι. Sed cogitasse id uxoris suæ fratri, Hyrcani ex filia nepoti conciliare. In hac sententiâ etiam sunt *Nicephorus*, *Beda*, & ex recentioribus *Salmero* Tract. XXXVIII. Tom. III. *Baronius* §.v. Appar. ad Annal. qui Herodem vocat & Idumæum, & hominem gentilem. *Genebrardus* lib. II. Chron. ad annum Mundi 4091. *Montacutius* Exercit. x. Sect. I. *Serarius* etiam prolixè contendit, illum fuisse ἀλλόφυλον & Ascalonitam, pòst proselytum & circuncisum cum patre, Opusc. de Herode cap. xv. *Petavius* contrà Herodem statuit Idumæum origine, θρησκείᾳ & religione Iudæum lib. XI. de Doctr. temp. cap. v.

IV. *Rationes* potissimæ, quibus adstrui videtur Herodem fuisse ἀλλόφυλον, hæ observari possunt. 1. Herodem ab Antigono concionem coram populo habente, urbe ab Herode & Sosio obsessâ, vocari Ἰδουμαῖον τοῦτ' ἐστὶν ἡμιιουδαῖον, quod non videtur dicturus, nisi de eo constitisset in vulgus. *Ios.* lib. XIV. cap. XXIV. 2. Herodem gentilibus magis favisse quàm Iudæis. 3. Herodem innumeris actionibus institutis Iudæorum contrariis ostendisse se alienigenam, non Iudæum, quippe quos moris patrij tenacissimos fuisse constat. Sic *Iosephus* commemorat, illum Hierosolymis theatrum exstruxisse & amphitheatrum, instituisse quinquennalia certamina gymnica, & ludos alios Paganos, à quibus Iudæi erant alienissimi. Sic Samariam Sebasten dictam Augusti honori dicasse legitur, & Cæsaream dedicasse quinquennalibus ludis & celebratis & institutis. Idem Davidis sepulchrum reclusit, Aquilam auream supra majorem templi portam suspendit, quod tantæ abominationi erat Iudæis, ut juvenes quidam Legis zelotæ eam mediâ die avulsam & securibus conscissam certo vitæ periculo dejectum iverint. 4. Idem in Iudæorum gentem capitali odio exarsit, quod

non videtur cadere in hominem genere Iudæum, imò Herodem ultra funus etiam suum sævire voluisse in Iudæos, documento sunt crudelissima mandata Salomæ sorori & Alexæ data. Hæc satis superque probare videntur, Herodem non Iudæum, sed alienigenam fuisse, nunquam alioquin talia ausurum.

V. Fuêre tamen alii, qui in alia omnia hîc ivêre, arbitrati Herodem non ἀλλόφυλον fuisse, vel alienigenam, sed Iudæum. In hac sententiâ fuêre summi Viri *Ios. Scaliger*, & *Is. Casaubonus*, quibus accedit inter Pontificios Chronologus egregius Italus *Augustinus Torniellus* Novariensis, qui id ipsum multis tuetur in Annalibus sacris, ad Annum Mundi 4028. Sed & hæc sententia *bipartita* est: *Quidam* enim contendunt, Herodem fuisse planè Iudæum prognatum ex posteritate Iacobi. *Alij* existimant, illum fuisse quidem gente Idumæum, adscitum tamen & adscriptum Iudæis, eo ipso quà Idumæum. *Prioris* opinionis Author est *Nicolaus Damascenus*, qui scribit, ut videre est apud *Iosephum* lib. XIV. Antiqu. cap. II. Herodem duxisse genus suum à primatibus Iudæorum, qui de captivitate Babylonicâ redierant in Iudæam. Rejicit id Iosephus, & addit, in gratiam Herodis Regis hæc à Damasceno dicta. In Damasceni tamen sententiam pedibus it *Augustinus Torniellus*. Rationes illius potissimæ sunt. 1. Si Herodes fuisset natione Idumæus, illum pro ferocitate & audaciâ suâ dubio procul Iudæos ad ritus suæ gentis pertracturum fuisse, quum & vi cepisset Hierosolymam, & regnum suum non Iudæis, sed Romanis deberet, quale quid ab Hyrcano Iudęorum Duce factum, qui Idumęos adegerat ad ritus Mosaicos. Herodem ergo vindictæ cupidum dubio procul par pari relaturum fuisse, vel saltem gentem suam in pristinæ Religionis libertatem vindicaturum, quorum neutrum ab illo factum. 2. Herodem Iudaico more semper vixisse, probari dicto Augusti, quod refert *Macrobius* Saturnalium libro II. capite IV. *Melius esse; porcum Herodis esse quàm filium*, eo enim insinuari, Herodem Mosaicæ legis observantem fuisse, & à porcis ac animalibus aliis Lege prohibitis abstinuisse. 3. Adde acta Herodis zelum legis testantia, v. g. postquam Hierosolymam vi occupaverat & armis, eum conatum esse totis viribus arcere gentiles & milites Romanos ab ingressu templi interioris,

ris, eosque precibus, minis, armis etiam repressisse, & acerbiorem clade victoriam judicasse, si quid eorum, quę videre fas nō esset, ab hominibus & incircuncisis & profanis videretur. *Ios.*lib.XIV. Antiq.cap.XXXVIII.& lib.I.περὶ ἁλώσ.cap.XIII. 4. Sic *Iosephus* testatur Antiqu.lib.XV.cap.XIV. Herodem nullo rogante proprio motu de Templo Hierosolymitano exstruendo cogitasse, & id Iudæis non obtulisse solùm, sed & executioni mandasse, ubi Iudæos etiam in concionem coactos vocat ἄνδρας ὁμοφύλους. 5. Idem Herodes Iudæis Ioniæ urbes incolentibus, & de indigenarum injuriis conquerentibus gratiam apud Agrippam conciliavit, iisque Nicolaum quendam ex amicis suis adjunxit, qui causam illorum coram Agrippa ageret, & impetraret, ut patrio more sine obstaculo illis vivere liceret. 6. Parum credibile etiam videtur *Torniello*, Iudęorum Reges credituros fuisse Idumęam viro tam potenti, qualis erat Antipater, siquidem ipse Idumæus fuisset, non Iudæus, quippe cui proclive fuisset Idumæos, Iudęorum imperium perosos, suæ libertati restituere. 7. Parum quoque probabile, Hyrcanum summum Pontificem ausurum fuisse elocare neptim suam in matrimonium Herodi nondum Regi, si ille fuisset ἀλλόφυλος, veriturum enim indignationem Iudęorum, qui jam infensi erant Herodi, cumprimis Pharisęorum supercilium, ipsis sæpe Regibus & Pontificibus grave, ne populum ad seditionem concitarent, quod Regium & sacerdotale semen cum viro alienigenâ permisceri pateretur. Et tamen à nullo quicquam super eâ re motum legitur. 8. Addit *Torniellus* rationem in speciem gravem; Si Herodes, qui per tot annos imperavit Iudęis, fuisset ex posteris Esavi, sequeretur elusam fuisse promissionem Rebeccæ olim datam *Gen.*XXV. minor enim serviisset majori, non major minori: Isaacum etiam *Gen.*XXVII. eadem repetentem falsum fuisse, *Esto dominus fratrum tuorum. Dominum tuum constitui illum*, scilicet Iacobum, & v.40.ad Esavum, *fratri tuo servies.* Quæ omnia posteros illorum potius respiciebant, ut notum, quàm personas duorum fratrum. Excipit etiam *Torniellus* per πρόληψιν, hic respondere non posse, prædictum quoque fuisse, Idumæos jugum aliquando excussuros, aliud enim esse jugum excutere, quod fecêre Idumęi temporibus Iorami Regis Iuda, quādo ab eodem deficientes constituêrunt sibi proprium

Regem II.*Reg*.VIII.20. aliud esse Idumæos, aut Idumæorum aliquem dominaturum Israeli, & quidem tanto temporis intervallo. 9. Multi etiam ex Iudæis Herodem putabant esse Christum, qui Herodiani dicebantur, secundùm *Epiphanium* & *Tertullianum*, quorũ mentio *Matth*.XXII.16. *Marc*.III.6.XII.13. At nisi hypothesis illa extra controversiam constituta fuisset, Herodem esse Iudæum, facilè illi revinci potuissent à Scribis & Pharisæis, Messiam debuisse esse filiũ Davidis, adeoque Herodem talem esse non posse ut *ἀλλόφυλον*. Tales enim eorum responsiones leguntur. *Matth*.XXII.42. *Marc*.XII.35. 10. Sic, rixâ & lite oborta inter Iudæos & Syros Cæsaréæ de jure civitatis, cùm Iudæi potiori conditione esse vellent quàm Syri, eò quod Vrbis conditor Herodes esset Iudæus genere, id nec Syri negant, nec tamen (quibus ob vicinitatem res ignota esse non poterat) nisi vi veritatis victi id concessuri fuisse videntur. 11. Applicat *Torniellus* huc etiam vaticinium Iacobæum, *Gen*. XLIX.9. *Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti*, & contendit spiritualiter quidem id de Christo intelligendum esse, ad literam tamen Herodi convenientius quàm Davidi tribui, cùm David non vi invaserit Regnum, sed ultrò sibi delatum susceperit: Herodi verò regnum revera prædæ instar fuerit. Addit *Torniellus*, Non absurdum esse, Herodem vocari filium à Iacobo, cùm & Epulo in inferno ab Abrahamo filius vocetur, & secundùm Hebræorum consuetudinem minores omnes vocentur filij à majoribus, majores patres. Nec durius, inquit, Herodem statui typum Christi, quàm Saulem à Gregorio Magno, Cyrum à Spiritu Sancto *Esa*.XLV.

VI. *Scaligeri* & *Casauboni* opinio diversa hîc ab opinione Tornielli. *Scaliger* enim in Animadvers. ad Eusebium num. M.DCCCCLXXXIII. contendit Herodem fuisse Idumæum, & Idumæis proselytis prognatum, Idumæos verò jamdudum pro Iudæis habitos, ex quo Ioannes Hyrcanus illis permisit acceptâ circuncisione & ritibus Iudaicis Iudæorum numero esse, secundùm *Iosephum* lib. XIV. Antiq. cap. XVII. Idem docet Scaliger ex Ammonio Grammatico & Strabone. Ab illo tempore homines illos non amplius Idumęos sed Iudæos vocatos, & pro veris Iudæis habitos. Neminem vetustissimos προσηλύτους vocare alienigenas. Epiphanium errare, dũ inquit Antipam

Hero-

Herodis Patrem proſelytum factum ſe circuncidiſſe & filium, quum omnes Idumæi jam à nonaginta annis circunciderentur. Ita enim conueniſſe inter victorem Hyrcanum, & victos Idumæos, ut non aliter in patriâ ſuâ incolumibus eis eſſe liceret, quàm ſi circunciderentur. Ab eo tempore ad excidium templi omnes circunciſos fuiſſe, & pro Iudæis veris habitos, quibus nemo controverſiam ſtatus moverit, quippe quos ab omni calumniâ vindicaret circunciſionis obſervatio, & pactum cum Hyrcano initum. Fruſtra ergo Euſebium vocare Herodem alienigenam, qui patre & avo Idumæis, adeóque Iudæis prognatus fuiſſet. Negat etiam Scaliger, Herodem ab Epiphanio rectè vocari προσήλυτον, quum certum ſit ejus avum proſelytum non fuiſſe, ſed circunciſo prognatum. Vt enim libertini filius non rectè vocatur libertinus, ſic nec proſelyti proſelytum vocandum, minus pronepotem aut abnepotem.

VII. *Caſaubonus* etiam Exerc.I. ad Appar.Annal.III. pluribus probat Herodem non fuiſſe alienigenam. 1. Authoritate *Strabonis*, à quo Herodes vocatur ἀνὴρ ἐπιχώριος. 2. Iudæos dictos non tantum qui naſcebantur ab Abrahamo, ſed & qui fiebant Iudæi, Hebræis גרים Helleniſtis προσήλυτοι. Iudæum vel Tartarum baptizatum Chriſtianum dici, Iudæum ergo, qui ex ἀλλοφυλισμοῦ ad Iudæorum religionem migraſſet, & circunciſus eſſet. Sic Æquos & Volſcos, etſi extraneos, Romanos dictos. Si verò illi ipſi Iudæi vocati fuerint, qui accedebant ad Iudæos, magis eorum liberos & nepotes, magis ergo Herodem, qui patrem Antipatrum, avum Antipam, & plures è majoribus ἰουδαϊζομένους habuerit. Iudæum ergo fuiſſe, quà Idumæus erat, ut Nitiobrix, aut Aquitanus, quà talis, Gallus cenſetur, cùm Idumęi ſeculo ferè ante Herodē ritus idololatricos antiquaſſēt, & circunciſionem ac univerſum Dei cultum admiſiſſent. Vnde Strabo Idumæam Iudęæ partem facit. 3. Id locum cumprimis habuiſſe in Idumæis, de quibus peculiare pręceptum *Deut.* XXIII.7. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt*, non quidem quia propago Iſmaelis filii Abrahami, quod Viro ſummo excidit, ſed quia propago Eſavi filii Iſaaci. 4. Ioſephum interdum *ſtrictè* Iudęorum nomine cives tantùm Hieroſolymitanos complecti, & Toparchias, ſive κληρουχίας populi

ſancti, in quarum medio Vrbs ſancta, interdum *latè* per Iudæos deſignare omnes ejuſdem ſive originis tantùm, ſive originis & religionis ſocios, Galilæos, Peraitas, Idumęos, Alexandrinos, Babylonios. 5. Herodem dici poſſe ἀλλόφυλον, ut converſos è gentibus gentes *Gal.* II. 12. quaſi tranſcriptum ex Idumæis. Sic à *Rabbinis* vocari Regnum Herodis מלכות הגרים *regnum proſelytorum.* 6. Ioſephum ſæpe Herodem & ejus gentem in Iudęorum cenſum referre, Antipatrum dici pacaſſe Iudæos κατὰ τὸ ὁμόφυλον, eidem tribui pietatem, & σπουδὴν περὶ τὴν πατρίδα, Idumęos Hieroſolymam appellaſſe patriam ſuam, urbem ſanctam κοινὴν πόλιν ſibi & Iudęis. Herodem vocari τὸ γένος Ἰουδαῖον, illum Iudęos vocare ἄνδρας ὁμοφύλους. Ioſephi de Herode ſententiam eſſe, eum à primâ ſtirpe Idumæum fuiſſe, ſed cujus maiores facti eſſent Iudæi, Ioſephum etiam de patre & avo illius Antipâ ſemper loqui, ut de Iudęis. Reſpondet tandem prolixè *Caſaubonus* ad objectiones ex Iulio Africano & Ioſepho aliiſque productas.

VIII. Ἐπίκρισιν noſtram quod attinet, falſas cenſemus opiniones extremas, veram mediam. Falſum, vel Herodem fuiſſe planè gentilem & ἀλλόφυλον τὸ γένος, quod poſt veteres multos Africanum ſecutos ſatagunt *Baronius* & *Serarius*, aliique complures. Falſum etiam, Herodem fuiſſe γνησίως Iudæum, qualem Hebręorum filii vocant איש יהודי מאבותיו *Virum Iudæum inde à maioribus ſuis*, quod poſt Nicolaum Damaſcenum tuetur *Torniellus.* Vera ſententia media eſt, quę Ioſephi, & poſt Ioſephum *Scaligeri* & *Caſauboni* ſummorum Virorum, Herodem fuiſſe Idumæum à primâ origine, ſed cujus majores erant מתיהדים ἰουδαϊζόμενοι, quod verbum *Eſth.* VIII. 17. reddunt LXX. per ἰουδαΐζειν. Pro hac ſententiâ militant rationes ex *Scaligero* & *Caſaubono* allatæ, quæ ſolidæ.

IX. Opinionis *primæ* extremæ, Herodem fuiſſe prorſus ἀλλόφυλον, fundamenta levia ſunt. 1. Fabulæ Iudaicę ab hominibus otioſis gratis confictæ, & à *Galatino* repetitę ejuſdem, cujus pleraque illorum authoritatis ſunt, hoc eſt, nullius, & nihil niſi γραῶν ὕθλοι. Cauſa exciſorum ab Herode & hominum ſtirpis regiæ, & librorum genealogicorum, non fuit ἀλλοφυλίας conſcientia, ſed conſcientia οἰκίας δημοτικῆς & γένους ἰδιωτικοῦ. Hactenus δυσγένεια hominem angebat, quòd nimirum nec ex regiâ,

nec

nec ex ſacerdotali familiâ ortum haberet, quod ipſum à Mariámne conjuge, magni ſed impotentis animi fœminâ, illi objectum, non *ἀλλοφυλία*. 2. Authoritates *Patrum* quod attinet, illæ ab vnius Africani authoritate ſunt ſuſpenſæ, cuius narratio & *ἀμάρτυρος*, & vacillans, *εἴτ' οὖν οὕτως, εἴτ' ἄλλως ἔχει, σαφεστέραν ἐξήγησιν οὐκ ἂν ἔχοι τις ἄλλος ἐξευρεῖν, ὥς ἔγωγε νομίζω*, quæ ſunt hominis titubantis, & nec ſibi, nec aliis fidem facientis. 3. Patrum errori etiam ex Ioſephi locis quibuſdam malè intellectis fomenta adiecta. 4. Reliqui omnes recentiores, & ſuperiorum aſſertionibus ſine examine abrepti. *Photij* vel errorem, vel malam fidem perſtringit *Caſaubonus* §. III. *Nicephori & Bedæ* aſſertiones precariæ, *Salmeronis, Baronii* & *Serarii*, falſæ. Ex ſupradictis enim liquet dilucidè, ęquè ac radii ſolis quum ſudum eſt ſolent, Herodem nonniſi ab illis gentilem dici poſſe, qui Ioſephum, & res ab Herode geſtas *ἐκ παραδρομῆς* tantùm norunt. Nec verò hominum illorum placita tanti, ut ob ea vadimonium nobis ſit deſerendum.

X. Rationes etiam Sectione IV. propoſitæ, infirmæ ſunt, nec quidquam præter conceſſam à nobis Herodis ex Idumæis originem adſtruunt. 1. Herodem hactenus *ἡμιιουδαῖον*, quà Idumæus erat à maioribus, fatemur, quippe non ortum ex Iacobi, ſed Eſavi familiâ. Imò hinc per *βίαιον* inferimus, illum non fuiſſe gentilem, cum ne ab infenſiſſimo quidem hoſte Antigono in Herodem adeò odiosè declamante coram populo, ut illum omnibus modis exoſum redderet, tale quid illi objectum legatur. 2. Herodem gentilibus magis fauiſſe quàm Iudęis, eſt partim *ἐκ τοῦ ἐν μέρει*, cùm Iudæis alibi ſæpe faverit, partim *inconſequens*, cauſa enim illius non *ἀλλοφυλισμὸς*, ſed partim Iudæorum, à quibus ob *δυσγένειαν* ſupra expoſitam ſępe erat laceſſitus, iniuriæ, partim ſtudium in Romanorum, Antonij maximè, Augusti & Agtippæ gratiam invadendi. 3. Huc referenda inſtituta omnia Herodis, mori Iudæorum patrio contraria, quę non *ἀλλοφυλίαν* Herodis arguunt, ſed impietatem, & conatum cum conſcientiæ & religionis etiam diſpendio favorem Romanorum exambiendi & ſibi conſervandi. 4. Odia Herodis in Iudæos non tam origini Herodis, quàm Iudæorum in Herodem molitionibus, & iſtius malignitati & irritationi imputanda.

XI. Opinionis *ſecundæ* extremæ fundamenta etiam parum firma. 1. *Nicolai Damaſceni* relatio ſuſpecta, à Ioſepho reiecta, & contraria innumeris quæ de Herode leguntur, quæ δυσγένειαν illius & ortum ex Idumæorum gente ſatis ſuperque probant. Vnde purpuræ Herodis & fortunæ id datum potius quàm veritati. *Auguſtini Tornielli* Chronologi cæteroquin egregii rationes ſpecioſæ potius quàm ſolidæ 1ª peccat *falsâ hypotheſi*, Herodem non Idumæum tantùm ſtatui origine מאבותיו, ſed & θρησκείᾳ, quod falſum. Cauſę ergo nihil erat, cur Herodes Iudaicam religionem amplexus vel Idumęorum cultum reſtitueret, vel Iudęos ad illorum ritus adigeret. 2ª Peccat *Ignoratione Elenchi*. Nec enim probandum, Herodem Iudaico more vixiſſe, ſed Herodem fuiſſe Iudæum מאבותיו. Cæteroquin enim & גרים מתיהדים προσήλυτοι ἰουδαϊζόμενοι Moſaicam legem obſervabant. 3ª *Inconſequens* ob eandem rationem ut & 4ª. Non mirum enim hominem ſacris Iudaicis imbutum, & ad Iudæorum gratiam, expugnatâ recens Hieroſolymâ, ambientem Legis zelum præ ſe ferre. Templi alioquin Hieroſolymitani exſtructio ambitionis potius Herodianæ, quàm pietatis opus erat. 5ª *Inconſequens*, nihil enim inde concluditur, niſi Herodem Iudæis quandoque ſtuduiſſe, quod & homo non Iudæus facere poterat, & magis Iudæus προσήλυτος. 6ª Itidem *inconſequens*, imò retorquenda in Authorem. Ideò enim ab Alexandro & ejus vxore conſtitutus Antipater ςρατηγὸς ὅλης τῆς Ἰδουμαίας, quia Idumæus erat, & tamen addictus Iudęis, quippe cujus imperium facilius Idumæi reliqui ferrent. Sive verò id ab Alexandri prudentiâ profectum fuerit, ſive à ſtupore, ſive ab ejus in Antipatrum fiduciâ, hinc non evincitur, illum non fuiſſe genere Idumæum. Nec 7ª magis urget, nota enim ex Ioſepho Hyrcani ſegnities, notum ejus in Antipatrum & filios ſtudium. Adde ſpes ſurgentes Herodis, gratiam quâ pollebat apud Romanos, fortitudinem eius bellicam, & authoritatem creſcentem, quorum ſingula matrimonio illi conciliando ſufficere poterant. Nec ſupponendum, Herodem prorſus alienigenam fuiſſe, ſed ἰουδαϊζόμενον à Majoribus ſuis. 8ª Ratio in ſpeciem valida videtur, ſed videtur tantùm. Oraculo enim cœleſti ſua conſtat veritas, tametſi Herodes Idumęus genere, Eſavi proles poſteritati Iacobi imperaſſe

ſtatua-

ſtatuatur. Complementum enim illius tempore Davidis potiſſimùm conſpectum, à quo ſubacti Idumæi. II.*Sam.*VIII.14. & ad Iorami uſque tempora h.e.CL. circiter annis Iudæorum imperio ſubiecti, poſtmodùm vaticinio Iſaaci *Gen.* XXVII. 40. via ſtrata, & ab Idumæis jugum Iudaicum excuſſum. Denuò tamen Maccabæorum tempore *lib.*I.*cap.*V. & *lib.*II.*cap.*X. Iudæis in prędam ceſsêre. Tandem ab HYRCANO, Adorâ & Mariſsâ urbibus illorum expugnatis, & totâ gente ſubactâ, Iudęorum genti & religioni acceſsêre, ὥστε εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους, ut habet *Ioſephus* lib.XIII. Antiq.cap.XVII. Sic ſatis factum abundè vaticinio cœleſti. Nec obſtat, ad tempus Idumęum origine, HErodem nimirum, dominatum Iudęis, nec enim dominatus Iacobi in fratrem ut perpetuus, ſed ut temporarius proponitur, & verbis indefinitis potius quàm definitis. Vnde multis poſt Iacobum ſeculis demum tale quid viſum. Et tandem tranſlationi ſceptri à Iudâ locus eſſe debebat. Accedit & hoc, HErodem non quà Idumęum, ſed ἰουδαιωμένον, & in Iacobi velut familiam & religionem inſertum Iudæis imperaſſe. 9[a] *Inconſequens.* Herodianorum enim ſive error, ſive potius impietas, de quâ ſuo loco agetur*, non evincit HErodem fuiſſe Iudęum, qualem *Torniellus* intelligit, nec enim gnathones illi aulici potius quàm Theologi tam rationibus nitebantur quàm gratiâ & potentiâ illius, cui palpum obtrudere commento ſuo ſatagebant. Erat ergo Theologia illa aulica, & fabula in HErodis gratiam acta. Nec Phariſæis rationes deerant illi revincendę, ſed periculoſa erat diſputatio cum hominibus gratioſis Regi ob illam ipſam, quam tuebantur, ὑπόθεσιν. Adde, Ioſephum ipſum, religioſum cæteroquin Scriptorem, in Veſpaſiani gratiam detorquere Oraculum Chriſto ſoli deſtinatum, qui totus gentilis erat, non ἰουδαιωμένος ut HErodes. Non mirum ergo tale quid ab HErodianis factum. 10[a] Ratio infirma eſt & ἀνακόλουθος; ſequitur tantùm inde, HErodem magis fuiſſe Iudęum quàm Syrum συγκριτικῶς, & meritò quidem Iudęi ad HErodem provocabant, quanvis enim ille majoribus Idumęis ortus foret, tamen in Iudæorum gentem & religionem & illi tranſiverant, & HErodes. 11[a] Peccat παρερμηνείᾳ loci Prophetici, & *falsâ hypotheſi*, Oraculum illud ad HErodem applicandum, & HErodem fuiſſe typum Chriſti, cùm *litteraliter* ibi

sermo sit de potentiâ & authoritate Tribus Iudæ in reliquas, quæ sensim adolevit, donec in Davide ad summum fastigium conscenderet, *mysticè* verò ad illum pertineat, qui *Apoc.* v. 5. vocatur *Leo de tribu Iudæ.* De Herode non magis ibi actum quàm de Ieroboamo, vel Romulo. Falsum etiam, in Hebræo legi, *ad prædam fili mi ascendisti*, legitur enim מטרף è *prædâ* vel *à prædâ*, ut bene vertunt *Symmachus* & *Aquila*, (LXX. ἐκ βλαστοῦ *è germine*,) non לטרף *ad prædam* ut vulgata habet. Ἔνστασις de Davide exigui ponderis, quasi verò de regno tantùm sermo sit, & non hoc referri possit ad victorias omnes tribus Iuda, Davidis etiã, quas retulit à Leone & urso, à Goliatho, à Philistheis, à Saule, à tot gentibus subactis Moabitis, Ammonitis, Syris. Sic Christus à præda reverâ ascendit, quando *ascendit in sublime, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Eph.* IV. 8. Quando post *exinanitionem & obedientiam* plenariam *Deus eum in summam extulit sublimitatem, & donavit ei nomen quod est supra omne nomen* &c. *Sic ille postquam de torrente bibit, exaltavit caput suum. Psal.* CX. 7. Regnum quin etiam Iudæ reverâ prædæ instar fuit Davidi, bonum insperatum, indebitum, quod singulari Dei munere illi obtigit, ita tamen vt multis laboribus & sudoribus & acquirendum fuerit, & conservandũ. Nec *Saulis* typum moramur qui precarius, nec ab authoritate cogente. *Cyri* cum Christo comparationem damus, sed restrictam ad actum liberationis populi Dei, non absolutam: Herodis hominis flagitiosi non item, qui prędonis instar regnum Iudaicum invasit tantùm & oppressit.

XII. Concludimus itaque, Herodem Idumæum fuisse origine מאבותיו, sed religionis professione potiùs quàm religione Iudæum, cujus majores genti Iudaicę inserti fuerant, & Iudęis ab Hyrcani temporibus accensiti, non verò Iudæum ex Iacobi familiâ, minus ex tribu Iuda prognatum. Probabile verò eidem *Ascalonitæ* nomen hæsisse, vel quia Ascalone natus, vel quia ibidem primam pueritiam egit, vel quia Antipatrum patrem vel Antipam avum Ascalone natum habuit, qui Ascalonitarum amicitiæ studuisse legitur apud Iosephum Antiquit. lib. XIV. cap. II. Nec enim novum, à nativitatis, vel educationis, vel incolatus diuturnioris loco alicui nomen hærere, ut Christo Nazareni hæsit non à patriâ nativitatis, sed educatio-

cationis, singulari tamen Dei directione, ut suo loco ostendetur. De *Proselyti* nomenclatione non anxiè litigandum putamus, modò constet Herodem non fuisse Iudæum γνήσιον, vel αὐτόχθονα, *Hebræum ex Hebræis*, sed ἐγγραπτὸν, qui habuerit majores προσηλύτοις vel ἐπηλύτας, sic dictos ἀπὸ τοῦ προσεληλυθέναι τῇ τῶν Ιουδαίων πολιτείᾳ, quasi οἱ ἐξ ἐθνῶν προσεληλυθότες. Προσήλυτος ergo Herodes potius quàm ἀλλόφυλος, & semper distingui poterat à Iudæis qui ἄνωθεν & ἀρχῆθεν tales erant, & Iacobi sanguis. Sic Paulus *Gal.* II. 15. non sine causa se & alios Iudæos ἄνωθεν tales, vocat Ιουδαίους φύσει, *naturâ Iudæos*, ἡμεῖς φύσει Ιουδαῖοι, contradistinctè nimirum ad quosvis etiam proselytos è gentibus. Sic *Phil.* III. 5. eandem distinctionem innuit Apostolus dum se vocat ἑβραῖον ἐξ ἑβραίων, *Hebræum ex Hebræis*. Certum quidem ejusmodi proselytos etiam Iudæos vocatos, quod ex *cap.* II. *Actorum* liquet, ut Æquos & Volscos Romanos, certum tamen etiam, semper αὐτόχθονας distinctos fuisse à προσηλύτοις & ἐγγράπτοις, & horum posteros, & jura utrorumque, donec confunderentur planè cum gente in quam transiverant majores eorum, & memoria ἀλλοφυλισμοῦ illorum periret. Id verò meritò religiosiùs observatum inter Iudæos ob peculiarem ὑπεροχὴν populi Iudaici, & gentilium contemptum, qui altè semper insedit ferocibus Iudæorum animis. *Idumæi* sanè fratres Iudæorum in Scripturâ vocantur, & mitius habendi erant, tamen reverâ erant ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ισραὴλ, & ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, antequam accessissent Iudæis, & illorum genti inserti fuissent. Ex hac Dissertatione πόρισμα eliciemus *Dubio* sequenti de complemento vaticinii Iacobæi in Herode, & egregiâ characterum natalitiorum harmoniâ.

DVBIVM XVII.

An in Herode Magno fuerit adimpletum vaticinium *Gen.* XLIX. 10. *Non recedet sceptrum ex Iudâ, & legislator è pedibus eius?*

EXAMEN.

Causa & scopus Dubij *propositi. Sensus Oraculi Iacobæi. Probatio ab eventu. Gubernatio populi Iudaici qualis à captivitate. Pontificum* ὑπεροχή. *Alexandri & Ptol. Philadelphi ad illos litteræ. Assamonæorum genus. Præludia sceptri in Iuda.* Initia *sceptri falsa rejecta, verum ostensum.* Continuatio *qualis.* Ὑπεροχὴ *tribus Iudæ post captivitatem. An complementum vaticinii sacri in tribu Iudæ stricte dictâ?* Baronii *assertio incauta,* Genebrardi *temeraria. Conflictus illius cum Maccabæorum Scriptore. An complementum in Concilio* Sanhedrin? *Herodis in* Sanhedrin *crudelitas. Quales subrogati. Ius sanguinis illis ademptum. Illustratio loci* Ioh. XVIII. 31. Sigonii *animadversio de servitute* Sanhedrin. *Astus* Gabinii *ad enervandū* Sanhedrin. *Multiplicatio Conciliorum. Initium captivitatis* Edom. P. Cunæus & Iac. Gothofredus *laudati. Examen opinionis de* initio *sceptri Iudaici in Roboamo.* Ἐνστάσεις *discussæ. Quî respublica Iudæ fuerit sub Dauide?* Maimonidæ *opinio. Confutatio ejusdem. Latitudo phrasium* באחרית הימים ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, ἐν ὑστέροις καιροῖς. *&c. Duratio sceptri in domo Davidis.* Ἔνστασις *quædam* Tornielli. *Solutio. Causa sceptri tributi Iudæ. Nominum*

minum usus multiplex. Ἔνστασις Casauboni *gemina. Examen utriusque. Cur sceptrum non recesserit à Iuda, Iudæâ à Pompeio subactâ. Obiectio alia. Tempora sæpe latiùs sumenda in Scriptura. Sceptri translatio cur prævia natali Messiæ.* Κριτήρια *varia Messiæ. Impletio vaticiniј Iacobæi, secundùm* Torniellum. *Examen illius.* Ἄτοπα, *si Herodes & Herodiadæ statuantur Iudæi. Eorum dignitates variæ. Ratio peculiaris Reipublicæ Iudaicæ. Nominis Judaici diversa nomenclatio.* Rivetus *laudatus. Harmonia characterum Chronicorum natalitiorum.* Africani *commentum de sordidis Herodis natalibus.*

I. INSTITVTI nostri non est, in vaticinij illius prophetici ἐξήγησιν hoc loco digredi, sed tantùm ostendere, designationem regni Herodis à Spiritu Sancto ideò inter characteres Chronicos temporis natalitii Christi relatam fuisse, ut & vaticinio illi nobilissimo *Gen.* XLIX. 10. responderet, & cum characteribus reliquis ductis ab imperio Augusti & censu acto in Iudæâ à Pręside, vel sub pręside Romano prorsus conveniret, adeóque liqueret, Christum natum, translato sceptro & νομοθεσία à Iudæis. Hujus rei gratiâ excussum à nobis accuratius *Dubium* superius, & ostensum, Herodem illum Magnum vulgò dictum vel Ascalonitam ab Idumæis & Esavo ortum duxisse, non à Iudâ, vel ab aliquâ à reliquis tribubus à Iacobo oriundis, adeóque in illius personâ primùm impleri cœpisse vaticinium Iacobæum.

II. Vt verò opinio ista Lectori probari possit, 1. Sensus vaticinii illius, sed pro instituti nostri ratione tantùm, missis hoc loco Iudæorum argutiis, succinctè ostendendus. 11. Comple-

mentum tum ſceptri conſtituti, vel νομοθεσίας aut ἡγεμονίας erectæ in Iuda, tum ſceptri excuſſi, ac νομοθεσίας vel ἡγεμονίας remotæ deſignandum.

Prius quod attinet, obſervandum 1. Iacobum non perſonam Iudæ deſignare; ſed eius poſteritatem. 2. Nec poſteritatem Iudæ ſtrictè ſic dictam, excluſivè in ordine ad reliquas tribus, ſed aliquam tantùm ejus ὑπεροχὴν præ reliquis tribubus, in poſſeſſione ſceptri. 3. Non dici à Iacobo ſceptrum vel primò, vel ſtatim in Iuda conſtituendum, ſed conſtituendum aliquando, & poſtquam conſtitutum fuerit non planè removendum, vel νομοθεσίαν ſaltem, donec veniat Silo. 4. Iacobum non ſceptri tantùm meminiſſe, ſed & τοῦ מחקק, ſceptrum non receſſurum, vel legiſlatorem ſive ἡγούμενον aliquem, ut LXX. habent, adeoque eo ipſo innui diverſos ſtatus & varias gubernandi formas ſubiturum populum Iudaicum, & modò ſub Regibus futurum, modò ſub Ducibus vel Pontificibus. 5. Illud עד כי יבא *donec veniat*, cum latitudine aliquâ accipiendum eſſe, & ejus complementum quoad remotionem ſceptri & ὑπεροχῆς promiſſæ quærendum circa tempora Meſſiæ exhibendi.

III. Hæc omnia non rationibus tantùm probari poſſunt, ſed & optimo vaticiniorum ſacrorum Commentario, ipſo nimirum eventu, cui non reſpondent, nec reſpondere poſſunt expoſitiones quæcunque aliæ. 1. In Iudæ perſona ſceptrum non fuiſſe erectum, extra controverſiam eſt. 2. Iudæ etiam poſteritatem ſtrictè hîc intelligendam non eſſe eventus docet, cùm certum ſit ſceptrum in tribu Iuda erectum in Zedekiâ penitus defeciſſe, poteſtatem etiam νομοθετικὴν in Zorobabele reſtitutam, ſi aliqua *Annio* fides foret, in Ioanne Hyrcano poſtremo Iudæorum Duce è poſteritate Davidis exſtinctam fuiſſe. Sin *Ioſephum*, quod tutiſſimum, ſequamur, à reædificato templo Iudæi dicuntur uſi πολιτείᾳ ἀριστοκρατικῇ μετ' ὀλιγαρχίας, & eodem authore, οἱ ἀρχιερεῖς προεστήκεσαν τῶν πραγμάτων, ἄχρις οὗ τοὺς Ἀσαμωναίους συνέβη βασιλεύειν. *Ioſ.* Antiq. lib. XI. cap. IV. Et ſanè penes Pontifices ſummam rerum, brevi poſt Zorobabelem fuiſſe, liquet ex Alexandri Magni literis, quas illè, cum Tyrum vrbem oppugnaret, non ad Ducem aliquem, ſed ad Pontificem Iudęorum, utpote rerum potientem, ſcripſit, & ab

eo συμμαχίαν petiit & commeatum, & ea quæ Dario prius pendebantur. In ingressu etiam Hierosolymæ non Dux, sed Iaddus Pontifex Alexandro occurrit. (lib.XI. cap. VIII.) Sic Ptolemæus Philadelphus non à Duce aliquo Iudæorum, sed ab Eleazaro Pontifice Interpretes Bibliorum S. petit (lib.XII. cap.II.) Pontificibus illis successit Assamonæorum imperium, qui è tribu Levi, & ἐφημερία Iojarib erant oriundi, teste Iosepho lib.XII. cap. VIII. & Maccabæorum scriptore I. *Macc.*II.I. penes quos fuit ἀρχικὸν ἀξίωμα ad Herodem usque Magnum, à quo & Antigonus, & Hyrcanus, & Aristobulus Mariamnes conjugis frater Assamonæorum ultimi oppressi fuêre. 3. Prærogativas quidem multas jam antiquitùs tribum Iuda obtinuisse ante sceptrum in eâ erectum, certum est ex Scripturâ. Prima illa in ponendis castris, prima in oblatione munerum, prima in cernendâ hæreditate terræ Canaan, prima in expeditionibus bellicis, idque oraculo cœlesti. Sed hæc omnia non sceptrum fuêre, sed præludia sceptri, donec in ejus possessionem tribus Iuda immitteretur. 4. Ex diversis etiam politiæ Iudaicæ formis, quæ ablationem sceptri sequutæ, liquet, meritò conjunctam illam locutionem à Spiritu S. adhibitam, nec sceptri tantùm mentionem factam, sed & τῶ מחקק. 5. Formulas illas loquendi עד אשר עד כי & alias id genus laxè sæpe sumi in Scripturâ notius est quàm ut probari debeat. Nec in ejusmodi oraculis temporum momenta anxiè putanda vel vexanda.

IV. *Initium* ergo sceptri erecti in Iudâ, non cum *Eusebio Cæsariensi* constituimus in illis præludiis ἀξίας cujusdam quam obtinuit tribus Iuda, non cum Viro quodam Eruditissimo demum in Roboami regno, sed in regno Davidis, in quo primùm eminuit sceptri Iudæ promissi ἀξίωμα.

Continuationem verò quod attinet dignitatis illius, eam nō in tribu Iudę strictè sic dictâ post Zorobabelē vel quęri debere, vel inveniri posse existimamus, quod tamen à Patribus quibusdam *Origene, Epiphanio, Cyrillo Alexandrino, Augustino* aliis assertum, sed incautè, & contra Historiæ sacræ fidem. Satis, hoc observemus cum *Eusebio Cæsariense*, non sine singulari Dei providentia factum, ut Iudæ peculiaris constaret ὑπεροχὴ, etiam post captivitatem Babylonicam, non tantùm in Zorobabele, sed quia tribus

Iuda sola emersit è captivitate, reliquæ verò tribus trans Euphraten abductę à Salmanassare nunquam integrę redière in solum patrium, sed paucissimi tantùm ex illis, & hi quidem qui emersêre, accessio quædam habiti fuêre gentis Iudaicæ, & in ejus nomen & stirpem velut transiêre, quod & *Iosephus* notat, ἐξ ἧς ἡμέρας, inquit, *ἀνέβησαν ἐκ Βαβυλῶνος, ἀπὸ τῆς Ἰούδα φυλῆς αὐτοί τε καὶ ἡ χώρα προσηγορίας μετέλαβον.* Eo ipso itaque quia terra Israelis Iudæa dicta, & quivis Israelitę è captivitate reduces, Iudæi vocati, Iudę dignitas refloruit, quę recessisse videbatur, & illa sola non nomen tantùm dedit genti, sed & imperio in illâ erecto, sive id ad tempus à Ducibus è tribu illâ oriundis administraretur, sive post à Pontificibus, & tandem ab Assamonæis, omnes enim illi generali Iudæorum nomenclatione designabantur. Et hac ratione Oraculo prophetico semper sua constitit veritas, suum complementum. Qui contendunt, *ἀξίωμα ἀρχικὸν* in tribu Iudæ strictè sic dictâ ad Christum usque continuatum, & quidem sine interruptione, Historiæ sacræ simul & Iudaicę fidem temerè solicitant. Assamonæorum enim ex tribu Iudâ origo quoad genus maternum (quod post alios *Baronio* placuit §.IV.) tum commentitia est, tum inutilis. Generis enim materni rationem nullam habitam alibi à nobis ostensum, & eruditis omnibus notum. Mirum ergo à *Baronio* pro indubitato haberi, quod falsissimum. *Genebrardi* verò temeritas satis castigari nequit, qui Assamonæos in tribum Iuda & stirpem regiam quoad genus paternum etiam infarcire audet ad annum Mundi 3922. contra fidem non tantùm Iosephi, sed & Scriptoris Maccabęorum, qui *Mattathiam* Assamonęorum principem vocat ἱερέα τῶν υἱῶν Ἰωαρὶβ, adeoque eius ortum refert ad ephemeriam sacerdotalem, cui primus ordo sorte obtigerat. 1.*Paral.* XXIII.27. ut suprà ostensum. Vel ergo impegit scriptor Canonicus Pontificiis, vel *Genebrardus*, quod postremum indubium.

Nec Concilii magni *Sanhedrin* continuatione satis illi opinioni cautum, præterquam enim quod Levitis & sacerdotibus, à captivitate Babylonicâ saltem, illud constabat æquè ac Iudęis strictè sic dictis, minor illius authoritas erat, minor potestas, quàm illorum qui toti genti imperabant, maximè tempore Herodis hominis divina & humana jura proculcantis. Quod si tamen

men probari posset, Concilium illud Sanhedrin ex solis posteris Davidis, vel saltem Iudæis strictè dictis constitisse, quod parum probabile, utique *ἀξίωμα* aliquod conveniens Oraculo Iacobeo Iudæ adhuc relictum fuisset, quippe quod conflatum erat ex מחקקים, de quibus Iacobus. In quorum Collegio sceptrum adhuc pependisse, dignitatis pristinę symbolum, Thalmudistæ docent, sed & iidem addunt assessores hujus Sanhedrin ab Herode sublatos. Tametsi itaque è Davidis etiam familiâ omnes lecti fuissent, quod *Philoni* Scriptori eximio placuit, jam tum tamen exspirasset periodus à Iacobo designata. Vtut enim alii iis fuerint substituti, subrogati tamen fuêre sine delectu, & cum minori potestate, etenim jus sanguinis jam Christi tempore penes illos non fuisse ex ipsorummet verbis quę *Iohannis* XVIII.31. liquet. Cùm enim Pilatus de Christo loquens, Iudæos in hęc verba moneret, *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum*, respondent statim, *nobis non licet occidere quenquam.* Hinc colligere licet, quàm parum illis tunc temporis licuerit. Imò, ex quo Antipater Herodis pater emersit, nec Pontifex Concilium eo inscio convocare potuit, nec Concilium sine illius authoritate in damnatum animadvertere, quod notat *Sigonius* ex Iosepho lib.VI. de Rep. Hebr. cap.VII. Et sanè quod prius Hierosolymis tantùm erectum erat Concilium, postmodùm divisum fuit à *Gabinio* Syriæ proconsule, & quatuor alia erecta, Gadaris, Amathunte, Hierichunte, & Saphoris, quod factum LVI. annis ante Christum natum, Olymp. CLXXXI. primo, V.C. DCXCVIII. Hinc authoritate magni synedrij divisâ, omnia fuêre ante Christum exhibitum enervata, quę robur aliquod in Rep. Hebraicâ habere videbantur. Huc respexisse videtur Servator, quando plurium conciliorum meminit, inquiens, *tradent vos εἰς συνέδρια Matth.*X.17. cùm prius unum tantùm in totâ gente fuisset. Intereà certum, penes homines Iacobo prognatos, & *Hæbreos ex Hebræis* Reipublicæ Iudaicę administrationem mansisse ad Herodem usque, & illum primum non *Hebræum ex Hebræis*, sed Hebręum ex Idumęis in Iudaicum regnum invasisse, adeoque non Iacobi amplius, sed Esavi sanguinem imperasse, sub quo exhibitus Silo. Tunc reverâ recedere cœpit sceptrum à Iuda & מחקק de semine ejus. Et hic incipit propriè גלות אדום, *captivitas Edom*, quod no-

men Iudæi indefinitè servituti suæ sub Romanis postmodùm imposuêre. Tandem verò, in excidio Hierosolymitano, Iudęorum Republicâ eversâ, & conciliis omnibus prorsus excisis, ad ultimam vaticinij hujus lineam deventum fuit, quod tamen non obstat, quominus jam sub Herode sceptrum & ἀρχικὸν ἀξίωμα à Iudâ recessisse dicatur, sed ἐν μέρει, donec clades panica gentem illam ingratam involveret.

V. Meritò verò *Petrus Cunæus* Vir Eruditissimus in Commentario eximio de Repub. Hebræorũ profligat *Eusebii* opinionem, sceptrum Iudæ datum jam inde à tempore Mosis ob προστασίαν aliquam quę illi præ aliis tribubus sæpe obtigit. Alia enim pręludia sceptri, alia majestas imperii, sceptri nomenclatione à Iacobo designata. Meritò etiam notat Vir Eximius, Rempublicam gentis sacrę eandem semper fuisse, sed non semper eorundem. Opinio cæteroquin illa, vaticinium Iacobęum impleri cœpisse duntaxat in *Roboami* regno, quando Respublica de Iudęorum nomine appellari cœpit, nescio an probari possit viris eruditis, cùm nulla major ὑπεροχὴ ad Messiam usque tribui Iudę obtigerit, quàm sub Davidis & Salomonis regno. Etsi enim Respublica Hebręorum promiscuè vocaretur, tamen jam tunc tota gens parebat hominibus ex tribu Iudæ oriundis, & tribus illa non fluxam & infaustam, ut Benjaminitæ in Saule, sed stabilem & felicem ὑπεροχὴν habere cœpit. Nec in Roboami regno ἀξίωμα aliquod Iudæ accessit, sed potius decessit, ita ut quæ tribus omnibus ante imperârat, ejus imperium arctaretur, & imperaret tantùm paucissimis. Nec Iacobus ὑπεροχὴν Iudę promissam ad illa tempora restrinxit, cùm Respublica de Iudæorum nomine appellari cœpit, sed tantum vaticinatus fuit, *non recessurum sceptrum à Iudâ*, ex quo videlicet in illâ tribu figi cepisset, donec veniret Silo. Initium verò ὑπεροχῆς illius in Davide, & ob Davidem postmodùm in Roboamo. Pręstat ergo, salvo aliorum judicio, ad radicem dignitatis illius ascendere, Davidem nimirum, cui ob id non sine causâ promissiones insignes de Messiâ & regno repetitæ, & Silo denuò promissus, isque proditurus ex lumbis ejus.

VI. Interpretatio verò superior à Viro Magno speciosè defenditur. Summa huc redit. In *thesi*, Rempublicam nõ principis esse, sed principem Reipublicæ, & penes illam esse sceptrum

vel

vel Majeſtatem. In *hypotheſi*, à Moſis ſeculo ad uſque Roboami regnum Rempublicam Hebræam non Iudæorum ſingulariter, ſed duodecim tribuum communiter fuiſſe, cœpiſſe verò demum Iudæorum eſſe, ſciſſo regno ſub Roboamo, & ſolio Regis in Iudâ erecto. Sed ſalvo Viri eximii, quem ſuſpicimus, judicio, quædam hic intercedunt, quę diverſum ſuadere videntur. 1. Fatemur, à Moſis ſeculo non arceſſendum complementum illius vaticinii. 2. Fatemur, Rempublicam non principis eſſe, ſed principem Reipublicę, ſive *politicè*, ſive *theologicè*, ſi ius ſpectemus, nec enim propter principem Reſpublica, ſed princeps propter Rempublicam, etſi aliud ſit illorum משפט ſæpe qui imperant, quod per Samuelem Deus innuit, & de quo eruditè diſſerit inter alios CL. *Gothofredus* noſter in eximiâ Diatribâ, cui *Vlpiani* nomen præſcriptum. 3. Supponitur verò, non probatur, ita anxiè loquutum Iacobum, & ſceptrum Iudæ tribuiſſe, tum demũ cùm penes totam tribum majeſtas eſſet, cùm vir ſanctus in genere & indefinitè vaticinetur, tribum Iuda potituram imperio præ reliquis tribubus, & ἀξίωμα ἀρχικὸν non planè ab eâ removendum ante tempora Meſſiæ exhibendi. Annon verò in Davide jam potita fuit ſceptro? Occaſio enim electionis Saulis, & tota ſequela oſtendũt Deum in hunc tantùm finem hominem illum ſceptro admoviſſe, ut & Samuelis anteceſſoris probitas commendaretur, & regnum Davidis ſequens, & Iſraelitæ proterviam ſuam luerent. Vnde nihil inde decoris ad tribum Benjamiticam, magnum verò ad tribum Iuda ex felice Davidis & longâ gubernatione, quę ad poſteros etiam ejus tranſmiſſa. Proinde meritò dici poteſt tribum Iuda ſceptrum adeptam in Davide, & tunc imperii maieſtatem in illa primitùs conſtitutam præ aliis tribubus, & ad aliquot ſecula continuatam. 4. Si ſciſſionem etiam regni attendamus ſub Roboamo, & tunc Iſraelitis ſuum fuit ſceptrum ſub Hieroboamo, ſua Reſpublica, æquè ac Iudæ, & major quidem Iudaicâ ſub Roboamo, adeoque nihil hic eximii Iudę præ reliquis tribubus. Imò, ſi *Maimonidæ* & Iudæis aliis credimus, decus à Iacobo promiſſum Iudę, duntaxat penes Iudęos Babylonienſes, trans Euphraten abductos, & ibi ſedem imperii figentes poſt captivitatem manſit. Quod quidem commentum ab eximio Reipublicæ Hebraicæ Scriptore

meritò cõfutatur,cùm ſceptrũ uni glebę,Palæſtinę videlicet affixũ divinâ voluntate fuerit,cumprimis ſacrorum omnium ſedi urbi Sanctæ, & ſanctuario in eâ exſtructo. Non ergo exiſtimamus hîc verba Iacobi in anguſtias illas cogenda, quaſi Iudæ ſceptrum non fuerit, niſi cùm regnum peculiare in tribu illa erectum fuit,quin potius ſceptri decus in Iuda conſpectum arbitramur inde à regno Davidis, adeò magnificè à Deo tot promiſſis,tot victoriis conſtabilito. A cujus ætate reges multos dedit tribus illa, poſt Duces, donec ſuccederent Pontifices, & denuò Reges, ita tamen ut in nomen & gentem Iudæ velut inſerti viderentur,tametſi ex aliis tribubus orti forent, quod ad tempora Herodis vſque obtinuit.

VII. *Inſt.* Iacobus loquitur de iis quæ eventura erant in *diebus noviſsimis.* *Reſp.* Non Davidis ætas minus quàm Roboami ferre poteſt nomenclationem illam Iacobi, & dici אחרית הימים, *noviſsimum dierum*, tum quia non adeò magnum intervallum inter Davidis & Roboami regnum, tum quia nota latitudo phraſεως illius Hebręorum filiis,ex uſu Scripturæ, à quâ multa dicuntur adimplenda ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων, ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν, ἐν ἐσχάτῳ χρόνῳ, ἐν ὑστέροις καιροῖς, quæ tamen non longè poſt adimpleri cepta. Et ſanè illo ipſo capite multa prędicta, quæ ante regnum Davidis contigêre, & tamen illa pręfatione generali præmiſsâ continentur. Loca parallela varia huic rei illuſtrandæ paſſim repeꝛiuntur, vide *Dan.*11.28. *Act.* 11.17. 1.*Tim.*IV.1. 11.*Tim.*111.1. *Hebr.*1.1. 1.*Pet.*1.20. Sic quicquid ſub œconomia Novi Teſtamenti geritur, illa nomenclatione ſæpe deſignatur, utpote quę ultimâ mundi ætate exhibita. *Inſt.* Per tempus admodum exiguum Davidis poſteros uſque ad captivitatẽ Babylonicam regnum tenuiſſe. *Reſp.*1. Imò per CCCCLXVI. minimùm annos ſtetit in domo Davidis, adeoque in tribu Iudæ, quale nihil in ullâ ex aliis tribubus conſpectum. 2. Nec nos complementum vaticinii tantùm figimus in regno domus Davidicæ, ſed & in ἡγεμονίᾳ eiuſdem quæ regnum excepit, & in principatu Aſſamonæorum Iudæ nomine adminiſtrato uſque ad hominis *non Hebræi ex Hebræis* imperium.

VIII. Supradictis verò quędam adhuc ſpecioſè objici ſolent à Viris Eruditis, quibus examen debetur, & ſuæ veritati vindi-

vindiciæ. Dictum suprà, vaticinii Iacobæi complementum non esse anxiè quęrendum in solâ tribu Iudę strictè sic dictâ, sed in illis etiam qui in Iudę nomen & familiam vetut transiisse videbantur. Excipit primò *Augustinus Torniellus*, Chronologus egregius, Iacobum sceptrum figere tantùm in tribu Iudæ, ut & ἡγεμονίαν adiectam, & in tribu quidem Iudæ contradistinctâ aliis tribubus, eandem enim rationem prædictionum reliquarum, eandem hujus esse, reliquas restringi ad certas tribus toto illo capite, Ergo & istam. *Resp.* 1. *Per concessionem.* Verba illa utique tribui Iudæ strictè sic dictæ specialem ὑπεροχὴν assignant, βασιλικὸν & ἀρχικὸν ἀξίωμα illi potissimùm deferendum, & ab hominibus à reliquis tribubus non rarius tantùm gerendum, sed & sub Iudę nomine duntaxat: meritò ergo de Iudâ id à Spiritu S. effertur potius quàm de aliâ aliquâ, cùm maximè sceptrum æternum in Silo è tribu illâ oriundo suo tempore erigendum esset. 2. *Per negationem.* Multa enim in reliquis sive promissis, sive minis quę ad certas tribus restringi videntur, quæ tamen aliis quoque communia fuêre. Adde, hîc de promissione extraordinariâ agi, quæ toti genti certo modo communis esse debebat. Nec obstat, *Iudæ* nomen versibus antecedentibus strictè tantùm sumi. Præterquam enim quod & illis versibus quędam cōmunia reliquis tribubus proferūtur, sæpe unū idémq; nomen sumitur modò *latiùs*, modò *strictius*, modò *collectivè*, modò *distributivè*, modò *individualiter*, modò *specificè*, modò hoc significatu, modò alio, quod exemplis innumeris, imò ex hoc ipso capite doceri potest. v.g. de *Simeone* & *Levi*, quędam de personis illorum dicuntur, quędam de posteris. Sic *Adami*, *Israelis* nomina, & alia id genus diversissimo sæpe significatu reperiuntur. Quid obstat ergo, quominus quod de tribu Iudę strictè sic dictâ ἐξοχικῶς & antonomasticè effertur, certo modo ad eos etiam referatur, qui cum tribu illâ postmodum coaluêre, & ab eâ denominationem accepêre?

IX. II[a] Obiectio ducitur ex *Iustino* ab Eruditissimo *Casaubono*, Oraculum Iacobæum non videri adimpletum, antequam omnis penitus Magistratus civilis, & omnis ordo hierarchicus fuerit deletus, h.e. ante solo æquatam Vrbem Sanctam. *Resp.* 1. *Per negationem*, tale quid verbis Iacobi doceri, atqui ille

non de πανωλεθεία gentis totius loquitur, sed tantùm de remotione sceptri & τοῦ מחוקק, quæ circa Messiæ tempora futura prænotatur. Quod sanè impletum in Herode, qui primus ἀξίωμα imperii non *Hebræus ex Hebræis* usurpavit in Hebræos, & secundùm *Philonem* מחקקים Sanhedrin è domo Davidis sustulit. 2. Per βίαιον. Ipse Vir Eruditissimus fatetur, per gradus ad interitum gentis Iudaicę itum, cœpisse illum alio tempore, alio promotum, alio consummatum fuisse. Quidni ergo dicere possimus, Herode regno admoto ingentem rerum Iudaicarum mutationem & inclinationem conspectam, sceptro Iudaico in hominem nō *Hebræum ex Hebræis* translato, & sic sensim ad πανωλεθείαν gentis Iudaicæ viam stratam, donec illa ultimo Vrbis excidio consummaretur?

X. *Instat* Vir summus: Atqui jam sexagesimo ante Christum natum anno populum servituti alienigenarum obnoxium redditum sub Pompejo, libertatem illi ademptam, & ditionis partem, successionem regiam Romanorum libidini expositam, tributa exacta, religionem violatam, sacrum limen profanatum. *Resp.* Tunc quidem ingentem cladem passam fuisse gentem Iudaicam, nondum tamen recessisse imperium vel αὐτονομίαν omnem à Iudâ, Pompejo restituente τὴν ἀρχιερωσύνην Hyrcano Iudæo ἄνωθεν, quod *Iosephus* notat libro XIV. Antiq. cap. VIII. Et sic penes Assamonæos, qui *Hebræi ex Hebræis*, adeóque Iudæi γνήσιοι, aliqua Imperij forma ad Herodem usque mansit. Vt itaque durante captivitate Babylonicâ non planè recessit מחוקק, quia adhuc præerat Iudæis ראש הגלות αἰχμαλωτάρχης, sic nec sub captivitate Romanâ sub Pompeio cœptâ, præerat enim adhuc Assamonæorum aliquis, qui φύσει Ιουδαῖος. Herode verò in regnum intruso, nulla potestas propriè dicta reliqua in Iudæâ mansit nisi penes Romanos, & hominem Idumæis maioribus ortum. Et pejus cum Iudæis actum hac in parte, quàm tunc cum Babyloniis erant subjecti, restabat enim illis adhuc αἰχμαλωτάρχης ex gente Iudaicâ delectus, &, si aliqua Iudæis fides, ex solâ tribu Iudæ. Assamonæis verò excisis, & Herode regnum Romanorum authoritate invadente, omninò à Iudâ & Iacobi posteritate decus illud in familiam alienam, quanvis ἰουδαϊζομένην, migravit.

XI. Objici adhuc potest, jam ante triginta minimùm an-

nos

nos translationem illam factam, priusquam Christus nasceretur. Videri verò nativitatem Christi debuisse præcedere illam translationem, *Non recedet* &c. עד כי *usque dum veniat Schilo.* *Resp.* Formulæ illius loquendi latitudo obvia passim, & illi sua constat veritas, modò prædicta ibi à Iacobo circa tempora Messiæ exhibendi adimpleta dicantur. Nihil obstat ergo præviam fuisse ablationem sceptri & νομοθεσίας aliquot annis, quandoquidem subjectum istius mutationis adhuc superstes fuit nativitati Messiæ, Herodes nimirum, in quo illa cœpit. Et optimè ab eruditis notatum, in Oraculis non curiosè temporum momenta vestiganda, sed latè sæpe interpretanda: aliâs enim videtur significari verbis illis (*non sublatum iri sceptrum, usque dum venerit Schilo*) statim ab ipsius ortu excutiendum sceptrum genti Iudaicæ, quod tamen non factum nisi multis post annis excisâ Vrbe, & exusto templo, ex illorum ipsorum sententiâ, qui huc referunt verba Iacobi. Adde, interpretationem superiorem eam ob rationem potiorem videri, quia ablatio sceptri & τῶ מחקק debebat esse κειτήειον dignoscendi Messiæ, conveniens itaque erat illam prævertere nativitati Christi, & quidem per aliquot annorum decadas, ut eò facilius agnosci posset à gente Iudaicâ complementum illius κειτηείυ, adeoque periodus natali Messiæ destinara. Hinc major Iudæorum stupor, & magis ἀναπολόγητος, quòd visitationis suæ tempus, jam per triginta annos ab homine non *Hebræo ex Hebræis* subacti & macerati, non agnoverint. Fatemur quidem, κειτήεια quædam etiam secuta fuisse Messiæ exhibitionem, v.g. *de vocatione gentium, dilatatione Ecclesiæ* &c. Sed distinguenda sunt illa quę à Messiâ exhibito & ejus Apostolis erant peragenda, ab illis quæ non pendebant ab ejus exhibitione, quale translatio sceptri. Adde, ut vocatio gentium, destructio synagogæ, dilatatio Ecclesiæ, & alia id genus, sunt κειτήεια exhibiti Messię illis, qui post tempora illa vixêre, sic conveniens erat multa alia dari illis quoque Iudęis qui circa tempus Servatoris nati vixêre, inter quę ex præcipuis erat vel esse debebat translatio sceptri, ita vt illo ipso tempore, quo natus Messias, haberent Iudæi hoc κειτήειον illius agnoscendi.

Vnde probare non possum *Augustini Tornielli* Chronologi laude digni alioquin opinionē speciosam, qui arbitratur (Ad An-

num ab orbe condito 4052.) vaticinium Iacobæum cepisse demum impleri, quando Archelaus Herodis M. filius non regnum, sed mediam tantùm ejus partem, nec regium sed Ethnarchæ solùm titulum ab Augusto impetravit, quanvis Herodes illum regni successorem tabulis ultimis scripsisset. Ab illo enim tempore ita fuisse ablatum sceptrum à Iudâ, ut nunquam postea fuerit restitutum, vel instauratum. *Rationes*, cur minus probanda videatur illa opinio, sunt, 1. Quia sic χρηστήριον illud aliquot demum annis post Messiam exhibitum fuisset adimpletum, adeoque Messiâ nascente aliqua πρόφασις illius spreti Iudęis tunc viventibus pręstò fuisset, sceptro adhuc superstite in Iudâ. 2. Quî etiam circa tempora Messiæ tanta illius expectatio, tam erecti piorum animi, nisi ex translatione sceptri in Herode cœptâ collegissent, instare tempus exhibitionis Messiæ? 3. Supponit *Torniellus*, Herodem fuisse Iudęum ἀρχῆθεν, imò virum tribus Iudæ, quod *Dubio* superiori confutatum. 4. Fatendum, Spiritum Sanctum de ablatione sceptri & νομοθεσίας tali loqui, quę fuerit absque spe illius recuperandi. At iam sub Herode eò redactum erat sceptrum, ut non nisi vana spes concipi posset illius restituendi hominibus Iudæis. Nec sanè ab illo tempore illis restitutum ullum ἀξίωμα ἀρχικόν. 5. Imò, tametsi sceptrum Archelao ablatum, quando regni & regii tituli repulsam passus, tamen dignitas, & ingens quidem adhuc ipsi relicta, quî verò sic ablata Iudę omnis ὑπεροχή, si Archelaus Iudæus ἄνωθεν? Archelao sanè post decennium relegato, & Iudæâ in provincię formam redactâ ille omni dignitate excidit, sed nondũ Herodis sanguis, cùm Herodi Agrippę Herodis M. ex Aristobulo filio nepoti, quod ex Iosepho fateri cogitur Torniellus, regnum adhuc & regius titulus cesserit. Si verò Herodes Iudęus γνήσιος, adeoque & posteri ejus, utique quamdiu aliquis ex sanguine illius cum tantâ dignitate superstes fuit, Oraculum nondum dici poterat impletum. Et sic per βίαιον hoc retorqueri potest in *Torniellum*. Vult ille Iacobum loqui de sceptri defectu tali, qui nunquam post restitueretur. Atqui fuit restitutum post Archelaum relegatum in nepote Agrippâ. Ergo sanè in Archelao non fuit adimpletum illud vaticinium. Tametsi enim triennio tantùm regnarit in Iudæâ Agrippa, hoc non obstat quominus sceptrum post Archelaum in illo

dicatur

dicatur restitutum. Adde, ab eodem Agrippâ Tetrarchias Philippi, Lysaniæ, & Herodis fratris ante regnum Iudaicum à Claudio obtentum administratas, quę dignitatem ingentem eidem vindicant: Sic Herodi Chalcidis Regi potestas concessa à Claudio in templum & ærarium sacrum, & jus eligendorum summorum Pontificum, quod sanè ἀξίωμα haud vulgare fuit. Sic post Archelaum dignitate dejectum non omnis dignitas sanguini Herodis abrogata, cùm & Antipas & Philippus frater Tetrarcharum quoque titulo & potestate ad tempus eminuerint, & iste quidem per XXXV. annos ad XX. usque Tiberij annum. Sic Agrippa junior Agrippæ prioris filius octavo Claudii anno regno Chalcidis donatus fuit, & duodecimo Claudii anno ditionibus Philippi patrui & Lysaniæ, à Nerone postmodum parte Galilææ, Tiberiade & aliis quibusdam locis, qui & ad tertium usque Trajani annum superstes fuit, & post excidium Hierosolymitanum XXX. adhuc annos ἀρχικὸν ἀξίωμα gessit. Si verò Herodes & Herodiadæ Iacobi sanguis, & viri de tribu Iudæ fuêre, qui quæso Archelao exstincto, imò quî, Hierosolymâ etiam excisâ, vaticinium illud impletum? Herodiadarum uno adhuc sceptro potiente. Ex his nodis omnibus nos facile expedimus, si admittamus Herodis & Herodiadarum ἀλλοφυλίαν, quatenus Esavi, non Iacobi sanguis fuêre: quod necessariò admittendum, si ulla Iosepho fides. Fatemur cęteroquin cum *Torniello*, 1. non de supremâ dignitate tantùm loquutum Iacobum, quippe quâ Iudæi sæpe excidêre, obnoxii Babyloniorum, Persarum, Ægyptiorum & Syrorum, ac tandem Romanorum imperio. 2. Iacobum de ejusmodi ablatione ἀξιώματος ἀρχικοῦ loquutum, quę totalis esset, & post quam non amplius rediret sceptrum ad Iudæos, quod revera adimpletum in Herode Magno, in quo & sub quo Assamonæis oppressis, & Sanhedrin exciso, defecit dignitas illa Iudæ promissa, nec unquam postea restituta fuit. Tametsi verò sub Herode M. nondum planè abolita fuerit Respublica Iudæorum, id causam nostram non lædit, cùm Iacobus non de παναλεθρίᾳ gentis, sed tantùm de ablatione sceptri & νομοθεσίας à gente loquatur. Alioquin Herodis etiam ętate Respublica vix amplius Iudęorũ dici potuit, quæ Tyranni impotentis ludibriis & crudis imperiis obnoxia duram serviebat servitutem.

XII. Videmus hinc, quo ſenſu ſceptrum, & νομοθεσία, ex quo ſemel Iudæorum eſſe cœpêre, eorundem manſerint, etſi mutatus interdum fuerit Reipublicæ ſtatus, & modò penes Reges principéſque, modò penes Pontifices, & tandem denuò penes Reges imperii Iudaici ſumma fuerit. Hinc etiam colligi poteſt, aliam fuiſſe rationem Reipublicæ Iudaicæ, aliam aliarum: aliæ quandiu ſuis legibus utuntur, ſceptrum retinent, & majeſtatem imperii, ex quacunque gente ſit qui imperet, *Tros Rutulúſve fuat.* Sic Auſtriaci Hiſpaniæ Regibus inſerti, ſic Sueci Polonico ſceptro admoti, alii aliis, nec tamen mutata regna: peculiaris verò hîc ratio gentis Iudaicæ, quæ ſegregata erat à gentilitate, & à ſuæ gentis hominibus regi debebat, uſque dum appropinquarent beata illa tempora Meſſiæ exhibendo deſtinata. Multùm ergo intererat, de quâ gente eſſent qui res Iudaicas moderarentur, an Iudæi γνήσιοι, ἄνωθεν vel ἀρχῆθεν tales, an homines vel prorſus gentiles, vel ἔγγραπτοι ſaltem. Prout & in pleriſque aliis peculiaris erat ratio Reipublicæ Iudaicæ. Rempublicam ergo Iudæorum ſub Herode penitus ſublatam non ſtatuimus, ſed ſceptrum tantùm receſſiſſe ab iis, quando non Romanorum dũtaxat imperium ſubiêre, ſed & regem habuêre non *Hebræum ex Hebræis*, cujus pater eſſet Edom. Nomen verò Iudaicum quod attinet, ſanè per ſeceſſionem Iſraelitarum ſub Hieroboamo, & conſtantiam tribus Iudæ in fide Roboami factum, ut Iudæ tribus regnum ſibi peculiare conſtitueret, nomen tamen Iudæorum quibuſvis tribubus promiſcuè nonniſi poſt reditum è captivitate Babylonicâ impoſitum, prout prius Levitæ & Benjaminitę, qui ſe Iudęis ſociârant in ſciſſione regni, jam tunc Iudæ nomine cenſebantur. Iſraelitæ ſanè diſperſi per Colchos, Parthos, Indos, Æthiopas nunquam in patrium ſolum rediêre, adeoque nec Iudæorum nomine deſignati fuêre, id nominis tamen hęſit promiſcuè multis ex variis tribubus, qui unà cum tribu Iudę Hieroſolymam ex captivitate reverſi, & habiti fuêre velut acceſſio quædam tribus Iudę, ut ante ſub Roboamo Levitæ & Beniaminitæ. Et quamvis nulli ex aliis tribubus emerſiſſent ex captivitate Babylonica, pręter tribum Iudæ, illo ipſo tamen adhuc tribui illi ſua conſtaret ὑπεροχὴ, ſecundùm vaticinium Iacobęum, quod illa ſola emerſerit, & αὐτονομίαν pecu-

peculiarem Hierosolymâ instauratâ, & templo reædificato retinuerit, quò appositè refert CL. *Rivetus* vaticinium Hoseæ, Deum misserturum Iudę, non Israelis symbolicè לא רחמה dicti, qui prolixè & cum cura in veram hujus vaticinii sententiam inquirit Exercitatione CCLXXVIII. & CLXXIX. in Genesin.

Nobis optima & simplicissima interpretatio videtur, quam in superioribus & probavimus & vindicavimus, inde à sceptro in Iudâ tempore Davidis erecto tribum illam ὑπεροχὴν certam constanter modo supradicto obtinuisse sive per Reges & *ἡγεμόνας* proprios, sive per insititios, Hebræos tamen, ad Herodem usque, quo rerum potiente *ἀρχικὸν ἀξίωμα* à Iudâ recessit. Nec majorum Herodis vel Herodis ipsius in Iudæorum gentem insitionem obstare arbitramur, quominus in illo adimpleri ceperit oraculum illud propheticum. Vnde concludimus, notationem regni Herodiani apud Evangelistas egregiè respondere characteribus Chronicis aliis tempori natalitio designando adhibitis, qui occasum sceptri Iudaici & *αὐτονομίας* gẽtis Deo quondam sacrę portenderent, quod erat demonstrandum. *Africani* cæteroquin commentum de sordida maiorum Herodis conditione à *Iosepho* jugulatur, à quo Antipater describitur, vt homo opulentus *εὐπορῶν χρημάτων*, qui ab Alexandro Rege, & ejus vxore toti Idumææ prefectus fuerat, priusquam sub Hyrcano ad altiorem fortunam se & filios evexisset. Vide *Iosephum* lib. XIV. Antiqu. cap. 11.

DVBIVM XVIII.

De Originatione & etymo nominis *Magorum*, de quibus *Matthæus* II.1.

EXAMEN.

Origines variæ cum Examine. I. Latina *jocularis.* *Exempla parallela,* Magistri, sororis, fratris,

τοῦ πάχα, Cephæ. Tertulliani, Anacleti, Isidori, Taciti *hallucinationes.* Scholasticorum *deliria.* II. *Etymon* Græcum τῶν μάγων *triplex. Allusio* Act. VIII. 9. *Vnde* μάγος *Authori* Etymologici magni. *Quid* μαγὶς, μάγγανον, μαγγανεία. Epiphanii *opinio. Quid* μαγωδὸς, μαγωδία. III. *Etymon* Hebraicum *triplex. Duo priora cruda. Tertium probabile. Quid* מהגים הגה Ies. VIII. 19. *Quid* ἐγγαστρίμυθος, ἐγγαστρίμαντις, στερνόμαντις, ידעוני אוב. IV. *Origo* Syro-Arabica. *Artium & scientiarum nomina apud Rabbinos. Quid* גשושא גוש ἐγκάθετοι, κατάσκοποι. Luc. XX. 20. Hebr. XI. 31. V. *Origo* Persica. Ἐπίκεισις. *Origo Hebraica & Syro-Arabica probabiles. Rationes. Quid Magog & Magusæi* Suidæ & Cedreno. *Vnde nomen Magorum à Matthæo adhibitum.*

I. NOTATIO *nominis*, secundùm Philosophos, premittenda *notationi rei.* Priùs itaque in nomen Magorum inquiremus, post in rem nomine illo designatam. Nominis enim hujus considerari potest 1. *Etymologia* sive originatio. 2. *Vsus.* Investigationi etymologicæ hoc Dubium destinamus. Etymon verò quod attinet, rejiciendæ origines falsæ, & asserenda vel vera, vel verisimilis, quod in re obscura sufficere debet. Falsas & producendas & verbo perstringendas censemus, ne incautis imponant. Origo ceteroquin nomini illi varia assignatur à variis. Referemus 1. *Latinam.* 2. *Græcam.* 3. *Hebraicam.* 4. *Syro-Arabicam.* 5. *Persicam*, cum examine singularum.

II. *La-*

II. *Latina* origo *Magorum* nomini assignatur à quibusdam, sed pædagogica & futilis, à particulâ *magis* quasi inde etymon eius arcessendum foret, æquè ac geminum illi nomen *Magistri* à *magis* & *ter*, quod nimirum vterque magis possit aliis, vel præstet aliis, & hic quidem cum ἐπιτάσει. *Suidas* meliùs à μαΐστωρ. Superiora produxisse confutasse est. Multa talia ludicra potius & iocularia quàm arguta à multis- Magnorum quandóque virorum lusus hic reperiuntur. Qualia sunt, quæ *A. Gellius*, nec sine commendatione Authorum, proponit, *Noct.* Attic. lib. XIII. cap. X. *Sororem* appellatam, quod quasi *seorsum* nascatur, & separetur ab eâ domo in quâ nata est, & in aliam familiam transgrediatur. *Fratrem* dictum esse quasi *ferè alterum.* Illud acumini *Labeonis Antistii* debemus, hoc è *P. Nigidii* fabricâ. Vtrumque contortum & frigidum. Imò summis Doctoribus ἀλλόκοτα talia sæpe excidêre. Sic *Tertullianus* libro adversus Iudæos τὸ πάσχα derivat à verbo Græco πάσχειν. Sic *Isidorus* lib. VII. cap. IX. cum *Anacleto* Pontifice Romano *Cephæ* nomen ducit ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, *eò quod in capite sit constitutus Apostolorum.* Eodem jure, quo *Tacitus* Histor. quinto *Iudæos* quasi *Idæos* ab Idâ monte dictos contendit. Talia frequenter apud Scholasticos reperiuntur, qui hîc acumen suum sæpe sunt experti, v. g. *matrimonium* dici à *materiâ* & μόνος, vel quod sit *maris* νόμος, & quæ sunt insiceta & inepta id genus alia. Qualia multa meritò explosa, & alia feliciter eruta inter alios, post *Scaligerum* & *Casaubonum* summos Viros, à Viro CL. *Christ. Becmano* in *Originibus* eruditis linguæ Latinæ.

III. *Græca* derivatio nominis Μάγου multiplex dari videtur. 1. *Quidam* Μάγον dictum volunt quasi μέγαν, magnum, sed & hoc gratis & præter rem. Fatemur, allusionem aliquam ad hoc nomen reperiri *Act.* VIII. 9. sed non etymon ejus, quando Simon dicitur Μαγεύων, & post, λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν. 2. *Alii* Μάγου nomen ducunt ἀπὸ τοῦ μάττειν, , à pinsendo vel subigendo, prout ab eâdem origine Μαγεὺς pistor, & Μαγὶς ἡ τράπεζα ἔνθα τὰ μεμαγμένα. Huc propendet *Etymologici Magni* Author, Μάγος παρὰ τὸ μάσσω, τὸ μαλάσσω, ὁ διὰ τῶν μαγικῶν ἐμπλάστρων τὰ μέλλοντα προλέγων. Sed & hoc contortum nimis & jejunum. 3. *Alii* ἀπὸ τοῦ μαγγάνου, quod *Suidæ* παράδοξόν τι. Hinc μαγγανεία γοητεία. Atqui μάγγανον potius ἀπὸ τοῦ μάγου, quasi μά-

γανον, post μάγγανον, τὸ μηχάνημα τȣ̃ Μάγου ᾧ τι ποιεῖ. 4. *Epiphanius* in Ancorato Magorum nomen ducit ἀπὸ τῆς Μαγωδίας, Mediæ vel Arabiæ regione, quæ derivatio & ipsa violenta potius quàm analoga, sive significationis ratio habeatur, sive formationis vocis. Μαγωδὸς aliâs histrio, mimus, μαγωδία artificium mimicum.

IV. Hebraica verò etiam etymi hujus ratio, & varia quidem à variis adfertur, minus probabiles duæ videntur, probabilior tertia. 1. Minus probabilis est derivatio à voce מעוז *robur* quod LXX. etiam adjectivè reddunt ὀχυρὸς, εὐκλεὴς, quasi idem cum עז & עזוז. Nec verò ulla hîc vel significationis vel analogiæ ratio. 2. Sic dura illorum derivatio, qui Magi nomen ducunt à *Benoni Pihel* מכשף verbi כשף, præstigiis usus est, quod LXX. exponunt per φαρμακεύεσθαι. Sic מכשף illis φαρμακὸς, φαρμακεύς. Significatio quadrat, sed elisio τȣ̃ ף radicalis litteræ dura & insolita. 3. Probabilior illorum opinio, qui Μάγον sic dictum volunt à verbi הגה particip. *Benoni* in *Hiphil*, מהגה quod propriè meditans, vel mussitans, voce Hebræa inflexâ ad græcorum nominum terminationem. Datur hîc analogia cõvenientior tum in formatione nominis, tum in significatione. Τὸ הגה enim in *Kal*, & הגהה in *Hiphil* redditur à LXX. per μελετᾷν, meditari, item per φωνεῖν ἐκ τ̃ κοιλίας, *de ventre* quasi *proloqui*. Sic הגה μέλος, ᾠδή. Nec sine ratione hoc verbum adhibetur *Iesa.* VIII. 19. & prædicatur de præstigiatoribus & incantatoribus. *Quum autem dixerint ad vos, quærite à Pythonibus, & ariolis* vel *sciolis* המצפצים והמהגים *pipientibus* & *mussitantibus* LXX. vertunt ζητήσατε &c. τοὺς κενολογοῦντας, οἳ ἐκ τ̃ κοιλίας φωνήσουσιν. Erant ergo præstigiatores מהגים mussitantes, ἐγγαστρίμυθοι, & ἐγγαστριμάντεις vel στερνομάντεις q.d. *Ventrivates*, vates qui præ se ferebant se dæmonem in pectore vaticinantem habere. Ἐγγαστρίμυθος ceteroquin apud LXX. respondet voci Hebræorum אוב quod *utrem* notat, quasi ex ventre utris instar intumescente & à Spiritu distento loquens. Alibi minùs commodè LXX. vertunt per θελητὴν quasi ab אָבָה. Sic ἐγγαστρίμυθοι *Iesa.* XLIV.25. בדים mendaces, qui & חוזי כוכבים *inspicientes astra.* Sic ἐγγαστρίμυθος est LXX. ידעוני quasi sciolus, ariolus, γνώστης & ἐπαοιδὸς, incantator. *Targumim* habent voces

מחשבין

מפקין & מחשבין quaſi *proferentes & cogitantes*.

V. Præter originem verò Hebraicam nominis *Magi*, ſi non veram, probabilem tamen & commodam ſatis, datur adhuc alia *Syro-Arabica*, quam obſervat *Ludovicus de Dieu*, Vir CL. qui vocem מגוש Mem accepto pro *heemantico* derivat à verbo גש, quod Syris & Arabibus eſt ſcrutari, explorare, ut מגושא ſint velut גשושא exploratores, ſcrutatores naturæ rerum, qui & חכמי המחקר *ſapientes ſcrutationis*, quo nomine Phyſicos deſignant Rabbini, ut Grammatici illis dicuntur מדקדקים quaſi ſubtiliter & minutatim inquirẽtes in aliquid, à דקדוק Grammaticâ. Sic abſtractum מגושותא rerum naturalium ſtudium, quaſi eorum perſcrutatio, quæ examen profundum & exigunt, & merentur. Aliâs Phyſica illis dicitur מעשה בראשית *opus in principio*, per alluſionem ad rerum naturalium deſcriptionem, de quâ *Gen*. I. Sic Metaphyſica ab illis vocatur מעשה המרכבה opificium currus ex capite primo *Ezechielis*. Hinc מרכבה doctrina abſtracta ἀναγωγή. Aſtronomos vocant חכמי תולדות *genethliacos* planetarios. Cæterùm originem illam quod attinet nominis *Magorum*, conjecturâ ingenioſâ nititur, & non contemnendâ, reverâ enim גוש eſt rem velut in ramenta concidere, adeóque profundè meditari à גוש Hebręorum, quod *ramentum* vel *ſtrigmentum* notat. Sic גשושא Syris exploratores. Sic *Luc*. XX. 20. verſa vox ἐγκάθετος à Syro, quam *Gloſſarium* ſedulum interpretatur, *Suidas* δόλιον, κατάσκοπον, doloſum, exploratorem, prout *Hebr*. XI. 31. in plurali גשושא κατάσκοποι, & κατάσκοπος meritò ἐγκάθετος dicitur, quia οἱ κατάσκοποι ἐγκάθηνται, vel ἐγκεκρυμμένοι εἰσὶν, & οἱ κρυπτόμενοι ὑποκάθηνται.

VI. Plerique tandem in hanc ſententiam pedibus eunt, & contendunt nomen *Magi* Perſicum eſſe, ut voces *Satrapa*, *gaza*, & aliæ id genus. Vide *Cælium Rhodiginum* lib. V. Antiqu. lect. cap. XLII. Sed & hîc in diverſa itur. Alij contendunt nomen illud *ſpecificum* eſſe, & deſignare *ſapientem*, alii *genericum* & *gentilitium*, & ſumi pro Perſâ quovis, vel ſaltem, ſecundùm *Strabonem*, lib. XV. pro incolis certæ cujuſdam regionis Mediæ inter quinque gentes, à quibus illa incolitur. *Plinius* Nat. Hiſtor. lib. XXV. cap. II. nomen illud commune facit pluribus gentibus, & meminit Magorum Perſidis, Arabiæ, Æthiopiæ, & Ægy-

pti. Sed hæc omnia ad *uſum* & *ſignificationem* pertinent, & origo ſemper dubia manet, etymon incertum. Qui ergo Magorum nomen Perſicum ſtatuunt, originem à ſe ignorari fatentur. Licebit & nobis illam ignorare, donec aliunde ex abdito eruatur. Hebrææ derivationi poſtremæ favet & vox græca, quæ illi affinis, & ſignificatio, quam notat Author operis imperfecti, *Homil.* II. *Magos* dici velut ſilentes & meditationi vacantes. Huc referri poteſt prædicatum illud מהגים ariolis attributum *Ieſa.* VIII. 19. Sic *Hutteri* verſio eandem vocem retinet, μάγοι ועגים מהגים. *Munſteri* Evangelium Hebræum ſubſtituit vocem מכשפים nec ob id flagellandum erat à *Maldonato*, quia מכשפים Perſarum non infames erant, ut oſtendetur *Dubio* ſequenti, qui aliâs τερατοποιοὶ potiùs quàm θαυματοποιοὶ. *Syro-Arabicam* originem confirmat ſcriptio Arabica, Chaldaica, & Syra conjunctim, מגוש מגושא אמגוש אמגושא, quæ in Talmudicis etiam libris occurrunt. Non dubium interim, quin Matthæus vocem illam à LXX. Interpretibus (quibus illa frequens ſatis in Daniele, reſpondens voci Hebrææ אשף) mutuatus fuerit. Quiſque hîc ſuo judicio fruatur. Nomina affinia *Magog* & *Maguſæorum* hæſêre jam antiquitùs Perſis, teſtibus *Suidâ*, & *Cedreno*, Μαγὼγ ὁ Πέρσης. Οἱ γάρ τοι πέρσαι μαγὼγ ὑπὸ τῶν ἐγχωρείων ὀνομάζονται. Καὶ μαγουσαῖοι οἱ αὐτοὶ. Interim, ſi Hebrææ linguæ antiquitatem attendamus, ab Hebræis potiùs ad Perſas, quàm ab iſtis ad Hebræos nomen illud fluxiſſe videtur.

DUBIUM XIX.

De *uſu* & *ſignificatione* nominis *Magorum* tum in *theſi*, tum in *hypotheſi* apud *Matthæum*?

EXAMEN.

Uſus nominis Magorum. I. *Apud Scriptores* Paganos. II. *Apud* ſacros. *Magi & Magiæ nomen* πολύσημον *&* μέσον. *Magia* licita *alia*, *alia* illicita.

Illa naturalis vel artificialis. Illicitæ proscriptio in Codice. *Magi* I. *Philosophi.* II. *Theologi.* III. *Politici. Quatuor olim Regum Persicorum pædagogi. Historia occupati regni Persici à* Patizithe & Smerde *Magis fratribus. Abusus nominis Magorum. Causa. Magiæ illicitæ species variæ.* Petri Pomponatii *error. Error* Plinii *Mosem* Magum *censentis. Vestigia* Magorum *apud Plinium, de quibus* II. Tim. III. 8. *Cabala Iudæorum magica.* Magi *Ægyptij quales. Cur* χρυφιασαὶ *dicti* Aquilæ. *Quid* χρύφιος *Græcis*, & χρυφίνους, χρυψίνους. Suidæ *hallucinatio.* Apollonii Tyanei *præstigiæ.* Iustini Martyris πασέρασμα. *Vis nominis Magorum* apud LXX. *Interpretes. Ambiguitas nominum* כשפים חרטמים. *Vis nominis Magorum in* Actis. *Obseruationes eruditæ* Bezæ & Lud. de Dieu. *Locus* Act. XIII. 8. *illustratus. Nominis* Elymæ *originatio multiplex.* Cajetani & Ariæ Montani *opiniones. Quid* חרשא *&* הרשותא Syris & Chaldæis, & חרש *Hebræorum.* Magorum *apud* Matthæum *duplex nomenclatio*, mala & bona. *Prioris fundamenta ab* authoritate & ratione. *Quid* מכשפים R. Abraham כשוף & כשפנית. Patrum *opinio, Magos hos fuisse maleficos.* Stapletoni *assertio. Magi nomen* μέσον. *Illustratio locorum.* Act. XIII. 6. 8. VIII. 9. Stapletoni *hallu-*

cinatio. Opinio secunda, *Magos illos non fuisse maleficos. Rationes. Quid* אשף. *Quid* Magi *apud* Matth*æum. Cur aliud nomen substituendum in linguis quibusdam. Magi hi cur* ἀπὸ ἀνατολῶν. Cameronis *observatio.* Ἔκθεσις *versionis* Æthiopicæ, *&* Mantuani.

I. DISTINXIMUS hanc Quæstionem à superiori, tum quia revera distincta est, tum ut Diatribarum nostrarum brevitate fastidio Lectorum consulamus, & illa distinctè concipiantur, quæ distinctè proponuntur. De *Etymo* & *origine* nominis *Magorum* suprà actum. Sequitur Quæstio de ejus *significatione* & *usu*, quæ & necessaria magis, & magis utilis, cum vocum origo ignoretur plerunque, & ignorari possit salvâ rerum notitiâ, usus verò & significatio non item. Proinde pro instituti nostri ratione paucis dispiciemus I. quid *Magorum* nomen designet apud Scriptores *paganos*. II. quid apud *sacros*, & Matthæum nostrum cumprimis.

II. Si Scriptores *paganos* consulamus, ut nomen abstractum *Magia* ὁμώνυμον & πολύσημον apud illos, sic & concretum *Magus*. Non diffundam me in enarrationem variarum Magiæ specierum, quod à multis præstitum, & ab instituto nostro alienum. Sufficiat nobis observare *Magi* nomen μέσον secundùm se esse, & modò in *bonam*, modò in *malam* partem Scriptoribus usurpatum, prout Magia duplex apud eosdem notatur, *licita* una, *illicita* altera. Magiæ *licitæ* meminit *Suidas* in voce μαγική: Ταύτην, inquit, ἐφεῦρον μῆδοι καὶ πέρσαι· ἡ διαφέρουσα τῆς γοητείας καὶ αὐτῆς φαρμακείας. Distinguitur verò à quibusdam in *naturalem* & *artificialem*. *Illicita* diabolica est, quam *Tertullianus* libro de animâ vocat *secundam idololatriam*, in quâ Diabolus cultum sui quærit & adorationem. Hæc Legibus divinis & humanis meritò proscripta. Vide in Codice lib. IX. tit. XVIII. *de maleficis & mathematicis.* §. IV. *Eorum est scientia punienda, & severissimis meritò legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus aut contra salutem hominum moliri, aut pudicos animos ad libidinem flexisse de-*

tegentur

tegentur &c. §.v. *Chaldæi ac magi, & cæteri quos maleficos ob scelerum magnitudinem vulgus appellat* &c. §.vi. *Multi magicis artibus usi elementa turbare, vitam insontium labefactare non dubitant*, &c. Vide etiam §.vii. Sic à Iurisconsultis meritò sancitum: Si quis thesaurum quærat in suo fundo, & adhibeat magicam & artes vetitas, inventum redigi oportere in fiscum, qui enim malis rationibus rem quæsivit, indignum videri, qui possideat.

III. *Magorum* nomen in *bonam* partem sumptum tributum legimus 1. Philosophis, 2. Theologis, 3. Politicis. 1. *Philosophis*, iisque vel naturæ, characterum ejus & virium sympathiarum & antipathiarum in natura, & aliorum id genus gnaris, qui *Physici*, sive astrorum, motuum & constellationum cœlestium peritis, qui *Astronomi*, & *Astrologi*. Sic *Suidas*. Μάγοι παρὰ Πέρσαις οἱ φιλόσοφοι. Et post, μαγεία ἡ ἀστρολογία. Sic *Marsilius Ficinus* Comm. in Plat. orat.vi. cap.x. notat Magicæ opus esse attractionem rei unius ab aliâ ex quadam cognatione naturæ, & magicæ opera naturæ opera esse. II. Tribuitur *Magorum* nomen *Theologis*, qui Deorum cultum sive obibant tantùm, sive obibant & docebant simul, qui sacris operabantur, qui vaticiniis vacabant. *Petrus Crinitus* de honestâ Disc.lib.iii. cap. ii. Zoroastris *Magicen* interpretatur Dei cultum atque divinitatis studium, naturæ etiam virium & sublimium divini intellectus arcanorum perquisitionem Theurgiam & Cabalam aliis dictam. Sic *Xenophon* lib.viii. Κύρου Παιδείας pietatem Cyri deprædicans, quod rebus divinis magis studuerit, rebus florentibus, addit *Magos* ab eo constitutos sacrorum hymnorum & sacrificiorum præsides, καὶ τότε πρῶτον κατεστάθησαν οἱ Μάγοι ὑμνεῖν τε ἀεὶ ἅμα τῇ ἡμέρᾳ τοὺς θεοὺς, καὶ θύειν ἀν' ἑκάστην ἡμέραν οἷς οἱ μάγοι θεοῖς εἴποιεν, quam sanctionem successoribus ejus ratam fuisse ibidem docet. Sed jam ante libro vii. Cyrop. Cyrus sacra facit Diis illis quos Magi colendos suadebant, imò lib.iv. dicitur Cyrus iussisse Magis accitis τὰ τοῖς θεοῖς νομιζόμενα ἐξαιρεῖσθαι, unde prius etiam sacris operabantur. Hoc sensu *Plato* in Alcibiade primo, quando de educatione Regum Persarum agit, quatuor pædagogos inquit illis deligi cōsuevisse postquam annum decimum quartum attigerãt, primum σοφώτατον, qui doceret Magiam Zoroastri, & τὰ βασιλικά: secundum δικαιότατον,

qui doceret Regem ἀληθεύειν totâ vitâ, tertium σωφρονέστατον, qui animum ejus contra voluptates muniret, quartum ἀνδρειότατον, qui illum redderet impavidum & intrepidum. Addit verò Plato, Magiam illam Zoroastri pædagogi regii primi disciplinam fuisse θεῶν θεραπείαν, egregio & utili regibus & principibus instituto, quorum adolescentia ejusmodi pædagogis regi debet, & primò pietati operari. Hoc sensu *Lucianus* in Macrobio Magos vocat γένος μαντικὸν καὶ θεοῖς ἀνακείμενον, idque apud varias gentes. Sic *Varinus* μάγον interpretatur θεόλογον καὶ ἱερέα. *Herodotus* lib. I. Magos ab aliis hominibus & sacerdotibus Ægyptiis distinguit, & illis peculiaria instituta affingit. III. *Magorum* nomen tribuitur etiam *politicis*, sic apud Persas Regum consiliarii & administri præcipui *Magi* vocati, ex quorum numero etiam aliqui imperârunt, nulli alioquin qui non Magorum institutis tincti essent & imbuti, teste *Cicerone* lib. III. de nat. Deorum. Hinc, ut suprà ex Alcibiade Platonis notatum, Magi soliti καὶ τὰ βασιλικὰ διδάσκειν. Et Herodotus in *Thalia* docet, Cambysen ad bellum Ægyptiacum proficiscentem reliquisse *Magorum* unum μελεδωνὸν τῶν οἰκηΐων. Imò ad tantum fastigium se extulêre, ut Cambyse Ægyptiaco bello implicito duo magi fratres ad imperium ambiverint, Patizithes & Smerdis, quod & per dolum obtinuêre. Cùm enim Cambyses somnio territus per Prexaspen clam fratrem Smerdin è medio tulisset, & facinus illud Persas lateret, Magus Patizithes fratrem, quem habebat Smerdin occiso cognominem, pro Smerdi Cyri filio, Cambyse absente, venditat, quòd is esset οἰκὼς μάλιστα τὸ εἶδος Σμέρδῃ τῷ Κύρου, & illi persuadet, ut solium regium invaderet. Paret Smerdes fratri. Caduceatores & præcones novi Regis imperium ubique divulgant. Cambyses nuntio hoc percellitur, & dolo à Prexaspe se circunventum arbitratur. Prexaspes de nece fratris eum certum esse jubet, & scenam per conjecturam detegit, à Patizithe fratrem Smerdin substitutum. Cambyses Smerdin ὑποβολιμαῖον castigaturus domum redire satagit, sed proprio gladio in femore perstrictus in Ecbatanis Syriæ moritur. Ante mortem Persarum τοῖς λογιμωτάτοις accersit, necem fratris prodit, & causam, & magorum dolum. Ab ejus obitu Prexaspes negat facinus à se in Smerdin Cyri filium admissum, quod non amplius tutum

erat fateri, Cambyſe exſtincto. Hinc Cambyſis oratio ficta videtur, & Smerdis hypobolimæus regnat ſeptem menſibus, & beneficiis ſibi deuincit Perſas & nationes vicinas, publicans ἀτέλειαν στρατιῆς καὶ φόρου. Octauo menſe ſchema Magorum detegitur ab Otane Persâ per Phædymam filiam Smerdis concubinam. Deprehendit illa Smerdin auribus carere, quibus Cyrus ipſum truncaverat. Otanes ea de re edoctus cum fidiſſimis conſpirat contra Magos. Darius Hyſtaſpis filius ſe illis ſociat. Prexaſpes fabulam aperit. Conjurati in regiam irruunt, Magos fratres trucidant. Magorum dolus toti ordini funeſtus redditur. Perſæ in Magos obvios ſæviunt. Inde hic dies feſtus Perſis, & μαγοφονία dictus, quo die nulli Magorum in publicum prodire licet. Hæc Herodotus prolixè refert in *Thalia*. *Cteſias* variat in nominibus & circunſtantiis. Et hactenus quidem in bonam partẽ Magiæ & Magorum nomen uſurpatũ.

IV. Vt verò rerum bonarum creber abuſus, ſic & bonorum nominum. Hinc, quod nominibus *Tyranni, Sophiſtæ, Publicani, Mathematici, Aſtrologi, Planetarij, Scribæ*, & aliis id genus contigit, contigit etiam *Magorum* nomini. In ſequiorem enim ſignificationem ſenſim abiit, & quæ μαγεία prius contradiſtincta fuit τῇ γοητείᾳ & τῇ φαρμακείᾳ, creſcente hominum partim ſuperſtitione, partim verſutiâ, cum eâ confundi cœpit. Cùm enim Magi occultarum rerum cognitionem & diſciplinam profiterentur, *ſpecie ſalutari*, ut inquit *Plinius*, lib.xxx.cap. 1. *irrepſit* mala ars, & cœpêre multi notitiam ad praxin deducere, & primò per applicationem naturalium activorum cum paſſivis res inuſitatas, modo aliis incognito, producere. Poſtmodum, ſenſim blandiente ſibi humani ingenii licentiâ, à licitis ad illicita delapſi, paulatim præſtigiatores audire cœpêre, & ψηφοπαίκται, ψεύδεις φαντασίας περιτιθέντες, ut *Sophoclis* Scholiaſtes obſeruat. Imò non illuſores tantùm ſed & malefici, in quos ſanctiones ſupradictæ ab Imperatoribus publicatæ. Variæ verò hujus Magiæ ſpecies, alia *divinatoria*, alia *præſtigiatoria*, alia *faſcinans* &c. Hujus generis ſunt, νεκρομαντεία, κατοπτρομαντεία, λεκανομαντεία, δακτυλομαντεία, ὀνυχομαντεία, κοσκινομαντεία, & alia id genus, quibus nefarij homines maleficis artibus dæmones conſulunt, iis ex compacto imperant, cognitionem ſive futurorum, ſive præteritorum, ſed occultorum, profitentur, præſti-

giis ac incantationibus, characterum & figurarum occultarum terriculamentis vel illudere aliis satagunt, vel etiam fascinis suis nocere. Hoc genus Magiæ, ut imaginarium tantùm, impugnat *Petrus Pomponatius,* sed nequicquam, cum Scripturâ, naturâ, ratione, & experientiâ ipsâ multimodis revinci facile possit. Vocat illam *Plinius* Nat. hist. lib. xxx. cap. I. *Fraudulentissimam artium*, & inquit, illam *artium tres alias imperiosissimas humanæ mentis complexam in unam se redegisse, & blandissimis desideratissimisque promissis addidisse vires religionis.* *Plinius* ibidem ineptè inter Magos Mosen refert. Est *& alia Magices factio*, inquit, à *Mose Iamne* & *Iotape Iudæis pendens*, ubi vestigia quædam Iannis & Iambris quorum meminit Apostolus II. *Tim.* III. 8. Species Magiæ præstigiatoriæ recenset Plinius lib. xxx. cap. II. Hoc genus Magiæ *Philo* libro de Legibus egregiè vocat παράκομμα prioris, in quod S. Scriptura gravissimè meritò invehitur, & quicquid est hominum Dei & sui gnarorum. *Cabala* Iudæorum ad Magiam illam infamem accedit, quippe quæ litteris certis è collo suspensis vim secretam affingit, velut ἀμυντηρίοις quibusdam sacris. Magiam illam præstigiatoriam profitebantur Magi illi, quos Ægyptus in suam perniciem Mosis ætate aluit, de quibus *Exodi* VII. quos cum Ægyptii honesto nomine vocarent חכמים, *sapientes*, Moses vocat חרטמי מצרים LXX. ἐπαοιδοὺς τῶν Αἰγυπτίων, qui vel organi, vel medii, vel objectorum etiam immutatione oculos adstantium prestringebant, meri non θαυματουργοὶ sed τερατουργοὶ, qui optimè *Aquilæ* κρυφιασταὶ dicti, ab artis suæ vel origine, vel professione, vel exercitio. Et qui κρυφιασταὶ Aquilæ, iidem *Symmacho* Μάγοι dicti. Vtrumque etiam *Gen.* XLI. 24. In illis sanè τὸ κρυπτικὸν ubique & κρύφιοι λογισμοὶ, qui πονηροὶ *Suidæ*, & κρύφια ἐπιχειρήματα, & Magus talis revera κρυφίνους vel κρυψίνους h. e. δόλιος πανοῦργος, ὕπουλος. Et frustrà μαγεία *Suidæ* definitur ἐπίκλησις δαιμονίων ἀγαθοποιῶν πρὸς ἀγαθοῦ τινος σύστασιν, contradistincta invocationi δαιμόνων κακοποιῶν. Nulla enim dæmoniorum invocatio bona, nec penes illos ἀγαθοῦ σύστασις. Et exemplum à *Suidâ* ductum ab Apollonii Tyanei plani & impostoris θεσπίσμασι parum appositum, cujus pergula nihil nisi præstigiarum & imposturarum erat officina, ipse φέναξ, ἀπατεὼν, qualis *Alexander*, de quo *Lucianus* in *Pseudomante*, quicquid hîc vel *Philo-*

stra-

ſtrato in vita Apollonii, viſum fuerit, vel Authori quæſt. & reſp. XXIV. ad Orth. cui videtur Apollonius ille fuiſſe ἀνὴρ ἐπιστήμων τῶν φυσικῶν δυνάμεων, καὶ τῶν ἐν αὐταῖς συμπαθειῶν τε καὶ ἀντιπαθειῶν, & operatus tantùm κατὰ ταύτην τὴν ἐπιστήμην. Contrarium & inſtituta & acta illius teſtantur, qui eò impudentiæ etiam proceſſit, ut & mortui reſuſcitationem polliceri auderet, & ficto ſchemate multorum oculos & animos occupare.

V. Si jam in vſum & ſignificationem nominis *Magorum*, quam apud ſacros Scriptores habet, inquiramus, diſpiciendum 1. Quo ſenſu adhibitum fuerit à LXX. Interpretibus. 2. Quo ſignificatu alibi in N. Teſtamento. 3. Quo à Matthæo *in hypotheſi*, de quâ nobis quæſtio. 1. LXX. Interpretes, ubi nomen אשפים in Daniele occurrit, conſtanter id exponunt per μάγοις, אשפים verò Hebræis vel Chaldæis potius ſunt, qui ex afflatu aliquid cognoſcunt, vel qui ſidera crepuſculi tempore obſervant, quandoque Philoſophi in genere, quandoque Aſtrologi in ſpecie, vel Medici. Chaldæis אשף Aſtrologum notat & ſapientem. Plurale ſæpe hic ſenſu apud Danielem, & ſimplex אשפין, & emphaticum אשפיא. Et ſanè videtur in bonam partem vox illa accipi apud *Danielem*, contra diſtinguuntur enim illis qui dicuntur חרטמים & מכשפים οἱ ἐπαοιδοὶ & φαρμακοί. Etſi fatendum ſit, Hebræorum doctiſſimis nomina etiam חרטמים מכשפים & alia id genus longè aliter accipi, quando de Perſarum ſapientibus ſermo, aliter quando de Ægyptiis vel aliis nationibus agitur, apud Perſas enim licitarum artium profeſſores, apud Ægyptios & alios illicitarum his nominibus deſignari conſueuêre.

VI. In Novo Teſtamento & abſtracta & concreta vox μαγεία & μάγος in malam omninò partem pleriſque adhiberi videntur, abſtracta *Act.* VIII. 11. concreta *Act.* XIII.6. Sic verbum μαγεύειν *Act.* VIII.9. Interim ſi ſequamur obſervationem eruditam *Lud. de Dieu*, nomen illud μέσον videtur, *Act.* XIII. 8. quando dicitur ἀνθίστατο δὲ αὐτοῖς Ελύμας ὁ μάγος, οὕτω γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Etſi enim inſtitutum *Elymæ* peſſimum fuerit, nomen tamen innocuum fuit. Obſervat verò Vir eruditus, *Elim* apud Arabes *ſcientem* notare, & tribui peculiariter iis qui res divinas humanáſque ſcrutantur, earúmque ſunt periti. Sic Magi nomen ibi honeſtũ foret, & ſanè τὸ μεθερμηνεύεσθαι,

quod ibi occurrit, ut bene notat Doctissimus Interpres *Beza*, simplicem unius linguæ per aliam interpretationem designat. Idem *Beza* Arabicam voci Elymæ originem esse ingeniosè jam olim conjecit, quòd animaduertisset in pentateucho Arabico חרטומים Hebræorum verti per עלמא. Hîc ergo μάγος σοφὸν notat & συνετὸν. Et sanè derivatio illa longè probabilior contortis aliis, sive *Cajetani* qui *Elymam* interpretatur *Dei mensuram* vel *censum*, sive *Ariæ Montani*, qui nomen illud conatur conciliare cum ברשומא Syrorum quod loco βαριησοῦ. Ineptum etiam, illi nomini græcam originem assignare cum quibusdam ab ἔλυμος, vel ἔλυμα vel ἐλυμαῖος. Nec enim à vocum illarum significatione quicquam sani huc trahi potest. Probabilior derivatio, Elymam dici quasi Elymæum. *Etymologicum Magnum* ἐλυμαῖοι ἔθνος, ἐλύμη χώρα, sive ab Elymaïde Assyriorum regione Persis vicinâ, sive aliunde à Siciliæ regione ab Elymo Anchisæ filio sic dictâ. Et quid obstat, quominus ἐλυμαῖος *magum* notet, vt כשדי *Chaldæum* propriè, post *antonomasticè* magum vel hariolum, quippe quibus gens illa abundabat. Syrus cæteroquin Interpres μαγείαν & μάγον vertit per חרשא, quæ vox in malam partem usurpatur. Prout & abstractū חרשותא, quod respondet *Galat.* v. 20. τῇ φαρμακείᾳ. Apud paraphrasten *Chaldæum* Veteris Testamenti vocibus מכשף & מכשפה respondent eædem voces Chaldææ חרש & חרשא à חרש Hebræorum, quod propriè arare, fodere, eruere aliquid cum labore, post attentè cogitando aliquid ruspari & scrutari, tandem malis artibus rem velut eruere.

VII. Locum *Matthæi* quod attinet, qui nobis præ manibus, duplex hîc Interpretum sentētia. Quidam enim Magorum nomen in *malam* partem à Matthæo sumi arbitrantur, in *bonam* alij. Fundamenta opinionis prioris hæc dari possunt. 1. *à locis parallelis* N. Testamenti, ubi semper in malam partem sumi videtur. 2. *A textu Hebræo*, ubi τὸ מכשף occurrit, quod φαρμακὸν significat, מכשפים enim Rabbi *Abraham* sunt משנים דבר התולדת למראה העין *qui mutant rem naturalem ad aspectum oculi*, & ita oculos adstantium præstringunt, ut res aliæ sint, aliæ videantur. Quales Deus exscindi iussit. *Exod.* XXII. Hinc Magia nigra *Rabbinis* כשוף & כשפנית *saga*. 3. *Ab authoritate Iustini Martyris, Origenis, Chrysostomi, Theodoreti*, & alio-

rum

rum ex Veteribus, à quibus in ſequiorem partem nomen illud expoſitum. Et *Stapletonus* in Antidotis Evangelicis inquit, tot Patres affirmare illos prius malis artibus deditos fuiſſe, ut id vix abſque temeritate negari poſſit. 4. *A ratione,* quod Deus voluerit Magorum illorum hominum maleficorum ad Chriſtum acceſſu virtutem Chriſti hoc hominum genus ad ſe trahentis illuſtriorem reddere, & prçludium aliquod exhibere converſionis maximorum etiam peccatorum, quales poſtmodùm à Chriſto vocati, v.g. Zachæus, mulier peccatrix, Latro, Paulus, & alii id genus. Non ſine causâ ergo Chriſtum ipſos Diaboli vates ad ſui adorationem evocaſſe, & primitias gentium in magorum perſonâ velut ex ipſis inferorum faucibus eduxiſſe.

VIII. Sed tamen *rationes* illæ tanti non ſunt, ut illis moveri debeamus: 1ª peccat 1. *Elencho* ἀπὸ τῆς ἐν μέρει, μέσον enim nomen Magi eſſe *Act.* XIII. 8. ſuprà oſtenſum, 2. *Falsâ hypotheſi,* quia non ſimpliciter *Elymas* malus, *Act.* XIII. 6. 8. quia magus vocatur, ſed quia cum προσθέσει vocatur μάγος ψευδοπροφήτης, obſiſtens Barnabæ & Paulo, quærens avertere Proconſulem à fide. Hæc prædicata oſtendunt illum fuiſſe magum impoſtorem. Imò ſi Magi nomen ſimpliciter malum, quid opus erat adiecto nomine ψευδοπροφήτου? Eo ipſo itaque per βίαιον concludi poteſt, quia Spiritus S. ἔκθεσιν ſubjicit de quali mago loquatur, magi nomen in ſe μέσον eſſe. Sic *Simon Act.* VIII. 9. non ſimpliciter magus, ſed μαγεύων & ἐξιστῶν τὸ ἔθνος, λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν, authoritate ſibi conciliatâ & lucello, malis artibus, διὰ τὸ ἐξεστακέναι, ut ſubjicit Lucas, (τὸ ἔθνος) ἱκανῷ χρόνῳ ταῖς μαγείαις, ita etiam ut per ſummam blaſphemiam ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ ἡ μεγάλη audiret. Videmus ergo, verbum μαγεύειν, & nomina μέσα per ſe, in malam partem ibi ſumenda ob ἐπεξήγησιν adjectam, qualis hîc apud Matthæum non reperitur, imò contraria planè. Talia verò ſunt ſubiecta, qualia per prædicata ſua innoteſcunt. IIª *Ratio* 1. *inconſequens* eſt, Hebræi enim Interpretis authoritas & recentior eſt, & minus valida, cujus hallucinationes crebræ. 2. *Falſa* univerſaliter accepta, ſuprà enim obſervatum, quando de Perſarum Magis ſermo, חרטמים & מכשפים non illicitarum ſed licitarum artium profeſſores deſignare. Fallitur ergo *Stapletonus* in Antidotis Evang. qui vocem illam ſine

distinctione urget. III[a] Etiam *Ratio* inconsequens est, & infirma, nec enim solâ authoritate lis ista dirimenda, & illis Authoribus alii opponi possunt magno numero. Ipsi etiam *Patres* hîc sæpe sibi non constant. *Hieronymus* ipse magos maleficos fuisse negat, sed Chaldæorum Philosophos, Comm. in *Dan.* cap. II. Adde, nec *Maldonatum*, nec *Salmeronem*, nec *Franciscum Lucam*, nec Scriptores innumeros alios Pontificios temeritatis notam reformidasse, qui & alibi & hoc loco in alia omnia eunt. IV[a] *Ratio* certa est quoad *thesin*, incerta & precaria quoad *hypothesin*. Certum, maximos peccatores interdum à Christo vocatos, incertum, hos tales fuisse, & nefandis artibus prius imbutos.

IX. Fundamenta firmiora dari videntur, quæ honestæ Magorum horum conditioni favent. Authoritatibus enim prætermissis, quę magno numero congeri possent, argumentum ducimus, 1. A *significatione vocis* אשפים, quam LXX. Interpretes reddunt τῶν μάγων nomenclatione, à quibus Matthæus vocem illam mutuatus fuit. Atqui apud *Danielem* vox illa honesta est, & אשף hodieque Rabbinis Medicum & Astrologum notat. Quidam ab illo ipso nomine vocem σοφὸς græcam ducunt. 2. A *prædicatis* optimis, quæ totâ hac Historiâ de illis enuntiantur, sine stricturâ ulla & mentione vel levissimâ artis cujusdam infamis quam ante exercuerint. Nec tantùm ante Christum adoratum Magi vocantur, sed & post ejus adorationem. Quod nomen mutatum fuisset dubio procul ab Evangelista, si infame fuisset & scelestum. 3. A *modo vocationis*, quia enim per stellam vocati, Astronomi dubio procul fuêre, & corporum ac motuum cœlestium gnari, ut extraordinarium sidus ab illis animadverti potuerit & observari. 4. A *patriâ* horum Magorum, quam ostendemus in sequentibus fuisse Persidem. Apud Persas verò nomen Magorum non infame, sed honestum. Tametsi enim nomenclatio illa, quando effertur de hominibus vel Gręcis, vel Romanis scæva sit & δῃμιουργικὴ, tamen quando de Persis loquuntur Scriptores, Magorum nomen illis in honore est. Et hoc est quod vult *Author Aruch* quem citat Eruditissimus *Casaubonus* מגוש בלשון יון מכשף *magus in lingua Græcâ* φαρμακεὺς maleficus, quia apud Græcos infame erat, de Grecis vel aliis præterquam Persis prolatum. Hæ & aliis id genus rationes

nes satis superque ostendunt per Magos hîc designari non præstigiatores, sed sapientes Persarum, sive Astronomos tantùm & *θεωρητικοὺς*, sive Astronomos simul & politicos *θεωρητικοὺς καὶ πρακτικοὺς*, Regum & Satraparum consiliis & institutioni admotos. Vnde meritò Magorum nomenclatio in linguis illis vernaculis, in quibus infamis est, mutatur, & substituuntur nomina honestiora sapientum, quod factum in versione Germanicâ & Anglicâ, & aliis id genus. Et satis Matthæus Lectori & hominibus illis cavet, dum illos non simpliciter *Μάγους* vocat, (ne vel Ægyptij putarentur, vel Græci) sed *μάγους ἀπὸ ἀνατολῶν*, Magos ab Oriente, vel Magos Orientales בני קדם, quod *Ioh. Camero ὁ μακαρίτης* bene notat. Affinia ergo nomina *Magorum* Persis, gymnosophistarum & Brachmanum Indis, Chaldæorum Babyloniis, Philosophorum Græcis, Hetruscorum Romanis, Druidarum Gallis, Scribarum Hebræis, Hierophantarum Ægyptiis. Sic notat *Lud. de Dieu*, in Æthiopico exemplari *μάγους* reddi nominibus designantibus *homines excellentes & excellentiâ præditos*, qui laude sapientiæ omnibus aliis præstarent. Concludimus ergo, Magos illos non illusores, minus Magos maleficos, sed Magos sapientes, & in astrorum disciplinâ & bonis artibus aliis versatos fuisse, & ex eorum numero de quibus *Baptista Mantuanus:*

Ille penes Persas Magus est, qui sidera nôrit,
Qui sciat herbarum vires, cultumque Deorum,
Persepoli facit ista Magos prudentia triplex.

DVBIVM XX.

An Magi illi fuerint Reges? de quibus Matthæus II. I.

EXAMEN.

Causa Dubij *propositi. Romanæ Ecclesiæ doctrina. Fundamenta eius. Rationes* Salmeronis. Περίληψις *eiusdem, & cautio. Occupatio alia. Solutio.*

Cur magi non vocati à Matthæo reges. Maldonati *vindiciæ super loco* Psal. LXXII. 10. *& super Ecclesiæ opinione. Eiusdem coniecturæ, Magos fuisse reges. Eiusdem* πρόληψις *cum solutione.* Ἐπίκρισις *Authoris, Magos non fuisse reges. Rationes, & authoritates. Examen rationum* Salmeronis. *Loci* Iesa. LX. 3. & Psal. LXXII. 10. *declarati & vindicati.* Iobi *amici an reges. Rationes negantes. Locus* Tob. II. 15. *excussus.* Pinedæ *assertio Iobum fuisse regem.* Beza & Hospinianus *laudati. Argumentum ab authoritate Patrum quale.* Calvinus *à* Genebrardi *calumniâ vindicatus. Comparatio Magorum & Regum hypobolimæorum Pontificem Romanum adorantium. Regum nomen laxum in Scriptura. Cur Magi non vocati reges à Matthæo. Convitium* Salmeronis *in reges abstersum.* Maldonati εὑρήματα *confutata.* Fevardentij *calor. Observatio de origine opinionis receptæ passim, Magos reges fuisse. Locus* Ioh. IV. 46. *expositus.* Βασιλικὸς & βασιλίσκος, *regius & regulus à* Maldonato *confusi. Coniecturæ eiusdem confutatæ.* Abr. Scultetus *laudatus. Quales* θησαυροὶ *Magorum* Matth. II. 11. Iansenius *notatus.*

HVIVS

I. HVIVS Quæstionis examen non declarandæ Scripturæ, ſed tantùm revincendę ſuperſtitioni, & errori adulto in Eccleſiâ Romanâ debetur. Paucis itaque diſpiciendum, quid hîc peccatum fuerit, hodieque peccetur, & quid ſuper hoc argumento ſit ſentiendum.

II. Magos illos *Reges* facit Romanæ Eccleſiæ tum doctrina, tum praxis. Huius opinionis fundamenta potiſſima. 1. *A prædictionibus V. Teſtamenti*, Reges Chriſtum adoraturos. *Ieſa.* LX.3. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Pſal.* LXXII.10. *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent. Splendorem ortus* apud Ieſaiam eſſe ſtellam, quæ Magos adduxit ad Chriſtum. Addi à Ieſaiâ, *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes*, &c. Regnum enim totum in rege conſiſtere, & totam rempublicam in legatis ſuis, ſic Sabæos omnes veniſſe in ſuis Oratoribus. 2. *A traditione Eccleſiæ*, illam loca citata ex Prophetis ad hos Magos accommodare, & ſuâ authoritate de illis intelligenda docere. 3. *A picturis Eccleſiaſticis*, authoritate & vetuſtate commendatis. Hæc argumenta habet *Alphonſus Salmero* Tom. III. Tract. XXXVIII. 4. Addi poſſet, conveniens fuiſſe Chriſti cunas à ſummis & imis adiri, ab hominibus vilibus, quales paſtores, & à ſplendidis & in dignitate conſtitutis, quales reges.

III. Subjicit *Salmero* ibidem per πρόληψιν, non obſtare quod à Matthæo Reges non dicantur, ſatis eſſe eos alibi in Scriptura reges appellari. Nec librum Iob tradere, eius tres amicos reges fuiſſe, id tamen in libro Tobiæ expreſſum. Illos etiam Magos videri ob eorum in diſputando ſcientiam. 2. Addit, *Tertullianum, Cyprianum, Hieronymum, Auguſtinum, Chryſoſtomum* & *Theophylactum* idem docere. 3. Perſarum Reges, ſecundùm *Ciceronem*, magicam ſcientiam percipere ſolitos, magiam in Oriente regum regibus imperaſſe, non mirum ergo magos iſtos reges fuiſſe. 4. Spectare hęc ad Chriſti gloriam magis illuſtrandam, & ad revincendos hæreticos. 5. *Ammianum Marcellinum* docere, poſt Cambyſis mortem ex Magorum ſemine ſeptem regnum Perſicum adiiſſe, Darij factione poſtmodum oppreſſos.

IV. Limitat tamen *Salmero* ſuam aſſertionem, & addit,

Mm

illos fuisse regulos potius quàm reges, dominos nimirum oppidorum & urbium singularium, ut barones, comites, marchiones, duces ac principes in regno Neapolitano, quales multos olim habebat Hispania. Tales XXXI. illos interfectos à Iosuâ cap. XII. & LXX. Iudicũ cap. I. Tales Tetrarchas & Cœlesyriæ & Decapolitanæ regionis fuisse, tales Tygranis pedissequos fuisse, secundùm *Plutarchum* in Lucullo. Sic Claudiani Epigramma in eandem sententiam exstare,

Dant tibi Chaldæi prænuntia munera Reges,
Myrrham homo, rex aurum, suscipe thura Deus.

V. Amolitur etiam Salmero per ὑποφορὰν & ἀνθυποφορὰν objectiones aliquot. I. Magos parum honorificè exceptos ab Herode, ob Herodianum fastum, aut Romanam gloriam. II. A Matthæo illos magos potius quàm reges vocari. 1. Quòd magis è re nostrâ & Dei fuerit, ut sapientes de Christo testimonium redderent quàm reges. Reges enim plerunque ignaros & imperitos esse, aliorumque sententiam sequi, & cùm sapiunt sapientum consilio regi. Majus ergo testimonium esse quod à sapientibus datur, quàm quod à Regibus. 2. Eo etiam ostensum, æquum esse, regem sapientem esse, & alios sapientiâ antecellere. 3. Coram summo rege Christo nullum fidelium debuisse vocari regem, coram sole stellas, coram Christo imperatore regium nomen cessare. 4. Qui primi à Deo descivêre, sapientes fuisse, dæmones enim à sapientiâ nomen habere, Sic qui primi Deum quæsiêre sapientes fuisse, dęmones cecidisse, resurrexisse magos, ut intelligamus nihil periculosius esse sapientiâ sibi relictâ, nihil conducibilius sapientiâ divino numine illustratâ.

VI. *Maldonatus* fatetur minus certum esse, an fuerint reges, perstringit tamen *Bezam*, παρερμηνείαν *Psalmi* LXXII. 10. explodentem, & illi opponit, I. Magnam testium nubem, à quibus magi illi reges dicantur, & ex loci illius fide. Addit, Reges Tharsis pro quibusvis gentilium regibus exempli loco à Davide positos. 2. Sic Ecclesiam sæpe solere, quæ de unâ personâ dicta sunt, ad aliam propter similitudinem non ignoranter, sed prudenter accommodare. Sic ad Mariam Christi matrem accommodari, quod de Mariâ Lazari sorore dictum *Luc.* x. 42. 3. Ecclesiam etiam non certâ & catholicâ fide, sed probabili opi-

li opinione credere magos fuiſſe reges. Licuiſſe *Mantuano* in Faſtis poetæ Chriſtiano patrum memoriâ ſalvâ religione dicere, *Nec reges, ut opinor, erant.* Licere hodieque multis Interpretibus Catholicis id magnis argumentis confirmare. 4. Fuiſſe illos Reges non Perſarum nobiliſſimos, ſed principes qui regum aut regulorum nomen merentur, ut regulus Iohannis I V. 46. & amici Iob *Iob.*II.15. reges appellantur, & Herodis Magni filius rex appellatur, qui Tetrarcha Galilææ. *Matth.*XIV.1. 5. Poetam *Iuvencum* illos primores ſuæ gentis & proceres vocare. 6. Conjecturas addit *Maldonatus*, illi opinioni firmandæ, hos Magos ab Oriente uſque veniſſe, unde privati philoſophi tam longo itinere ſuſcepto non veniſſent: illos regem natum adoraſſe, quod ſoli principes facere ſolebant, illos theſauros habuiſſe: non fuiſſe ab Herode comprehenſos & in crucem actos: Herodem dicere, ſe quoque adorandi causâ cum illis iturum, quaſi omnes reges magorum exemplo deberent novum regem adorare: privatos homines non fuiſſe auſuros id coram tyranno profiteri, legitimum Iudæorum regem natum eſſe.

V I I. Excipit etiam *Maldonatus* 1. Non magis mirum illos ab Evangeliſtâ non vocatos reges, quàm amicos Iobi in libro Iobi, quod tamen ab auctore libri Tobiæ factum. 2. Si alius Evangeliſta eandem hiſtoriam ſcripſiſſet, quam Iohannes ſcripſit *cap.*IV.46. illum fortaſſe, quem Iohannes regulum vocat, alio nomine vocaturum fuiſſe. 3. A Matthæo magos potius vocatos quàm reges, cum utrumque eſſent, ut tacitè rationem redderet, qui ex ſtellâ Chriſtum natum cognoviſſent. Id enim magorum, non regum fuiſſe. *Stapletonus* futilibus id genus argumentis magno ſupercilio in Centuriatores etiam invehitur in Promptuario Catholico in die Epiphaniæ.

V I I I. Opinionem verò illam non tantùm multis Interpretibus Pontificiis probatam, ſed & communi Eccleſiæ Romanæ praxi firmatam, parum probabilem, imò falſam judicamus, niſi regum nomine per κατάχρησιν deſignentur quivis, quibus aliqua vel authoritas, vel dignitas. *Notum* quidem in Scripturâ toparchas vel dynaſtas quoſvis exiguæ etiam glebæ dominos quandoque reges vocari. Vnde non magnoperè de nomenclatione & latitudine imperij horum magorum diſce-

ptandum foret, siquidem illi reges à Matthæo vocarentur, sed nomini gratis supposito interpretationem commodam quærere, absurdum. Opponimus adversariis. 1. Silentium Evangelistæ, quod magnum argumentum esse fatetur *Maldonatus*, cùm nihil alioquin prætermittatur, quod ad cunabula Christi illustranda faciat. Quid verò magis gloriosum, quàm à peregrinis regibus in ipsis cunis adorari? Nec silentij illius causæ, quæ vel à Salmerone notantur, vel à Maldonato, ullius ponderis, ut ex illarum examine liquebit. 2. Adde modum vocationis horum magorum, illos per sidus cœleste vocatos, & stellam ab illis observatam, quod Astrologorum & Philosophorum potius, quàm regum. Rarum enim *Alphonsos* in purpurâ contemplationibus siderum vacare. 3. Iter longinquum à privatis susceptum, probabilius longè quàm à regibus. 4. Adde, descriptionem adventus illorum simplicem & nudam proponi sine ullo apparatu, παρεγένοντο εἰς Ἱεροσόλυμα. Aliter Scriptura loquitur de adventu regum, ut de regina Seba 1. *Reg.* x. 2. cujus Hierosolymam ingredientis comitatus & apparatus non dissimulatur. Nec tale quid dissimulatum fuisset à Matthæo ad novi Salomonis gloriam illustrandam, si id contigisset. Imò pro imperio satis agit cum illis Herodes, *Ite, interrogate, &c. renuntiate mihi*, adeoque ut cum privatis, non ut cum regibus. 5. Adde, nec Herodem, nec Hierosolymam turbari illorum adventu, sed sermonibus duntaxat de novo rege nato, *His auditis Herodes rex turbatus est, & tota Hierosolyma cum eo.* Sic iidem nec ullo apparatu excepti ab Herode, nec aliter cum iis quàm cum privatis actum. Notat id *Mantuanus*,

Adde quod Herodes, ut magnificentia Regum
Postulat, hospitibus tantis regale dedisset
Hospitium, secumque lares duxisset in amplos.

Nec in reges id ausurus facile fuisset Herodes, quod moliebatur in privatos. 6. Authoritates etiam & multæ & magnæ sive Veterum, sive recẽtiorum in alia omnia eunt, & sacri contextus simplicitatem sequuntur. Quibus accedunt complures ex interpretibus Pontificiis, qui hîc vel ingenuè veritatem fatentur, vel assensum sustinent, vel moderatè admodum hîc loquuntur, inter quos *Abulensis, Baronius, Canus, Emanuel Sa, Cornelius Iansenius, Franciscus Lucas*, aliique complures.

IX. Imbecillitas verò illius opinionis , hos magos fuiſſe Reges, non aliunde melius probari poteſt quàm ex examine argumentorum contrariorum, quod ſuccinctè inſtituemus. *Salmeronis* argumenta frivola ſunt & jejuna. 1um peccat παρερμηνείᾳ locorum *Ieſa.* LX.3. & *Pſal.* LXXII.10. 1. Apud Ieſaiam ſermo indefinitè & de regibus, & de gentibus, & promiſſio de utriſque vocandis non ad Chriſti γεννηθέντος cunas, ſed ad ejus φανερωθέντος communionem. 2. Quæ regum illorum ambulatio, illa & gentium, at ab his ad cunas Chriſti non itum. 3. Idem אור *lumen* in quo gentes dicuntur ambulaturæ, & נגה זרח *ſplendor ortus*, in quo reges. Vtrumque non ſidus quod præluxit magis, ſed Dei verbum, lux Evangelii & Chriſti. Lumen quod ſub Veteri Teſtamento ſoli terræ Sanctæ ſacrum erat, tenebris effuſis ſuper totum orbem, unde meritò vocatur *tempus iræ.* 4. Sic indicatum à Prophetâ, non plebejos tantùm ex gentibus convertendos ad Meſſiam & עם הארץ ἰδιωτεύοντας, ſed & multos πρωτεύοντας, & qui ἐν προαγωγῇ. Et hoc eſt quod Propheta aliquoties iterat v.10. *Reges alienigenarum miniſtrabunt tibi.* v.11. *Reges earum adducentur.* v. 16. *Suges mammillam regum.* Sic Ieſa.XLIX.23. *Et erunt reges nutritii tui, &* ἄρχουσαι *eorum nutrices tuæ.* 5. De *Seba* omnes dicuntur venturi, *ut pulli Midian & Ephah, pecora Cedar, arietes Nebajoth, naves Tharſis.* In ſummâ, בני נכר ἀλλογενεῖς. In his omnibus nihil niſi vaticinia de vocatione illuſtri gentiū ad communionem lucis & gratiæ cœleſtis. Supponitur liberaliter à *Salmerone*, & Magos hos reges fuiſſe, & reges Seba, imò iidem ſimul reges & oratores Sabæorum conſtituuntur, & velut delegati à Sabæis ad Chriſtum: utrumque gratis. 6. Idem per *Reges Tharſis inſularum & Seba* deſignatur Pſal. LXXII. vocatio nimirum gentium, & procerum etiam ex gentibus, à Meſſiâ & ad Meſſiam, prout ſequitur, *& incurvabunt ſe ei omnes reges.* Sumuntur ergo nomina illa vel δεικτικῶς, & αὐτολεξεὶ, & ſic nihil de magis noſtris, qui nec reges Tharſis, nec inſularum, nec Seba, quippe qui ἀπὸ ἀνατολῶν venêre, vel παραδειγματικῶς, aut τυπικῶς, & ſic non magis de illis ſermo quàm de aliis regibus & proceribus, qui Chriſto & Eccleſiæ acceſsêre, quorum cultus per ſervitutem, incurvationem, oblationem munerum , & alia id genus deſcribitur. Et hîc etiam ἀντίθεσις inter Salomonis & Chriſti regnū, inter Oeconomiam

V. & Novi Teſtamenti, illa Iacobo ſoli obtigit divino munere, iſta Iapheto etiam accito in tabernacula Semi. IIum *Salmeronis* argumentum *à traditione Eccleſiæ* jejunum. Traditionem Eccleſiæ ὄντως Catholicæ admittimus, & in *ritualibus* tantùm, non *dogmaticis* extra Scripturam, pſeudo-Catholicæ non item. Nec hæc accommodatio locorum, ſed depravatio. Nec hîc traditio Eccleſiæ, præterquam Romanæ, & privatorum quorundam ſomnia. IIIum Argumentum à picturis Eccleſiaſticis ludicrum & anile. IVum Precarium & inconſequens. Quanvis enim magi illi reges non fuerint, tamen homines ſplendidi fuêre, & in dignatione conſtituti, adeóque ad Chriſti cunas itum à magnis & parvis, ſapientibus & idiotis. Nec fingenda myſteria, ſed fundanda.

X. Ἀνθυποφορὰ cæteroquin *Salmeronis*, ſatis eſſe, magos illos alibi reges vocari. I. Vrget τὸ ἀμφισβητούμενον & κρινόμενον, quod probandum, non ſupponendum. 2. Iobi amicos *Reges* fuiſſe, precarium & falſum. Nec id à Scriptura uſpiam indicatum, ſed à LXX. Interpretibus ſine ullâ textus Hebraici indicatione adjectum, vel illorum interpretationi, quod probabilius, aſſutum. *Iob.* II. 10. Stylum illum Interpres libri Tobiæ ſequutus. *Tob.* II. 15. Nec enim in Græco contextu Tobiæ quicquam tale, nec ſi foret, nos urgeret, quibus ſcriptum illud humanum, non divinum eſſe perſuaſiſſimum eſt, adeoque nõ αὐτόπιστον ſed ἑτερόπιστον. Eodem ergo jure illi Reges, quo *Iobus* rex Edom à quibuſdam conſtituitur, quod prolixè, ſed frivolis rationibus it aſſertum inter alios *Pineda* Comment. in Iobum *cap.* I. v. I. Pręſtat verò Spiritus Sancti quàm humanam authoritatem ſequi, à quo Iobus, & amici ejus ut homines privati introducuntur, non ut reges. Iobi pietas & opes deſcribuntur, regnum non item. An verò credibile, ovium, camelorum, boum, & aſinarum ejus numerum potius exprimendum, quàm regnum, purpuram & ſceptrum, ſi ille imperaſſet? Nec quicquam de regno amicorum eius ſive *Iobi* II. II. ſive alibi, ſed mera ubique hominum privatorum deſcriptio. Per nos licet illos magos vocare, h. e. ſapientes, reges non item. 3. Dictis Patrum ſigillatim excutiendis immorari anxiæ operæ foret potius quàm utilis, præſertim cùm id ab Eruditiſſimo Interprete, à *Rodolpho Hoſpiniano* Viro CL. & aliis jam diu occupatum fuerit. Adde, quorundam aſſertiones

tiones ſupponi, aliorũ depravari. Omitto, illorum authoritatem non eſſe *αὐτοπίστων*, & à *Salmerone, Maldonato, Stapletono, Bellarmino*, aliis ſæpe exploſam, hîc etiam explodendã ob *παρερμηνείαν* evidentem locorum Propheticorum. Referamus huc ſolutiones *Salmeronis*, qui ut ſe expediat à dictis Patrum, privilegium conceptionis immaculatę Dei paræ virginis jugulantium, nodum ſcindit. *Reſpondemus*, (inquit Diſput. LI. ad cap. v. Epiſt. ad Rom.) *ex Auguſtini, tum ex B. Thomæ doctrinâ, locum ab authoritate eſſe infirmum. Deinde illi multitudini opponimus aliam multitudinem*, &c. *ut dicere poßimus*, plures nobiſcum ſunt quàm cum illis. *Et certè, ut prudens quidam Paſtor dixit*, Pauperis eſt numerare pecus. *Denique contra hanc quam obiectant multitudinem reſpondemus verbo Dei*, Exodi XXIII. in judicio plurimorum non acquieſces ſententiæ, ut à vero devies. Notat idem egregiè ex Thomâ, *Canoniſtarum gloſſulas inter ſacræ doctrinæ profeſſores interſerere, inconſonum & deriſibile eſt*. Habemus verò hîc veritatis teſtes *Theodoretum, Gregorium Nyſſenum, Cyrillum*, alios. *Ianſenius* etiam ingenuè negat quenquam Veterum Interpretum hos magos reges vocare. Patribus, aliâs ſæpe id accidit, quod primis Philoſophis contigiſſe obſervat *Iuſtinus Martyr* Dialogo cum Tryphone Iudæo, nimirum τοῖς πρώτοις ἀκολουθῆσαι τοὺς ἔπειτα μηδὲν ἐξετάσαντας ἀληθείας πέρι. 4. Illatio ἀνακόλουθος eſt, reges perſarum erãt imbuti ſcientiâ magorum: Ergo magi hi erant reges, vel Magia imperabat regibus: Ergo & magi. Magorum unum ſemel regem fuiſſe per fraudem, & ad aliquot menſes duntaxat, ſuprà oſtenſum. Regibus Magos ab inſtitutione fuiſſe & conſiliis, damus, reges non item. Argumentum *Salmeronis* à particulari ad univerſale, & à converſione ſimplici propoſitionis univerſalis affirmantis vacillat. 5. Gloria Chriſti non per commenta illuſtranda, nec fabulis adſtruenda. Satis præſidii & ſplendoris à veritate natali Domini, ab Angelis, à ſtella, à paſtoribus, à magis, à turbatâ Chriſti cunis Hieroſolymâ. Nec ob id viſitationem Principum invidemus Chriſto, quod *Calvino* ineptè impingit *Genebrardus* Chron. lib. II. aſſertor temerarius eorum, quæ aliorum Interpretum Pontificiorum modeſtia ſæpe vel diſſimulat, vel ſuſpenſè proponit. Id unum *Calvinus* olim, nos hodiè omnibus votis optamus, ut Chriſtum oſculentur reges omnes & principes terræ. Sed revetâ eadem hîc ratio ado-

rati Christi à regibus, quę adorati sæpe Pontificis Romani ab Æthiopum, & Indorum regibus, quorum legationes & obsequia sedi Romanæ exhibita sæpe sparguntur, & iis speciosa Regum nomina prætenduntur, qui minorum gentium Satrapæ sunt, imò sæpe κωφὰ πρόσωπα, & οὔτις Homericus, reges sine regnis & subditis. 6. *Ammiani Marcellini* relatio partim falsa, unus enim tantùm Smerdis imperavit, etsi ex consilio reliquorum, partim ἀνακόλουθος, quid enim illorum regnum ad magos qui ad Christum accessêre?

XI. Fatemur cęteroquin minùs absurdè magos illos regulos vocari quàm reges, sed & hoc gratis. Nec hîc assertioni tutæ locus. Reges multos in Scripturâ vocari qui reguli, Dynastæ, Toparchæ tantùm, damus, sed probandum, Magos hos tales vel dici, vel fuisse. 2. In *Claudiani* Epigrammate licentia poetica ferri potest, non in assertione theologicâ. 3. Si aliunde constaret Magorum dignitas, non anxiè disceptandum foret, quo apparatu illi excepti, vel secus. Adde, Herodem in opibus suis exteris ostentandis prodigum potius fuisse quàm parcum. 4. Causæ à *Salmerone* §.v.adductæ, cur Matthæus illos Magos vocet potius quàm Reges, inanes sunt, & nihil nisi τυφλὸν ὄνειρον. Magi enim vocantur, non reges, quia magi fuerunt, non reges, & tales debebant vocari à Scriptore sacro quales fuerant, non quales non fuerant. *Prima* causa à Salmerone proposita retorquetur per βίαιον, eo ipso quo præstabat sapientes de Christo testimonium potius reddere quàm reges, sapientes ad Christum accessêre potius quàm reges. Nec testimonio magorum illorum nititur Christi ὑπεροχή. Adde, ineptè opponi sapientes & reges, & convitium dici regibus à Iesuitâ, illos plerunque ignaros & imperitos esse, & nonnisi aliorum operâ sapere. Reverenter & magis sobriè & sentiendum & loquendum de summis capitibus. Si *Calvino* tale quid excidisset, vel alii ex nostratibus, *ad Leones, ad metalla* statim ab hominibus illis fuisset declamatum. *Secunda* causa in thesi vera, in hypothesi falsa. Nihil tale ibi designatum magorum adventu. *Tertia* inconsequens, neque enim regibus Christus sua diademata it detractum, quod enim reges sunt, hoc ipsius munere sunt, fastus illis exuendus non diadema coram Christo. Nec regium nomen Christo exosum, quando conjunctum cum προσκυνήσει

& obla

& oblatione munerum humili & largâ illorum qui id gerunt, quod de Magis hîc narratur. Adde, aliud Christi regnum esse, aliud hominum, nec illius dignitatem terreni nomenclatione obscurari, sed illustrari potius. Nec, etsi συγκριτικῶς Christi respectu reges servi sint & subditi, ob id regi coram Christo procidenti regium nomen detrahendum. *Quarta* ratio itidem partim falsa, nec enim magi primi ad Christum accessêre, sed pastores, adeóque non sapientes, sed idiotæ: partim retorquenda per βίαιον, talibus ergo erat ad Christum accedendum potius quàm regibus, ex hypothesi adversarii statuentis, sed cum ingenti summorum capitum iniuriâ, reges plerunque non esse sapientes.

XII. Nec *Maldonati* hominis superciliosi incrustatio melior. Si minus certum, magos reges fuisse, cur id propugnat? cur id negantes perstringit? Si *magnis argumentis*, quod fatetur, confirmari opinio contraria potest, cur in dissentientes tantâ acerbitate invehitur? Si id minus certum etiam, cur quotannis tanquam certum & indubium plebi Christianæ in Ecclesiâ Romanâ obtruditur? Cùm etiam exoletum hodie sit, regulos reges vocare, quotiescunque magi illi reges vocantur, summa omnia & augustissima de his regibus à plebe concipiuntur, & à Doctoribus pro cathedra de Magis rhetoricatione affectatâ efferuntur.

XIII. 1. Ad testimonia sacra cæteroquin suprà responsum, & ostensum, per reges Tharsis nihilomagis designatos magos quàm quosvis δυνατοὺς vel ἀνδρεῖς alios ad Christum conversos. Imò, eo ipso quo παραδειγματικῶς illi propositi, ineptè id torquetur ad illos, qui nec reges fuêre, nec reges vocantur. 2. Accommodatio Ecclesiæ prudens esse debet, & de mente Spiritus Sancti, & parium vel similium, non imparium vel dissimilium. Nec loci illi à multis sensu accommodatitio tantùm, & per allusionem aliquam ad magos applicantur, sed proprio, ut vaticinia ad hoc vel unum, vel potissimùm designandum directa. Imò à *Fevardentio* Theomach. lib. IX. cap. XI. hæresews dica illi scribitur, qui hîc contrarium profitetur.

XIV. Si inquiramus in *Originem* huius opinionis, quî factum, quod jam olim illa invaluerit, videtur sanè prima mali labes orta à consuetudine Veterum, qui in Epiphaniorum festo,

malè ad magorum adventum & ſideris apparitionem applicato, ſolebant decantare vaticinia illa prophetica de vocatione gentium de quibus. *Pſal.* LXXII. & *Eſa.* LX. non quòd ad litteram ad magos applicarent quod de regibus ibi dicitur, vel ſibi imaginarentur magos fuiſſe reges, ſed quòd in illorum vocatione primitias gentium ad Chriſtum adductas conſpicarentur, adeoque innuerent, tunc cœpiſſe impleri vaticinia de vocatione gentium. Et quia regum ibi mentio crebra, ſenſim invaluit opinio magos illos reges fuiſſe, quod quia videbatur ad gloriam Chriſti facere, paulatim, ut inventa humana genio humano ſingulariter allubeſcunt, non cum aſſenſu tantùm ſed & cum applauſu exceptum fuit.

XV. 3. Si Eccleſia verò, quod contendit *Maldonatus*, hoc non certâ & catholicâ fide credit, cur anathema ſtringit in ἑτεροδόξους? cur pro ſuggeſtu id populo inculcatur quotannis? cur ſolenni feſto hoc nomen præfixum? Liceat nobis quod *Mantuano* jam olim licuit, quod aliis Interpretibus Romanis. 4. Magos etiam illos principes vel regulos fuiſſe ſupponitur, non probatur. Qui ad Chriſtum acceſſit *Ioh.* IV. 46. diſertè vocatur βασιλικὸς, *Syro* עבד מלכא &c. *ſervus Regis.* Aliud verò eſt βασιλίσκον eſſe h.e. regulum, Toparcham, dynaſtam: aliud βασιλικὸν h.e. regium, ſcilicet miniſtrum, quæ perperàm confunduntur à *Maldonato.* Magi etiam hi nec βασιλίσκοι vocantur, nec βασιλικοὶ. De amicis Iobi ſupra actum. Nomenclatio illa nonniſi in ſcripto humano, & apocrypho. Tetrarchas & Toparchas etiam reges in Scripturâ vocari extra controverſiam, Magos hos, falſum. 5. *Iuvenci* aſſertio nec favet Pontificiis, nec ἀνυπεύθυνος eſt, quanvis non negemus abſolutè illos fuiſſe in dignitate aliquâ conſtitutos inter ſuos.

XVI. Conjecturæ *Maldonati*, febriles ſunt, & nihil niſi conjecturæ. Quaſi verò non privatis magna itinera ſuſcipere facilius foret quàm perſonis publicis, maximè regibus, qui publicis affixi curis, qui non ſine ingenti apparatu & comitatu, & impedimentis innumeris tale quid moliri poſſunt. Stolidum etiam, ex adoratione civili activa concludere aliquem eſſe vel regulum vel principem. Idem quivis ſubditi debent & præſtant regibus ſuis. Quo ſupercilio inveheretur *Maldonatus* in noſtros, ſi ſtramineis id genus argumentis pugnarent? Quàm ine-

ineptum etiam, concludere, magos fuiſſe regulos, eò quod dicantur habuiſſe theſauros? Sic bonum factum, divites omnes reges erunt, vel reguli ſaltem, & Nabali, Epuloni inter Dynaſtas locus erit. Adde, eruditè à Beatæ memoriæ Theologo *Abr. Sculteto* obſervatum, per θησαυρῶν apud Matthæum illo loco deſignari θήκας vel πήρας, è quibus exprompsêre aurum, thus & myrrham. Quod ex verſione Arabicâ & Epiphanio probat *Exercitat. Evang.* lib.I. cap. LVI. Et ſanè θησαυρὸς hîc כלי vel כים potius quá אוצר. Non in crucē actos fuiſſe magos, non illorum purpuram arguit, ſed Herodis aſtum, qui per molitiones clandeſtinas illos tollendos potiùs judicavit, quàm vi apertâ. Tyrannis etiam interdum velo gaudet, & ſicâ ac aconito æquè vtitur ac furcâ & crucibus. Nec Herodis ſchema purpurę magorum argumentum, ſed doli mali hominis ſubdoli, qui ſiparium obtendit ſuo ſceleri. Magorum etiam ſimplicitas id liberè profitetur, quod toti regioni fauſtum & gratum eſſe arbitratur. Adde, non terrenum regem ab illis quæſitum, ſed cœleſtem, adeoque liberius etiam coram Herode. Nec regulis aliâs magis impune quàm privatis, ſeditioſas in ſpeciem voces ſpargere, in alieno regno, & in talia inquirere, quæ exoſa poteſtati dominanti. Imò à quærentium dignitate ejuſmodi vocibus momentum accedit, & illæ magis ſuſpectæ, quæ à potentiori eduntur. Æſtum ergo Herodis & trepidationem, adeóque & indignationem accendiſſet potius quàm minuiſſet magorum purpura, nec illos ita placidè primò à ſe dimiſiſſet, quorum dignitatem & adventum ſuſpecta habuiſſet. Idque eò magis, quod Arſacidæ, qui in Perſide rerum potiebantur, Parthi eſſent, adeóque hoſtes Herodis, qui in Antigoni gratiam in Herodem arma moverant. Proinde illa ipſa Herodis facilitas oſtendit, ipſi viſum à privatorum opinione minus periculi ſibi & ſuo ſceptro imminere. Conjecturæ ergo *Maldonati* retorqueri facile poſſunt, & nihil habent præter vaſtum inane, & argutias jejunas. Nec *Ianſenii* incruſtatio melior, magos reges rectè dici, quia potentes erant, & quia propter ſuam ſapientiam ſoleant ſemper regibus Perſarum aſtare: ſic potentes omnes & regum conſiliarij vel paraſtatæ reges forent.

XVII. Exceptiones ejus, ejuſdem commatis ſunt. I. Sanè non magis mirum ab Evangeliſtâ magos non vocatos reges

quàm amicos Iobi in libro Iobi, quia neutri tales fuêre. Nec enim Spiritûs Dei est falsa nomina præscribere. Nec ab auctore libri Tobiæ id factum, sed tantùm ab Interprete Latino. 2. Falsum, hominem illum *regulum* vocari *Ioh.* IV. 46. qui βασιλικός, regius. Nec ab alio Evangelistâ falsum illi nomen affictum fuisset, sed verum additum & geminum illi quod Iohannes habet. 3. *Causa* potissima, cur magi vocati, non reges, est quia magi erant, non reges. Vtrumque fuisse supponitur, non probatur. Et ideò ex stellâ Christum agnovêre quia magi erant δυσμάς τε καὶ ἀνατολὰς πορείας τε καὶ χορείαν τῶν ἀστέρων ἐπεσκεμμένοι, ut *Plato* loquitur in Epinomide. Vnde proclive illis novum sidus observare novo usui & fini destinatum.

Concludimus itaque, sine causa magos hos fuisse tribu motos, & mirâ metamorphosi mutatos in reges à Pontificiis. Præstat verò nos cum Scripturâ & sapere, & loqui, cujus nomenclatio optima, imitatio tutissima. Optimè olim *Mantuanus*, & nos cum illo

Nec reges, ut opinor, erant: nec enim tacuissent
Historiæ sacræ authores genus istud honoris,
Inter mortales quo non sublimius vllum.

DVBIA XXI. XXII. XXIII.

De *Numero*, *Nominibus*, & *Festo* Magorum, & quid de singulis sentiendum?

EXAMEN.

Causa Dubij *propositi. Opiniones diversæ de* Numero *Magorum.* Salmeronis *argumenta, tres fuisse. Examen argumentorum. Licentia Doctorum in procudendis mysteriis. Assertiones Pontificiorum temerariæ.* Εὕρημα Salmeronis. *Cum Scripturâ sapiendum.* Maldonati *probatio confutata.*

Strabi

Strabi *observatio.* Nomina *Magorum diversa, apud* Bedam *&* Zachariam Chrysopolitanum *ac* Comestorem. Salmeronis *ingenuitas. Rejectio ineptorum nominum. Licentia* Bedæ *in picturâ & vultus & vestitus Magorũ.* Molani *&* Marianæ προσωπογραφία *diversa. Nefandæ artes nominibus Magorum & Pastorum Bethleemitanorum exercitæ.* Casauboni *observatio ex MS Bibliotheca Palatinæ,* Sculteti *ex* Gordonio. *Eadem nomina pro amuletis habita.* Festum *Magorum memoriæ dicatum & falso nomine insignitum, & superstitione ac licentiâ variâ, restitutis* Saturnalibus *priscis, corruptum.*

I. TEMERITATI & superstitioni hominum malè feriatorum harum quoque quæstionum succinctam enodationem debemus, qui hic variis commentis miseram plebem illudunt. Retundendæ itaque paucis assertiones quædam partim falsæ, partim superstitiosæ, ut veritati & ejus studiosis consulatur.

II. *Numerum* quod attinet Magorum, quot ex illis ad Christum accesserint, de eo linguis variatum & sententiis. Quidam plures statuêre, quidam pauciores. Auctor Operis imperfecti Homil. II. in Matthæum XII. fuisse putat, ab aliis XIV. perhibentur. Plerique tamen tres fuisse credidêre, quæ sententia à veteribus multis, ab Ecclesiâ Romanâ, & à plerisq; aliis assensũ impetravit. Si intra conjecturas hîc se contineret Magistrorum supercilium, non esset, quod contẽtionis serram cum quoquam eo nomine duceremus. Sed quia recepta opinio pro certâ & indubiâ plebi Christianæ à multis obtruditur, videamus quibus fundamentis nitatur. Præter *authoritates Augustini, Leonis, Ruperti, Alph. Salmero* Tomo III. Tract. XXXVIII. rationibus comi-

nùs rem agit. 1. Scripturam innuere, tres fuisse, quod ter nominet reges. *Psal.* LXXII. & loquatur de *regibus Tharsis*, de *regibus Arabum*, & de *regibus terræ*. Enallagen verò numeri pluralis pro singulari ibi reperiri. 2. Hunc numerum etiam esse primum multitudinis aptum ad mysterium Trinitatis repræsentandum. 3. Idem probari à triplici munere, quod obtulêre, quæ ratio etiam à *Maldonato* ut probabilis urgetur. Credibilius enim esse, diversa, quàm eadem omnes munera dedisse, quòd id magis sit usitatum, & gratius accipientibus, honorificentius dantibus esse soleat. 4. Addit traditionem Patrum, quæ idem doceat. 5. Subjicit picturas Ecclesiasticas. 6. Idem contendit planum fieri ab eorum corporibus, quæ Coloniæ Agrippinæ asserventur, quorum tria tantùm. Excipit idem ad opinionem Authoris Operis imperfecti, duodecim ab illo numerari, quatenus non venêre solitarij, sed convenienti stipati comitatu.

III. *Rationibus* illis nihil futilius. 1ª Cabalistica & precaria. Ita argumentari est ἀρότρῳ ἀκοντίζειν. Si hoc probationum genus valeat, nihil non probari poterit. Eodem jure *Vincentius Regius* Diluc. Evang. lib. I. cap. IX. tres magos inquit (ex *Glossâ*) significare gentilem populum de tribus filiis Noe procreatum ad fidem Christi venientem. Et *Beda*, tres magos significare tres partes mundi. Nulla etiam ibi enallage in numero, nec ulla ejus causa. 2ª Inepta est & inconsequens. 3ª Infirma, quasi verò vel à paucioribus plura, vel pauciora à pluribus munera exhiberi nequeant, vel non soleant, quasi ex munerum numero capitum census iniri solidè possit. Nec tam à veritate muneris danti honor, vel gratia accipienti accedit, quàm ab ejus dignitate. In hoc numero verò mysteria complura quæsita, & luxuriatum jam olim à quibusdam ex veteribus, sed quibus commenta innumera adjecta à recentioribus. Dictum, munera tria oblata, ut numero illo Trinitas significetur personarum, quòd verò singuli tria obtulerint, unitatem divinam in Trinitate notari. En fœcundam mysteriorum officinam! Sacra sic tractare, est in re seriâ ludere. Inane etiam, à munerum numero offerentium numerum definire. An à Iacobo unum tantùm munus missum Esavo? An munera missa Iosepho à Iacobo per fratres, pro eorum numero, vel unum tantùm, quia ab uno?

uno? An Abigail unum tantum munus offert Davidi? Meritò ergo *Glossa* negat ex tribus muneribus probari, tres fuisse, non plures. 4ª *Particularis* est, nec enim prima antiquitas hîc præit, nec omnium seculorum, nec Patrum, vel plerorumque saltem traditio. Nec si præiret extra Scripturam, legem figeret. 5ª Argumentatio à picturis pictura est, non probatio, puerorum pabulum, non virorum. 6ª Peccat *falsa hypothesi*, illorum corpora Coloniæ exstare. At Scriptura docet illos reversos *εἰς τὴν χώραν αὐτῶν. Matth.* 11. 12. Quando illa, & cuius operâ ex Oriente in Occidentem translata? quibus τεκμηρίοις compertum, esse corpora magorum illorum? Immò unde licet hic εἰκοπολογῆσαι? Annon & *Mediolanum* de corporum illorum forulis vel cippis gloriatur? An Geryones illi vel bicorpores saltem? Quid si aliquorum tantùm ex illis λείψανα potuêre ex Oriente haberi, & reliquorũ cineres & ossa sub alio sole conduntur? Hæc omnia prius excussa oportebit, antequam argumentum vel probabile saltem inde educi queat. Egregium verò etiam εὕρημα *Salmeronis*, opinionem dissentientium, à quibus major Magorum numerus constituitur, ad comitatum eorum, quo stipati Christum accessêre, referendum esse. Sic ab illo in eundem censum relati ἡρακλῆς & πίθηκος, Amphitruones & Sosiæ.

IV. Sapiamus nos cum Scriptura, & quæ illa habet, amplectamur, quæ silentij sapientis sancto supparo tecta voluit, ignoremus, præsertim ubi nulla causa extra Scripturam vel sapiendi, vel argutandi. Matthæus indicat plures fuisse, numerum non exprimit. Nec *Maldonati* ratio solida, plures duobus fuisse eo quòd Evangelista numero duali non utatur, sed plurali, quasi non duo etiam plures sint, vel duorum gesta plurali numero sæpe non efferantur. De numero verò præciso præstat ἐπέχειν, quàm temerariis assertionibus nimiam sui & lectoris fiduciam habere. *Strabus* jam olim prudenter animaduertit, ex modo loquendi Evangelistæ tantùm liquere, plures fuisse.

V. Vt verò in *Numero* definiendo peccatum in Ecclesiâ Romanâ, sic & ulterius superstitioni fibula laxata, & *Nomina* mira afficta Magis. Sed & hic nomenclatio diversa. Si *Bedæ* credimus, nomina illorũ fuêre *Balthasar, Gaspar, Melchior.* Hinc vulgatus versiculus, *Gaspar fert myrrham, thus Melchior, Balthasar aurũ.*

Vnde verò vel nomina illa, vel munerum diſtributio? Si *Zachariã Chryſopolitanum* audimus, & *Petrum Comeſtorem* Hiſtorię Scholaſticæ Scriptorem, Hebræa illorum nomina ſunt, *Appellius, Amerius, Damaſcus*: Græca, Μαγαλὰθ, Παγγαλὰθ, Σαρακὶν, imò ſecundùm quoſdam alia ſubſtituenda, *Ator, Sator, Peratoras*. An non ad ludibrium nomina illa conficta ab hominibus otioſis? Cogitur fateri *Salmero* ea eſſe ex fabricâ nebulonis alicujus, & meras nugas, quibus impoſitum fuerit, ut loquitur, bono illi patri Zachariæ Chryſopolitano. Neſcio verò quo jure *Salmero* potius recipiat nomina quæ *Beda* habet. Nec ſequitur Magis hæſiſſe nomina illa, eò quod à Chaldaico vel Perſico idiomate non ſint aliena. Sic quævis nomina Perſica vel Chaldaica illis adſcribi poſſent. Eadem verò ratio ea confingendi fuit, quæ ſequentia, temeritas nimirum & licentia monaſtica. Fungum eſſe oportet, qui illa admittat, ſine probatione. Vnde meritò à *Caſaubono* exploduntur, æquè ac nomina paſtorum Bethleemiticorum gratis conficta, *Miſael, Acheel, Cyriacus* & *Stephanus*.

VI. Vbi ſemel fingendi licentia homines occupat, nihil arduum nimis, vel nimis abſurdum. Sic *Beda* in Exceptionibus Patrum non nomina tantùm illa Magis affingit, ſed & ætatem illorum refert, & προσωπογραφίαν, & veſtes. *Melchiorem* ſenem fuiſſe & canum, barbâ prolixâ, & capillis, & hunc obtuliſſe aurum Chriſto ut regi. Secundum *Gaſparem* Iuvenem imberbem, rubicundum, & hunc obtuliſſe illi thus, vt Deo. Tertium *Balthaſarem*, fuſcum, integrè barbatum, myrrham, filium hominis moriturum indicantem exhibuiſſe. At vnde hæc habet Beda? & quâ fide nobis iſta perſuadet, de quibus in primâ antiquitate nullum veſtigium, nulla ſtrictura? Vbi per ſexcentos, poſt Chriſtum annos ad *Bedam* uſque delituit illa traditio? qui floruit demum ſub Iuſtiniano II. circa finem ſeculi ſexti. Vide *Sigeberti* Chronicon ad annum Domini 696. Sic reformandus etiam verſiculus tritus, qui myrrham Gaſparis, thus Melchioris, aurum Balthaſaris munus facit. Nec Coloniæ Bedæ penicillus ſeruatur: ſed ibi ſecundùm *Ioh. Molanum* lib. de Picturis, & *Marianam*, albi omnes pinguntur. Talia ſunt fundamenta licentiæ pictoriæ, quæ in Magis illis nobis deſcribendis luxuriat. Mirum, à Lucâ non arceſſi ejus originem, vel illum adeò indiligentem

fuiſſe

fuiſſe in Iconibus illis exprimendis. Quin & hoc ipſo evertuntur Matthæi verba, qui docet veniſſe magos illos ἀπὸ ἀνατολῶν. Si verò Balthaſar Æthiops fuerit, ſtatuendum, eum ex Auſtrali non Orientali plaga veniſſe.

VII. Imò *Beda* in Collectaneis non vultus dũtaxat magorum pingit, ſed & veſtitum texit, quo induti ad Chriſtum acceſsêre. *Melchiori* quidẽ tunicam hyacinthinam aptat, ſagum milenum, quod vocat, & calceamenta hyacinthina & albo opere miſta. *Gaſpari* Mylenicam tunicam, ſagum rubeum, & calceamenta hyacinthina. *Balthaſari* tunicam rubeam & calceamenta milenica, & quæ ſunt alia id genus. Mirum nì & βιῤῥοφόροι fuerint & Colobio vel Dalmaticâ ſuccincti, vel *laticlavij* potius ut purpurati. Nihil reſtat, niſi ut & camelorum vel dromedariorum colores & crepitacula addantur, & auri oblati pondus, & thuris grana ac myrrhæ ramenta. Sic *Author* operis imperf. in Matth. Homil. 11. tradit hos tres Magos poſtea à Thomâ Apoſtolo baptizatos fuiſſe: quâ traditione, quo argumento, id verò non addit.

VIII. Sed hæc ludicra ſunt prę iis, in quibus ſequentibus ſeculis à ſuperſtitione peccatum. Magorum enim nomina ad magicas artes adhibita, & nefandis incantationibus polluta. Refert *Caſaubonus* Exerc. II. ad Annales Eccleſiaſticos Baronij §. x. in Codice quodam Gręco vetuſto Bibliothecæ Palatinæ notatum fuiſſe, ſi quis ictus fuerit à ſerpente, vel ſcorpio, vel alio aliquo reptili venenoſo, illum confeſtim ſanitati reſtituendum, modò nomina paſtorum Bethleemiticorum *Miſael*, *Acheel*, *Cyriacus Stephanus*, ut & nomina Magorum *Ator*, *Sator*, & *Peratoras* inſcripſerit parti interiori ollæ novæ cum pingui tædâ ardente, & cum ſanctificatione ſanctorum apparitionis Dei feſtorum ollam obſtruxerit, & icti à venenoſo animali nuntio tradiderit. Annon hoc eſt nominibus illis ad nefandas artes abuti? Cui geminum quod refert *Scultetus* ex *Gordonio* parte 1. libr. medicinalis cap. xxv. *Si quis ponat os ſuper aurem epileptici, cum eſt in paroxyſmo, & ter recitet tres verſus* (qui de magis, & eorum muneribus) *ægrum ſurrecturum: idque frequenter probatum.* Verſus ſunt,

Gaſpar fert myrrham, thus Melchior, Balthaſar aurum.
Hæc tria qui ſecum portabit nomina regum,

Solvitur à morbo Christi pietate caduco.

Sic eadem nomina chartæ vel membranæ puræ, ter repetito crucis signo, inscripta, & collo appensa pro amuletis iam olim pessimo instituto habita, *Beza* notavit. Impia omnia & nefanda, & gravi anathemate digna. Ita Diabolus hominum temerariorum commentis viam sibi fecit ad scelestas & gladio ultore eliminandas artes, quæ in Dei Majestatem, & fiduciam illi soli debitam gravissimè peccant.

IX. *Festum* verò anniversarium quod attinet, quod memoriæ adventus Magorum recolendæ destinatur in Ecclesia Romanâ, id 1. falso nomine τῶν ἐπιφανίων insignitur, quippe quæ nomenclatio non ad stellæ ἐπίφασιν, sed ad Servatoris ἐπιφάνειαν à Veteribus relata fuit, quod ab Eruditissimo *Casaubono* satis superque demonstratum. 2. Falso titulo credulam plebem deludit, cùm *trium Regum* festum communiter nuncupatur. 3. Sine fundamento solido ad XIII. à natali Domini diem restringitur. 4. Primæ antiquitati incognitum fuit. 5. In Ecclesiâ Romanâ in abusum abiit, quod fatum ordinarium τῆς ἐθελοπερισσοθρησκείας, ubi & lepidis fabellis pro suggestu aures patulæ Auditorum implentur, & præterea superstitioni accendendæ & fovendæ fomenta quævis conquiruntur. 6. Adde, sic *Saturnaliorum* priscorum licentiam pessimo more Ecclesiæ Christianæ postliminiò, nomine tantùm mutato, obtrusam. Hinc quà patet Romana consuetudo, æquè ac olim inter paganos, stato die singulis annis

Postulat ecce novos ebria bruma sales.

Et, quemadmodum olim cautum erat, ut Saturnalibus exæquato omnium iure, passim in conviviis servi cum Dominis recumberent, eò quod sub Saturno omnia communia fuerint: sic tūc pari ratione mancipiis sæpe & mediastinis regū schema affingitur, &, omni legum & superiorum reverentiâ excussâ, ad malas artes & effusam petulantiam itur. Hinc plerunque illo ipso die, quo Dominum à Magis adoratum Ecclesia Romana satagit, non cunæ Servatoris, sed gloriosa ejus Majestas in cœlis licentiosè à terræ filiis conspuitur. Sic, quod milites Romani olim, hoc hodie plerique audent in festis ejusmodi, dum Christum ut Regem genu flexo in speciem venerantur, in sacerrimam ejus faciem involant, & in eam omne petulantiæ genus

nus despumant. Quàm præstitisset Magorum non meminisse, quàm cum illorum & Christi contemptu sibi ludos facere. Commemorationem cæteroquin eximiæ illius Historiæ quæ sobriè fit & sanctè in Ecclesiis quibusdam reformatis, non ad Magorum, sed ad Dei honorem, procul à superstitione & licentiâ omni, & ad morem veteris Ecclesiæ, non improbamus, sed in *ritualibus* ejusmodi libertatem aliis concedimus, modò *dogmatica* salva maneant, & nobis etiam nostra hac in parte constet libertas.

DVBIVM XXIV.

Vnde venerint *Magi* illi, & *quæ* eorum *patria* designetur verbis Evangelistæ, quando dicuntur venisse ἀπὸ ἀνατολῶν, *ab Oriente* Matth. II. 1?

EXAMEN.

Interpretum varietas. Iudicium de hac quæstione. Opinio I[a] Magos *fuisse* Arabas. *Fundamenta eius & patroni.* Maldonati *inconstantia. Rationes opposita. Eversio fundamentorum propositorum. Locus* Iesa. VIII. 4. *vindicatus. Typus* Reginæ Sebæ *excussus. Loca* Matth. XII. 42. Luc. XI. 31. *illustrata. Distinguendæ regiones* שבא *&* סבא. *Locus* Psal. LXXII. 10. *declaratus.* II[a] Magos *fuisse ex* Mesopotamia. *Confirmatio eius.* Mesopotamia *quæ, & cur ita dicta. Rationes opposita.* III[a] Magos *fuisse* Chaldæos. *Rejicitur. Chaldæa Aquilonaris Iudææ.* Εὕρημα *lepidum quorundam. Ejus confutatio. Spiritus S. phrasis indefinita.* Τὸ ἀπὸ ἀνατολῶν σχετικὸν,

Cardinum mundi in Scripturâ descriptio. Cur ים *notet Occidentem. Quî Paradisus* מקדם Gen. II. 8. *Cur Australis plaga* תימן *& Idumæa. Cur plaga Aquilonaris dicta* צפון *& Assyria & Sidon.* IV[a] Magos *fuisse* Persas. *Fautores hujus sententiæ & rationes.* Calvinus *à* Stapletoni *cavillo vindicatus.*

I. INTERPRETES veteres simul ac recentes hîc in diversa eunt, & diversos mundi cardines petunt. Nec de Homeri magis, quàm de Magorum horum patriâ litigatum. Nos pro Methodi nostræ instituto I. Præcipuas opiniones indicabimus. II. Ἐπίκρισιν nostram singulis subjiciemus. Vtrumque compendiò & διὰ βραχέων, quia in eo parum situm, Troes illi dicantur an Rutuli, modò Evangelistæ nostri verbis sua constet veritas, & suus orbi situs, nec vel ex Oriente fiat Occidens, vel ab Austro aut Septentrione ducantur illi, quos Matthæus ab Oriente venisse dicit.

II. Præcipuæ super hoc argumento opiniones sunt. 1[a]. Magos illos fuisse *Arabas*, ex Arabiâ Orientali eáque felice oriundos. Fundamenta huius opinionis ducuntur partim ab *authoritate*, partim à *ratione*. *Authoritates* citantur veterum, *Iustini Martyris, Tertulliani, Epiphanij, Cypriani, Hilarij*, aliorum. *Rationes* 1. A vaticiniis propheticis supra allegatis ex *Psal.* LXXII. 10. *Iesa.* LX. 3. Quibus additur locus *Iesa.* VIII. 4. Messiam debuisse capere vim Damasci, Damascum verò Arabum civitatem esse Iustino Martyri & Tertulliano. 2. A muneribus, magorum quæ dubio procul οἰκεῖα & patria. At Arabia auri, Sabæorum regio thuris & odoramentorum ferax, & eo nomine inclyta etiam apud gentiles --*molles sua thura Sabæi*. 3. A donis olim Ceturæ filiis ab Abrahamo datis, quorum posteri Arabię incolæ ea refudêre Christo. *Madian* enim *Epha*, & *Saba* ab Abrahamo ex Ceturâ oriundos, & ad plagam orientalem dimissos fuisse. 4. A vaticinio Balaami in Arabiâ olim edito *Num.* XXIV. Moab enim, secundum *Hieronymum* de locis Hebraicis, Arabiæ civita-

civitatem & regionem esse. 5. A præludio hujus adventus, quod jam olim præcessit in Reginâ Sabâ, quæ 1. *Reg.*x. Hierosolymam eâ ipsâ de causâ, Balaami vaticinio excita, concessit, quod in Salomone impletum suspicata fuerat. 6. A situ Arabiæ, quę Iudææ orientalis. Sic *Tacitus* Histor.v. *Terra finésque quà ad Orientem vergunt Arabiâ terminantur.* Hanc opinionem, & his argumentis tuentur *Baronius* Annal. Eccles. §. xxv. xxvi. xxvii. Ad annum Christi 1. *Stapletonus* in Antidotis Evangelicis ad Caput 11. Matthæi. Quibus accedit *Vincentius Regius.* Diluc. Euang.lib.1. cap.x. *Franciscus Lucas* Brugensis in Matth.11.1.aliíque complures.

III. *Maldonato* rationes Authorum illorum probantur, opinio non item. At si illæ probæ, cur non & illatio, quę ex iis nec immeritò,ut fatetur, ducitur?sin illæ mali commatis,cur illas commendat? Nobis & opinio illa minus probabilis videtur,& argumenta allata,quæ exigui ponderis. Quominus enim opinioni illi subscribamus, duo potissimùm intercedunt. 1. Magorum tum nomen, tum rem nomine designatam apud Arabas inaudita esse, Magos ergo ex Arabia ducere,est Druidas ex Insubribus arcessere. 2. Quando de Arabiâ in N.Testamento mentio,nominatur illa disertè, ut *Gal.*1.17.& IV.25.quod hîc non fit, sed laxâ phrasi dicuntur magi venisse ἀπὸ ἀνατολῶν, ab oriente, quod & Syrus retinet מן מדנחא. Nec sine gravi causâ stylum mutat Spiritus S. quæ hîc vix reddi potest.

IV. Fundamenta etiam illius opinionis infirma & parum solida. 1. Testimonia allegata humana sunt, ficulneis fulta argumentis,quę ut verenda patrum tegenda non detegenda. Adde, patribus illis patres alios opponi posse. 2. Vaticinia illa *Psal.*LXXII.10.& *Iesa.* LX. 3. non de magis potius quàm de aliis quibusuis ex gẽtilibus loqui suprà ostensum. Vt nec locus *Iesa.*VIII.4.ex scopo enim, nexu,& verbis prophetę,& eventu optimo vaticiniorum interprete,clarum, vaticinium ibi proponi de excidio, & excidio propediem sequuturo hostium Ecclesiæ, regnorum nimirum Syriæ & Samariæ. Et sanè anno quarto Achazi à Tiglat-Pelassare, Damasco occupatâ, Syri deportati,& Samarię regnum anno duodecimo destructum à Salmanassare. Mera ergo παρερμηνεία loci prophetici. 3. Ratio à muneribus Christo oblatis, speciosa. At nec regionibus vici-

nis Orientalibus, ſive Perſis, ſive aliis etiam illa defuêre. Aurum merx catholica, & commune bonum. A Sabæis etiam thura vicini facile habere negotiantium permutationibus potuêre, quę jam tempore *Iacobi* in uſu erant. Vide *Gen*. XXXVII. 20. ubi Iſmaelitę aromata, reſinam & ſtacten deferunt in Ægyptum. 4. Argumentum à donis ab Abrahamo datis ſuis ex Cetura filiis, & Chriſto refuſis, precarium, & minus quàm conjecturale. 5. Nec à Balaami vaticinio pręſidium, quod Moabitis & poſt Arabibus omnibus hęſiſſe, & ab illis ad Meſſiam relatum fuiſſe, gratis dicitur. 6. Typus Reginæ Sebæ ἀπροσδιόνυσος. Nec enim illa Sebæ Arabum, ſed Sebæ Æthiopum regina cenſenda. Vnde à *Ioſepho* lib. VIII. *Antiqu*. cap. III. vocatur τῆς αἰγυπτίων καὶ τῆς αἰθιοπίας βασίλισσα, etſi fatendum, regna illa jam antiquitùs diſtinctiſſima fuiſſe, & diverſis principibus obnoxia. Regina illa cæteroquin à Chriſto vocatur diſertè βασίλισσα νότου, *regina Auſtri Matth*. XII. 42. *Luc*. XI. 31. Et revera Æthiopia Iudææ auſtralis erat, non Arabia felix. Aliâs שבא cum ש in Scriptura ſæpe deſignat Arabiam contradiſtinctè τῷ סבא cum ס, quod communiter Æthiopiam notat à Seba Chuſi filio de quo *Gen*. X. 7. Vnde *Pſal*. LXXII. 10. ubi utrumque occurrit, LXX. meritò diſtinguunt, & vertunt voces מלכי שבא וסבא *βασιλεῖς ἀράβων καὶ σαβᾶ*. Et ſanè hoc nomine *Sabæa* vel Arabia felix contradiſtinguitur illi quæ סלע vocatur vel *petræa*, & illi quę קדר atra, tetra, communiter *deſerta* dicitur. 7. Arabiam, felicem maximè, Palæſtinæ Orientalem cum *Tacito* fatemur, ſed illationem infirmam, quia nec ſola Arabia illi talis fuit, nec veſtigium ullum hos magos Arabas fuiſſe.

V. *Alij* contendunt, illos fuiſſe ex Meſopotamiâ regione Palæſtinę Orientali & ex poſteritate Balaami, qui ex montibus Orientis veniſſe dicitur, & tamen interamnas perhibetur. *Num*. XXII. 5. habitans in *Pethor quæ iuxta flumen*, Euphratem nimirum, antonomaſticè dictum flumen ob amplitudinem, prout regio intercepta inter Euphratem & Tygrim Meſopotamia vocata, quaſi μέση τῶν ποταμῶν, Hebræis ארם נהרים, *Syria fluviorum*, & פדן ארם. Padan-Aram. Hæc opinio adſcribitur *Origeni*, *Baſilio*, & aliis, & hac ratione firmatur, vaticinium Balaami de ſtellâ aliquando exoriturâ in gente ejus viguiſſe, & hinc magos ex ejus poſteris ad novi ſideris exſpectationem erectos,

ctos, eo affulgente, in Messiam sibi inquirendum duxisse. Sed & hæc opinio minus probanda videtur, tum quia nomen μεσο-ποταμίας adhibetur in N. Testamento, quando regio illa designatur, ut *Act.* 11.9. & VII.2. tum quia vicina illa fuit Iudæę, verbis vero Evangelistę remotior designatur, tum quia non legimus fertilem fuisse Magis Mesopotamiam. Nec quia Balaamus magus, sequitur, alios in eâdem regione tales fuisse. Adde, Balaamum fuisse magum impostorem, nefandis artibus deditum, cujus successores, siquidem magi censeantur, easdem artes professi fuissent, h.e. nigras & nefandas. Qualia studia à Magis, qui ad Christum confluxêre, in superioribus removimus. Nec vaticinium illud à Balaamo in Mesopotamiâ editum, sed inter Moabitas. Nec credibile ab illo reduce tale quid inter suos sparsum, cujus exitus tragicus satis ostendit illum nefariis studiis inde ab illo tempore ad vitę usque finem vacasse, & meritas tandem, spretis apparitionibus illis & revelationibus insignibus, pœnas dedisse. Non attingo vindicias vaticinii allati, quod non de sidere materiali, sed de spirituali intelligendum constat.

VI. Non defuêre, qui arbitrarentur Magos hos Chaldęos fuisse, oriundos videlicet è terrâ magorum fertili, & quorum tãta copia, ut magi dicti fuerint antonomasticè כשרים *Chaldæi.* Quæ opinio adscribitur *Basilio, Hieronymo, Chalcidio Platonico, Strabo*, aliis. Sed & huic opinioni quędam opponi possunt. 1. Spiritum S. Chaldęorum regionem non nomine adeò laxo & obscuro designaturum fuisse, quæ & vicina erat Iudæis, & notissima. 2. Chaldæam Aquilonarem phrasi Scripturę dici respectu Iudæę. Vnde toties vates sacri malum ab Aquilone Dei populo denuntiant. Hi verò Magi dicuntur venisse ἀπὸ ἀνατολῶν, ab *Oriente.*

VII. Reperêre verò *Monachi* quidam εὕρημα lepidum, quò opiniones dissidentes conciliarent, dum statuêre magos ex diversis regionibus Hierosolymam confluxisse, unum ex Sebâ, alterum ex Tharsis, tertium ex Insulis, eosque ante portam Vrbis Hierosolymitanę sibi fortuitò obviam factos, & collatis sententiis de communi adventus causâ edoctos in novum regem conspirantibus suffragiiis, animis, vocibus inquisivisse. Hoc & maius miraculum arguere, & factum ad pręludium vocationis

gentium ex quibusvis mundi plagis. Atqui 1. hoc gratis confictum, & ἄγραφον prorsus. Nec verò rem adeò miram dissimulasset Scriptura. 2. αἰτίγραφον, tum quia Scriptura de iis loquitur velut de sociis itineris, tũ quia Seba, Tharsis, Insulę in diversis plagis. Hi verò omnes ex unâ venisse dicuntur. 3. Ἄλογον, quî hoc fieri potuit ad prędudium vocationis gentium ex quibusvis mundi plagis, cùm disertè illi dicantur venisse ex unâ tantùm, nimirum ἀπὸ ἀνατολῶν? Miracula ergo non confingenda pro arbitrio, nec extra Scripturam luxuriandum.

VIII. Antequam verò aperiamus, quid hîc sentiendum videatur, Observandum, 1. Spiritum S. in hoc argumento vocibus indefinitis tantùm usum, & aliquoties quidem, dum dicit illos venisse ἀπὸ ἀνατολῶν *ab Oriente*, *vers.* 2. illos vidisse stellam ἐν τῇ ἀνατολῇ, *in Oriente*, idem repetit *vers.* 9. Sic *versu* 12. ubi exprimenda videbatur illorum patria, dicuntur tantùm regressi esse εἰς τὴν χώραν αὐτῶν, *in suam regionem.* Non itaque anxiè cum quoquam contentionis funis super illo argumento trahendus, dummodò illi dicantur venisse ἀπὸ ἀνατολῶν *ab Oriente.* 2. Observandum, τὸ ἀπὸ ἀνατολῶν hîc σχετικὸν esse, & referendum ad Iudęam, eiúsque situm, venisse nimirum Magos ex plaga Orientali respectu Iudææ, cum primis Hierosolymæ. Sic enim S. Scriptura communiter solet mundi climata & cardines efferre, Orientalem, Occidentalem, Australem, & Aquilonarem plagam vocare, quæ talis respectu Iudææ & Hierosolymæ, interdum etiam respectu Sionis & Templi. Sic ים *mare* Occidentem notat sacris Scriptoribus, quia mare mediterraneum ad occidentalẽ plagam Iudęam alluebat. Quod vocatur ים האחרון *mare posterius*, distinctum *à mari Suph*, à *mari salis*, & lacubus Palæstinæ. In Targ יַמָא מערבאה *mare occidentale.* Sic à LXX. ים redditur quandoque per δυσμάς, & ἐπὶ δυσμῶν. Sic *Gen.* 11.8. paradisus dicitur plantatus à Deo מקדם κατ᾽ ἀνατολάς. Sic בני קדם filij Orientis promiscuè dicuntur, qui insederant plagas Iudææ Orientales. Inter quos ob id refertur Iob *Iob.* 1.11. quia regio Hutz erat Orientalis respectu Iudææ. Sic תימן Hebræis *Auster*, meridies. Vt enim Orientem vocabant פנים *facies*, & קדם *partem anteriorem*, Occidentem אחור *partem posteriorem*, sic Iudææ plaga meridionalis ad dextram adjacebat. Hinc תימן νότον LXX. reddunt quan-

quandoque per θάλασσαν, habitâ ratione maris rubri, quod alluebat Iudæam à parte meridionali. Sic, quia Idumęa Iudęæ respectu australis erat, quandoque per תימן à Prophetis designatur. Sic Assyria per צפון *Septentrionem* exprimitur, quia illa Iudææ ad ortum Septentrionalem adjacebat. Sic Sidon vocatur צפון, quia Iudææ aquilonaris erat. Imò ipsa plaga Septentrionalis Iudęis צפון dicta, quia Iudææ incolis abscondita est, ut nobis plaga meridionalis.

IX. His in antecessum præmissis, statuimus, probabiliorem esse illorum opinionem qui arbitrantur Magos hos & Persas fuisse, & è Perside venisse. Authoritates hîc magno numero congeri possunt & veterum & recentiorum. Placuit hoc jam olim maximis viris *Clementi*, & *Cyrillo Alexandrinis*, *Chrysostomo*, *Theodoreto*, *Iuvenco* Poetæ, aliis. Tuentur id ex nostris Summi Viri, *Calvinus*, *Bucerus*, *Beza*, *Aretius*, *Beroaldus*, *Scaliger*, *Pareus*, *Chemnitius*, *Casaubonus*, alii: ex Pontificiis, *Genebrardus*, *Maldonatus*, *Petavius*, aliique complures. Rationes duci possunt huic sententiæ adstruendæ. 1. *A nomine magorum* quod apud Persas potissimùm ab omni ævo pervulgatum. 2. *A situ Persiæ*, quæ Orientalis Iudææ. Vnde *Stapletonus* Geographis ludibrium debet, qui in Antidotis Evangelicis *Calvinum* inter alia perstringit quod dum ex Chaldęâ vel Perside hos magos venisse sustinet, ex Oriente Meridiem & Occidentem fecerit. 3. *A phrasi Evangelistæ*, qui inquit hos magos venisse ἀπὸ ἀνατολῶν, & eo ipso innuere vult regionem remotam à Iudęâ, Orientalem tamen, qualis probabiliter penitior Persiæ vel Medię regio statuí potest. 4. Addi potest ratio probabilis, Persarum Magis hęsisse vaticinia multa de Messiâ è prophetiâ Danielis, & Danieli potius quàm Balaamo hanc lucem deberi, qui & recentior, & pluribus de Messiâ vaticinatus. 5. Adde, Persicum morem à Magis observatum in adorando rege, & accessu cum muneribus, quanvis fatendum, id commune plerisque Orientalibus fuisse. 6. Nec mirum, Persiæ vel Mediæ nomen non hîc exprimi, quod nusquam alibi occurrit in N. Testamento. 7. Nec difficilis hîc munerum oblatorum ratio, aurum enim ex suâ, thus & myrrham vel ex suâ, vel ex vicinâ Arabiâ habere Persarum magi facile poterant.

Et hęc quidem probabiliter de Magorum horum patriâ à

nobis dicuntur. Apodicticæ rationes in hoc argumento nec peti debent, nec exſpectari, cùm nec Scriptura hic præeat, & Spiritus S. indefinitâ & laxâ locutione de eo nos contendere anxiè vetet, quod nec aperire voluit, nec neceſſum judicavit ad fidei noſtræ ſummam.

DVBIA XXV. XXVI.

XXV. De *tempore* adventus Magorũ, quando venerint ad Chriſti nati adorationem. XXVI. De ſenſu verborum verſus 16. *Interemit omnes pueros, &c.* ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω.

EXAMEN.

Varietas opinionum. Prima claſsis, *Magos* poſt purificationem *B. Virginis veniſſe, eaque bipartita.* I. Definita, *Magos biennio demum exacto veniſſe. Authores & rationes.* II. Indefinita Calviſij, *Magos paucis poſt purificationem ſeptimanis veniſſe. Quî B. Virgo tunc Bethleemi. Reiectio utriuſque. Examen rationum. Æquipollentia vocum* παιδίου & βρέφους. *Exempla. Syri & LXX. Interpretum nomenclatio. Differentia* οἰκίας & καταλύματος. *Rationes variæ, cur Herodes bimulos occiderit. Narrationis & temporum connexio diverſa.* Scaligeri *opinio de tempore ortus ſideris.* Maldonati *interpretatio violenta. Senſus* verſus 16. *Cauſa locutionis Spiritus S.* Chemnitius *laudatus. Harmonia temporum.*

Cur

Cur oblatio B. Virginis tenuis. Maldonati *commentum Epiphanio affictum.* Casaubonus *vindicatus à* Petavij *censurâ.* Maldonati κακοήθεια. Secunda Classis, *Magos* intra purificationem *venisse, eaque bipartita.* 1. Definita *Pontificiorum, Magos* XIII. *die à natali Domini venisse. Fundamenta illius opinionis.* Ἐπίκρισις. II. Indefinita. *Magos venisse intra dies* τῶν λοχείων. *Confirmatio huius opinionis, & rationes pro eâ.*

I. DESIGNATIO temporis adventus Magorum, prætermissa à Matthæo, hanc περίστασιν dubiam fecit Interpretibus. Vnde à Veteribus & recentioribus hic in diversa itum. Nos in pauca opinionum celebriorum examen contrahemus, cùm in hoc etiam argumento non inutilis opera ponatur.

II. Opinionum verò varietatem ad duas classes revoco. I. Quidam enim Magos *post purificationem* B. Virginis demum Hierosolymam, & inde Bethleemum delatos arbitrantur. II. Quidam *intra* illam. Vtriusque opinionis Authores linguis adhuc variant & sententiis. *Priorem* quod attinet, *quidam definitè* biennio demum à nativitate Christi Magorum adventum contigisse statuunt. *Alij*, *indefinitè* paucis post purificationem septimanis Christi infantiam splendidâ hac Magorum adoratione decoratam satagunt. Qui *posteriorem* sententiam sequuntur, & illi in diversa eunt. *Alii* etiam *definitè* XIII. à nativitate die Christum à Magis adoratum contendunt. *Alii* contrà *indefinitè* intra dies XL. τῶν λοχείων hunc Christo honorem exhibitum censent.

III. *Primæ* classis opinio *prior*, biennio demum à nativitate Christi Magos adoraturos accessisse, ex Veteribus Authores habet *Epiphanium* Hær. LI. Alogorum, & *Eusebium Cæsariensem* in Chronico. Inter recentiores probatur *Fabro Stapulensi, Beroaldo, Bullingero, Gerhardo Mercatori, Dan. Tossano,* & aliis viris

magnis. Argumenta illorum præcipua ſunt partim *inartificialia*, partim *artificialia*. 1. Chriſtum à Magis adoratum vocari παιδίον, non βρέφος. Illâ verò nomenclatione puerulum alicujus ætatis, iſtâ deſignari infantem qui ἀρτιγέννητος. *Matth.* II. verſ. II. 2. Chriſtum, non inventum à Magis ἐν τῷ καταλύματι, minùs ἐν τῇ φάτνῃ, in præſepi, ſed in domo, in honeſtiori & loco & paraturâ, καὶ ἐλθόντες εἰς τὴν οἰκίαν εὗρον, &c. ibidem. 3. Herodem dici interemiſſe pueros omnes qui erant in Bethleem ἀπὸ διετοῦς, *verſu* 16. idque ſecundùm tempus quod exquiſierat ex magis. Chriſtum ergo fuiſſe παιδίον διετὲς circa illa tempora. 4. Magis digreſſis *verſibus* 13. & 14. Ioſephum ſtatim receſſiſſe in Ægyptum, adeoque purificationi Mariæ ab illo tempore non fuiſſe locum. Illam tamen à B. Virgine non neglectam liquere ex *Luc.* II. 22. 5. Adde, parum probabile eſſe, Herode turbato, & totâ Hieroſolymâ cum eo, Ioſephum & Mariam Chriſtum cum evidenti periculo adducturos fuiſſe Hieroſolymam, & eum Herodis in puerum inquirentis furori objecturos. Imò vix Chriſtum ibi tutum futurum fuiſſe, cùm nō lateret, ſed Simeonis & Annæ prǫconiis pluribus innoteſceret, iſtam enim de eo loquutam fuiſſe omnibus qui expectabant redemptionem in Hieruſalem. *Luc.* II. 38. 6. In die purificationis, B. Virginem non agnum, quod divitum erat, obtuliſſe, ſed par turturum, aut duos pullos columbarum, quod erat indicium rei anguſtæ, non theſauri vel auri ſaltem accepti à Magis. 7. Magos hos è regione remotâ admodum veniſſe, ἀπὸ ἀνατολῶν. Plus itaque temporis in itinere conficiendo ab illis occupatum, adeóq; eos nonniſi poſt purificationem Bethlehemum attigiſſe.

Et hæc etiam fundamenta, ex parte ſaltem, ſunt opinionis *poſterioris* primæ claſſis, aliquot nimirū poſt purificationem ſeptimanis magos adveniſſe, quam tuetur *Sethus Calviſius* Vir CL. ad annum Mundi 3947. qui eò refert etiam quod apud Ioſephum de occiſis Phariſæis, & profectione Antipatri Romam verſus, annuo ferè ſpatio ante mortem Herodis legitur.

IV. *Modum* quod attinet, quî Bethleemi reperta fuerit à Magis biennio poſt partum Virgo ſancta. 1. Quidam cum *Nicephoro* arbitrantur, Ioſephum & Mariam utrobique ædes habuiſſe & in Bethleem, & in Nazareth, adeóq; modò hîc, modò ibi

ibi ſubſtitiſſe. 2. Alij, biennio à nativitate Chriſti Ioſephum & Mariam denuò Bethleemum conceſſiſſe ad inviſendos agnatos. 3. Alij, parentes Chriſti occaſione cujuſdam feſti ſe Bethleemum contuliſſe. 4. *Maldonatus* etiam hanc rationem ex Epiphanio adfert, Ioſephum & Mariam ſingulis annis eo die ex Ægypto in Bethleem venire conſueviſſe.

V. Neutra verò ex his opinionibus probanda videtur, quanvis poſterior, Magos veniſſe paucis poſt purificationem B. Virginis ſeptimanis, longè probabilior ſit opinione *Epiphanii*, & minoribus laboret incommodis. Argumenta, quibus vtraque nititur, levia ſunt, & examẽ accuratum ſuſtinere nequeunt. I[um] *Inconſequens*, ex uſu enim Scripturę ſæpe παιδίον & βρέφος ſunt ὁμοιόσημα. Sic *Luc.* I. 59. Ioannes vocatur παιδίον, & Chriſtus *Luc.* II. 21. uterque circa diem octavum à nativitate, quando vterque circuncidendus erat. Sic qui τὰ βρέφη vocantur *Luc.* XVIII. 15. illi vocantur παιδία *Matth.* XIX. 13. & *Marc* X. 13. παιδία. Æquipollent itaque ſæpe παιδίον & βρέφος ſacris Scriptoribus. Si etiã τὸ βρέφος neceſſariò pro infante recens nato ſumeretur, Petrus non ei adjungeret prædicatum quod adjungit, I. *Epiſt.* II. 2. inquiens nos debere eſſe ὡς ἀρτιγέννητα βρέφη, ut modò natos infantes. Syrus quidem plerunque diſtinguit voces ילידא יליד & טליא, tamen ſynonima facit ἀπὸ βρέφους, II. *Tim.* III. 15. & *Marc.* IX. 21. παιδιόθεν. Vtrobique enim habet מן טליותא *à pueritiâ.* Sic apud profanos Scriptores interdum etiam παιδίον eſt ὃ ἡ τίτθη τρέφει, adeoque tunc eandem ſignificationem habet quam τὸ βρέφος, etſi aliâs voces illas ſæpe diſtingui non diffiteamur. LXX. non utuntur nomine βρέφους, ſed ubique ſubſtituunt παιδίον. Sic παιδία illis Iacobus & Eſavus cum adhuc eſſent in utero materno. *Gen.* XXV. 22. Sic illis παιδίον non tantùm ילד ſed & יונק & עול *infantulus lactens.* Nihil ergo ſolidi ex voce παιδίου colligi poteſt, quaſi ætatem provectiorem in Chriſto notet quàm βρέφος, tunc cum adoratus fuit à Magis.

VI. II[um] Argumentum etiam infirmum eſt & inconſequens. Omne enim κατάλυμα, οἰκία eſt, etſi omnis οἰκία non ſit κατάλυμα. Οἰκία genericum eſt, κατάλυμα ſpecificum. Nihil obſtat, illum inventum ἐν τῷ καταλύματι qui dicitur inventus ἐν τῇ οἰκίᾳ. An mirum etiam diverſos Evangeliſtas diverſis nomi-

nibus usos, unum generico, alterum specifico? aliâs LXX. per *καταλυμα* reddunt Hebræa מסך נוה לשכה מלון quorum quædam generica. *Κατάλυσις* etiam vox affinis, *οἰκία Suidæ*. Adde, illam *οἰκίαν* durante censu potuisse esse *κατάλυμα, καταγώγιον*, quę turbâ hominum exterorum dilapsâ nomen illud ad tempus assumptû, quod in panegyri extraordinariâ sæpe usuvenire solet, exuerit. Magi ergo quia venerunt ἀπογραφῇ jam peractâ, Christum invenisse dicuntur non *ἐν καταλύματι*, sed *ἐν τῇ οἰκίᾳ*, nec in pręsepi amplius, sed in paraturâ honestiore, exteris enim digressis locus commodior dari potuit in diversorio B. Virgini. Adde, non pugnare, illum dici inventum *ἐν τῇ οἰκίᾳ* qui tamen inventus in præsepi, etsi probabilius sit, locum illum commodiore & honestiore mutatum tunc temporis. Nec moramur schemata veterum quorundam, de magorum ad præsepe Christi adventu prolixè rhetoricantium.

VII. III^um Argumentum speciosum videtur & validum, sed videtur tantùm. Multa enim & solida quidem illi opponi possunt. 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Christus circa infanticidium bimulus fuit, ergo & talis circa adventum Magorum. Atqui Herodes differre potuit facinus illud, & variæ causæ intercedere poterant, ut differret, donec videret se frustra aliis rationibus infantem tollere allaborasse. Et sanè immanis illa & inaudita carnificina ab Herode admissa, furentis & desperati prorsus animi argumentum est. Adde, à *Sabellico* non malè statui, Herodem circa illud tempus Romam concessisse, ut filios coram Cæsare affectati regni, & insidiarum sibi structarum postularet, de quo *Iosephus* lib. XVI. Antiqu. cap. VII. dilatam ergo fuisse stragem puerorum ad reditum usque Tyranni. Nec *versus* 16. obstat, ubi carnificina illa videtur connecti immediatè cum discessu magorum animadverso ab Herode. Multa enim in narratione sæpe connectuntur, inter quæ tamen intervallum non modicum intercessit. 2. Adde, supponi *falsam hypothesin*, tempus illud quod Herodes exquisierat ex magis esse referendum ad nativitatem Christi, & non potius ad tempus visi sideris. Atqui disertè habetur *versu* 7. Herodem quæsiisse παρ' αὐτῶν τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος, quò referendum quod *versu* 16. κατὰ τὸν χρόνον ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν μάγων. Dubium vero inter eruditos etiam, annon præcesserit sidus illud nativitatem

tatẽ Domini, quod *Ill. Scaligero* placuit, qui longo intervallo id antecessisse satagit, libro VI. de Emend. Temp. signum enim fuisse rei imminentis non præsentis, & natalem filii Dei *longo tempore ante quàm incideret illo ostento denuntiatum Chaldæis.* Quod quidem jam non disquirimus. 3. Supponi denuò falsam hypothesin, Tyrannum & ejus satellites præcisè temporis rationem habuisse quo natus Christus, & se intra illud continuisse. Quanto probabilius, tyrannum produxisse tempus, ne ullâ ratione evaderet infans quem quærebat, unde & majores illo & minores ætate promiscuè jugulati. Prout & homo sævus non intra Bethleemi ambitum stragem illam coercuit, quanvis Sacerdotum & Scribarum effato comperisset, Bethleemum natalibus Christi decorandam, dicitur enim disertè *versu* 16. illum non tantùm *omnes pueros interemisse, qui in Bethleem,* sed & eos qui ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς, *in omnibus finibus eius.* Vt ergo hic fibulam laxavit suæ crudelitati extra Bethleemum sæviendo, ne fortè in confinio ejus latitaret rex natus, sic & extendit temporis periodum, ne sibi carnificinæ illius fructus periret. 4. Adde, *fallaciâ compositionis* peccari, nec verba κατὰ τὸν χρόνον ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν μάγων necessariò colliganda esse cum vocibus ἀπὸ διετοῦς, sed tantùm cum voce proximâ κατωτέρω, hoc sensu, Herodem jugulari curasse pueros bimulis minores, ad illud usque tempus circa quod ex magis intellexerat natalem Messiæ incidisse. Sic *Euthymius* & cum illo *Iansenius*, *Baronius*, & *Torniellus* non incommodè arbitrantur, Evangelistam verbis illis voluisse significare, strage illâ Tyranni mandato parsum fuisse illis, qui post Christum natum & stellam conspectam à Magis, in lucem editi fuissent, de quibus nulla poterat esse suspicio, & sic Herodem voluisse cædendorum puerorum terminum statuere tempus quod exquisierat à Magis, ne omnes bimis inferiores mactarentur, sed illi tantùm, qui vel multo ante stellæ ortum nati videbantur, vel non ita diu post. Quod bimulos verò adjecit, hoc ad maiorem cautionem factum, ut à *Chrysostomo* jam olim notatum Homil. VII. in Matthæum. 5. Adde, illud κατὰ τὸν χρόνον ὃν ἠκρίβωσε latitudinem non exiguam includere. Evangelistam etiam sapienter laxioribus finibus circunscripsisse carnificinam illam, quia à satellitibus ad illam submissis non solicitè inquisitum in ętatem puerulorum, sed omnes promiscuè &

tumultuariè oppreſſi & jugulati,qui ex habitu corporis nondum bimatum ſupergreſſi videbantur. Nec enim hîc vel ex parentibus de ætate quæſitum, vel illis fides adhibita. Et reverâ bimuli ſatis commodè diſtingui poſſunt ab infantibus qui ætate minores,quia tunc certus quidam velut flexus naturæ,& illi circa illam ætatem & loqui incipiunt & gradi. 7. *Auguſtinus* etiam bimulos occiſos ab Herode ait, quia *timebat ne puer, cui ſidera famulantur, ſpeciem ſuam paulò ſuprà ætatem vel infrà transformaret, ut ætatem ſui temporis occultaret, ideò videtur pueros à bimatu uſque ad pueros unius diei interfeciſſe.* Et hoc eſt quod notant *Gagnæus* & *Franc.Lucas*, ne valentiore corpore, vel ἡλικίᾳ quę ætatem excederet, carnificum manus effugeret. 8. *Caſaubonus* etiam non abſurdum judicat, magos, qui Dominum nondum viderant, cùm hoc ab illis quæſivit Herodes,hoc tantùm ſciviſſe,natum eſſe regem mundi Dominum,idque in Iudæâ,tempus præcisè neſciiſſe, quando eſſet natus. Addamus, Herodem fortè metuere potuiſſe, ne vel ante conſpectam à magis ſtellam natus eſſet, vel à magis hac in parte æquè ſibi illuſum fuiſſet,ac in promiſſione de reditu factâ quidem, non adimpletâ tamen: ſed difficilis ætatis diſtinctio eſſe poterat apud homines furentes,& promiſcuis cædibus in obvios infantes graſſantes. 9. *Maldonati* interpretatio, cruda & violenta, κατὰ τὸν χρόνον, *ſecundùm tempus* idem eſſe quod *ante tempus*. Hæc omnia liquidò oſtendunt, non ſequi ex *verſu* 16. Chriſtum circa tempus adventus Magorum fuiſſe παιδίον διετές.

VIII. IV^um Argumentum ductum à fugâ Ioſephi in Ægyptum, eiúſque connexione cum diſceſſu magorum ex verſibus 13.& 14. infirmum eſt. Nam 1. ſupponitur falſa hypotheſis, eâdem narratione conjuncta, eodem tempore contigiſſe, quod falſum in univerſali. Exempla paſſim obvia. Hiſtoria ergo purificationis de quâ *Luc.*11. quę brevi poſt magorum diſceſſum probabiliter contigit,intercedere potuit inter diſceſſum Magorum, & fugam in Ægyptum. 2. Probabile etiam, tum demum divinitus monitum Ioſephũ ab Angelo Domini, cùm Herodes ſe deluſum à magis putaret, & ob elogia & vaticinia Simeonis & Hannæ, & famam de Chriſto in purificatione B. Virginis,& poſt illam Hieroſolymæ ſparſam,majus ſibi periculum imminere exiſtimaret. Hinc probabile,tyrannum magis exar-

exarsisse, adeoque nefariam illam carnificinam molitum fuisse. Optimè ergo *Chemnitius* Vir Doctissimus harum Historiarum Harmoniam ita contexit, *Digressis autem Magis, & cùm perfecissent omnia secundùm Legem Domini, Ecce Angelus Domini apparet in somnio Iosepho &c.* Connectenda itaque arbitramur immediatè χρηματισμὸν, & obsequium Iosephi, eiúsque fugam, non verò discessum Magorum & χρηματισμὸν, sed inter illa interserendam purificationis Historiam, quod sequuntur etiam ex Pontificiis *Iansenius* & *Petavius*, ex nostris *Calvinus* aliique.

IX. v^um argumentum inconsequens pariter & infirmum, quia Iosephum & Mariam latere poterat ταραχὴ oborta Hierosolymæ, quæ æquè occulta esse poterat ac Herodis terror, quem vtique Tyrannus minimè prodebat, ut Tyranni magnam sui fiduciam præ se ferunt, etsi palpitent intus & tremant. 2. Adde, præconia de Messiâ, & paucorum fuisse, & sensim cum tempore divulgáta, & aures Herodis nonnisi tunc feriisse, postquam parentes Christi omnia perfecêre secundùm Legem. Et supponit gratis *Calvisius*, Herode propter clandestinam Magorum fugam furente, parentes Christi se Hierosolymam contulisse. Imò antequam id innotesceret Herodi, purificationis iura exoluta, & ex famâ de Christo eâ occasione latius sparsâ Herodis rabies exarsit. 3. Adde, protectionis divinæ vim satis superque immunem præstitisse Christum à sævitiâ Herodis.

X. vi^um Argumentum ductum ab oblatione tenui B. Virginis inconsequens. 1. Supponitur, non probatur thesauros & ingentem auri vim à Magis Christo oblatam, quod nec Scriptura docet, nec ratio. 2. Aurum acceptum ab hominibus in re tenui constitutis ad innumeros usus expendi potuit. 3. Adde B. Virginis oblationem congenerem fuisse conditioni tenui in quâ constituta erat, utpote μνησθεῖσα homini de plebe, nec enim aurum effecerat, quominus meminisset suæ sortis virgo aliena à fastu. 4. Omitto, quæ addunt alij, B. Virginem maximam auri partem in pauperes erogasse, eam etiam providam fuisse in comparcendo viatico ad iter Ægyptiacum, quia illud gratis dicitur, istud præter rem, cùm nondum innotuisset B. Virgini vel causa vel necessitas itineris istius suscipiendi. Spiritus S. inspiratio hîc fingi potest, probari non item. vii^um Argumentum inconsequens pariter, tum quia regio ex quâ Magi

oriundi, remota quidem fuit, non tamen remotissima: tum quia triginta & aliquot dierum spatio ingens iter sine difficultate confici potest. Prætermitto vehicula quæ ab illis hîc conquisita qui intra decem vel undecim dies iter à Magis confectum contendunt.

XI. Opinione illâ *Epiphanii*, & sequacium eversâ, de *modo* frustrà anquiritur, vel litigatur, quî B.Virgo cum Domino Bethleemi biennio elapso reperta fuerit? Adde 1. *Nicephori* opinionem precariam esse, imò falsam, & contrariam tum paupertati Iosephi & Mariæ, tum narrationi Lucæ illos hospitatos fuisse Bethleemi non tantùm in diuersorio, sed & inter sordes in loco incommodo. 2. Conjecturæ reliquæ inanes & sine fundamento, Iosephum & Mariam Bethleemum biennio à nativitate Christi concessisse. Nulla enim causa cur illuc concederent, ubi adeò duriter habiti, & quò nonnisi Cæsaris edicto evocati concesserе. Festa etiam non Bethleemi, sed Hierosolymæ celebrari solita, notum & pervulgatum. 3. *Maldonati* commentum quod non ex Epiphanio ducit, sed ei affingit, meritò jugulatur à *Casaubono*. Et *Petauius* ipse fatetur ad Hæresin LI. Alogorum à Maldonato id Epiphanio tributum, quod & *absurdißimum est, hec vel levißimè ab eo cogitatum*. συλλιπευτικὰ verò quæ *Casaubonus* illâ occasione congerit in Maldonatum frustrà amolitur, & regerit *Petavius* in Casaubonum. Non sanè Maldonatus ob hallucinationem, quæ cuivis contingere potest, proscindendus erat, nî gravissimis passim & virulentissimis maledictis sanctissimorum & eruditissimorum virorum manes levissimis de causis & falsis ut plurimùm invaderet.

XII. *Posteriorem* sententiam quod attinet, eorum nimirum qui arbitrantur Magos Bethleemum venisse *intra* purificationem, & illa, ut dictum *Sectione* II. bipartita est. Quidam enim *definitè* XIII. die à nativitate Christi id contigisse contendunt, quidam *indefinitè* id intra purificationis & τῶν λοχείων dies accidisse censent. *Priorem* opinionem sequuntur & tuentur plerique ex Interpretibus Pontificiis, ob morem receptum in Ecclesiâ Romanâ festum illud celebrandi VI. Ianuarij, quâ die & Christum baptizatum contendunt, & primum à Christo miraculum patratum per conversionem aquæ in vinum. Fundamenta hujus opinionis ducuntur, 1. A traditione veteri. 2. Ab autho-

authoritate Patrum multorum, ſtatuentium Magos Chriſtum adhuc reperiſſe in præſepi. 3. *A phraſi Matthæi*, qui connectit natalem Chriſti, & adventum magorum τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος &c. ἰδοὺ μάγοι παρεγένοντο, quaſi vel nullum vel modicum admodùm intervallum inter utrumque interceſſerit. Sic *Maldonatus* huc refert exempla *Gen.* XXIX. 9. *Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ovibus patris ſui.* Et *Gen.* XXVI. 13. *Necdum intra ſe verba compleverant, & ecce Rebecca egrediebatur.* Hæc opinio in eo probanda, quod adventum magorum intra dies τῶν λοχείων coercet, in eo improbanda quod diem temerè definit, & ſine fundamento. Nec enim vel primæ antiquitatis authoritas hìc præit, vel Patrum ſuffragia conformia ſunt, aut valida; quippe quorum multi indefinite de eorum adventu loquuntur: præterquam quod quidam rhetoricantur duntaxat, quibus præſepe Chriſti ſchematum variorum officina ferax fuit, & apta ad πάθη varia in Auditorum vel Lectorum animis commovenda. Nec ſequitur, tametſi Magi Chriſtum dicantur inveniſſe in præſepi, id præcisè factum XIII. die. Phraſis etiam Matthæi & connexio natalis & adventus Magorum hoc duntaxat innuit, non multò poſt id factum: ſed diem decimumtertium non magis definit quàm quintum vel decimum. Imò, ſi vexentur verba Evangeliſtæ, opus foret Magos vix nato Chriſto acceſſiſſe. Adde, τὸ ἰδοὺ, ſæpe μεταβατικὸν duntaxat eſſe, ſæpe σημαντικὸν ἀξίας, ſæpè συγκαταθέσεως ἐπίῤῥημα, ſæpe aliis ſignificationibus & quidem diverſimodè adhiberi.

XIII. Nos itaque *poſteriorem* opinionem præferendam cenſemus, quæ ſtatuit, Magos Bethleemum veniſſe *indefinite* intra XL. dies τῶν λοχείων, & quidem circa illorum finem, diem verò non definit. Rationes ſunt. 1. Quòd præſtet ἐπέχειν quàm temerè definire, quod Scriptura non definit. 2. Quòd parum probabile ſit, Magos tam paucorum dierum ſpatio ἀπὸ ἀνατολῶν Bethleemum deferri potuiſſe, præſertim cum aliquot minimùm dies Hieroſolymæ illis tranſactos conſtet. Miraculum hìc fingere, vel dromedariorum & camelorum velocitatem urgere, eſt conjecturis niti, non rationibus. Magorum etiam profectionem ante Chriſti natalem ſtatuere, eſt Evangeliſtæ contradicere, qui ſidus cœleſte non naſcituri, ſed nati Chriſti ſignum facit. Concludunt enim Magi ex ſtellæ apparitione

eum non naſciturum, ſed natum eſſe. 3. Sic juſtum datur ſpatium itineri Magorum è regione remotâ, qualis phraſi ἀπὸ ἀνατολῶν deſignatur, conficiendo.

XIV. *Intra purificationem* verò Magos veniſſe probari ſolidè poteſt. 1. *Ex phraſi Evangeliſtæ*, quæ indicat non ita diu poſt Chriſti natalem Magorum adventum dilatum. Vtitur enim Matthæus participio aoriſto, non perfecto, nec dicit illos veniſſe τοῦ Ἰησοῦ γεγεννημένου, ſed τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος, quod non immeritò à Viris eruditis urgetur, ſignificat enim actum recenter editum. Sic iidem Magi quærunt ποῦ ἐστὶν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, non ὁ τετεγμένος, ſed ὁ τεχθεὶς, h.e. ἀρτιγενής. 2. *Syrus* utitur formâ loquendi geminâ, כד דין אתילד *quum autem natus eſſet*, &c. non poſtquam natus fuit. 3. Idem probatur ex loco, ubi Magi repererunt Meſſiam, nimirum Bethleemi, adeoque intra dies τῶν λοχείων, quibus cogebatur ſe continere poſt partum, ſecundùm Legem. Poſt purificationem enim, ut perfecerunt omnia ſecundùm Legem Domini, dicuntur parentes Chriſti reverſi fuiſſe in Galilæam, in vrbem ſuam Nazareth. *Luc.* II. 39. 4. Adde, tempore adventus Magorum nuntium de nativitate regis Iudęorum à Magis allatum tanquam inauditum quid Herodis & Hieroſolymitanorum aures & feriiſſe, & turbaſſe ſimul. Si verò juſtis operata fuiſſet B. Virgo Hieroſolymę poſt dies τῶν λοχείων, ante Magorum adventum, ex Simeonis & Annæ pręconiis jam ante rumor de Ieſu Nazareno, & magnificis ejus elogiis Hieroſolymę percrebuiſſet, *loquebatur* enim *Anna de eo omnibus qui expectabant redemptionem in Hieruſalem. Luc.* II. 38. 5. Adde, ſatis firmiter probari poſſe, Herodem non ita diu Chriſto nato ſuperſtitem fuiſſe. Cùm verò Magorum adventus Herode adhuc rerum potiente, contigerit, certum, illos non biennio demum elapſo in Iudæam veniſſe. 6. Addunt alij, Ieſum Hieroſolymis à Simeone jam tunc vocari lumen εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν, & gloriam populi Iſrael, adeoque eum jam ante manifeſtatum fuiſſe partim gentibus in perſonâ Magorum, partim Iudæis in perſonâ Paſtorum, qui ab Angelo moniti ad cunas Chriſti acceſsêre. Sed hæc ratio parum firma, quia Simeonis verba prophetica magis ſunt quàm hiſtorica, & futuram gentium & Iudæorum vocationem potius reſpiciunt, quàm

obſequia

obsequia Christo sive à pastoribus, sive à Magis jam exhibita. Et hæc de tempore adventus Magorum disputata sunto.

DVBIVM XXVII.

Qualis fuerit *Stella* illa quæ apparuit *Magis* Matth. II. 2?

EXAMEN.

Falsæ opiniones. I^a. Stellam *illam fuisse* Spiritum Sanctum. *Rejicitur.* II^a *Fuisse* Angelum. *Rationes ejus. Rationum confutatio. Loci* Apoc. I. 20. II. Reg. II. II. & VI. 17. *&* Psal. CIV. 2. *declarati.* III^a. *Fuisse* θείαν δύναμιν. Ἐπίκρισις. IV^a. *Fuisse* Stellam *sive* fixam, *sive* erraticam. *Rationes. Argumenta contraria* artificialia *&* inartificialia. Maldonati ἔνστασις. *Solutio. Examen rationum oppositarum. Nomenclatio rerũ quotuplex in Scriptura. Causa cur vocetur hoc* φαινόμενον *Stella. Loci* Apoc. I. 16. VIII. 10. 12. *Gen.* I. 16. *declarati.* V^a *Fuisse* Cometam. *Rationes. Rationes oppositæ. Opinio* Tychonis Brahæi & Ioh. Keppleri *de Cometarum ortu & situ. Examen rationum quintæ opinionis.* VI^a *Opinio, quæ & probatur & confirmatur. Commenta quædam reiecta.*

I. PROLIXAM hoc argumentum Dissertationem exigeret, si non Theologorum tantùm, sed & Astrologorum omnium commentationes & placita hic vel referenda nobis, vel re-

fellenda forent. In eo itaque potissimùm laborandum, ut materiam novæ Iliados feracem in pauca contrahamus. *Duobus* verò *capitibus* institutum nostrum exequemur. I. Ostendemus *κατ' ἄρσιν*, quid non fuerit *ἀστὴρ* ille, de quo Matthæus. II. *κατὰ θέσιν*, quid fuerit. Vtrumque compendiò, & sine prolixâ & anxiâ Authorum citatione, indicatis solùm, non extensis rationum præcipuarum momentis.

II. *Opiniones*, quæ ad primum caput pertinent, vel *falsæ* penitùs sunt & *absurdæ*, vel *minus probabiles*. Illas verbo, istas paucis perstringemus. I^a^ *Opinio*, Stellam illam fuisse *Spiritum S.* qui hîc stellæ, in Baptismo Christi, columbæ, in Pentecostes festo, linguarum dispertitarum speciem induerit. *Act.* II. 3. *Resp.* Duo posteriora in Scripturâ expressa esse, prius & gratis confictum & parum necessarium ibi, ubi nullum Spiritus S. apotelesma. II^a^ *Opinio* Stellam illam fuisse *Angelum*, qui hîc stellæ speciem, ut Angeli stellarum nomen, *Apocal.* I. 20. induerit. Nec magis absurdum esse, Angelũ hîc stellæ formâ apparuisse, quàm Angelos olim curruum igneorum, & equorum igneorum specie, tempore Eliæ, II. *Reg.* II. II. & Elisæi II. *Reg.* VI. 17. conspectos. Deum etiam facere *Angelos suos ventos, ministros suos ignem flammantem*. *Psal.* CIV. 4. *Resp.* I. Opinionem hanc esse precariam & *ἄγραφον*. 2. *Ἀντίγραφον*, repugnat enim tum nomen, quia vocatur *ἀστὴρ*, non Angelus: tum attributa stellæ illi adscripta. 3. Angelorum apparitiones non dissimulari in Scripturâ vel occultari ubi illæ exhibitæ. Hîc verò non Angeli, sed astri mentio. 4. Distinctis apparitionibus Deum Christi natalem & pastoribus manifestasse, & Magis, illis per Angelum, istis per stellam. 5. Angelorum apparitiones non mutas esse, sed vocales. 6. Citatio ex *Apocal.* I. 20. tum *absurda* est, quia notũ, non ibi de Angelis Spiritibus, sed de Angelis Ecclesiarum ministris sermonem esse, tum *inconsequens*, quia *ἐπεξήγησις* ibi subjicitur, *septem stellas esse Angelos septem Ecclesiarum*, apud Matthæum non item. 7. Exempla ex II. *Reg.* II. II. & II. *Reg.* VI. 17. parum vrgent, tum quia *τὸ ἀμφισβητούμενον* ponitur pro probato, currus & equos igneos Eliç & Elisæo exhibitos, Angelos fuisse, imò in Historia Eliç paulo post describuntur per סערה *λαίλαπα, κλύδωνα*, per quem Elias in cœlum raptus: tum quia ex *prædicato* quòd *ignei* dicuntur, liquet, veros

currus

currus & equos nec fuisse, nec esse potuisse. Alia verò hîc subjecti de quo agitur ratio. 8. Peccatur παρερμηνεία loci *Psal.* CIV. 2. Sensus enim Psaltis, non Angelos vel ventorum vel ignis flammantis specie apparere, sed Deum uti & ventis & fulgure & meteoris omnibus instar Angelorum & suæ voluntatis nuntiorum, vel Deum Angelis suorum judiciorum administris æquè liberè uti ac meteoris quibusvis. 9. Nusquam alibi stellarum corpora ab Angelis assumpta leguntur. III[a] *Opinio*, Stellam illam fuisse θείαν quandam δύναμιν, *divinam virtutem. Resp.* 1. Confundi *causam*, & *effectum*, divinam virtutem, quæ ut vis quędam agendi à nobis ἀνθρωποπαθῶς in Deo concipitur, & hoc nomine propriè designatur, cum apotelesmate ejus. 2. Quæstionem redire, qualis fuerit illa virtus divina.

III. IV[a] *Opinio*, Stellam illam fuisse unam ex illarum numero quæ in initio Mundi creatæ, sive *fixam* ex octavo orbe, sive *erraticam* ex orbibus inferioribus. 1. Ob *nomen*, quia constanter stella vocatur. 2. Ob *attributa* conformia, quia lumen illi adscribitur & motus. Sed nec huic sententiæ accedere possumus, tum *ob verba* Magorum apud Evangelistam, tum *ob rationes* & complures, & graves, quæ hîc intercedunt, & contrarium suadent. *Verba* Magorum repugnant, *tum* quia stellam illam vocant ἀστέρα Regis modò nati. At stellæ in initio mundi creatæ nullius individui δεικτικαὶ, nulli vel obnoxiæ, vel affixæ: *tum* quia dicunt se illam *vidisse* h.e. videre & observare cœpisse. Reliqua verò sidera ab illis, utpote in astrorum scientiâ versatis, diu ante conspecta & observata. Repugnant verò etiam *rationes* multæ ductæ, 1. *A novitate apparitionis*, quia stella illa nunquam ante visa, nec cognita, stellæ verò & fixæ & erraticę diu ante Magis observatæ, nec tamen ob illas se in viam dedêre. 2. *A tempore apparitionis*, quia non noctu tantùm fulsit, sed & interdiu. Atqui stellarum tum fixarum, tum erraticarum lumen interdiu ab intensiore & majore Solis, oculis nostris subducitur, solo Lunæ lumine excepto, quę quandoque conspicua ob vicinitatem & proximitatem. Stellæ itaque illius lumen intensissimum vel proximum. 3. *Ab anomalia apparitionis*, quia modò apparuit, modò disparuit per œconomiam prorsus extraordinariam, quæ in stellis alijs non observatur. 4. *A spe-*

cie motus, quia mota fuit motu non circulari, ſed recto & plano, prævivit enim Magis ſive ex Oriente Hieroſolymam, ut plerique contendunt, ſive Hieroſolymâ ſaltem Bethleemum. At ſtellarum motus circularis, eæque vel aſcendunt, vel deſcendunt. 5. *A linea motus*, ſi enim illorum ſententia locum habeat, qui volunt Magis præluxiſſe ſidus illud ex patriâ illorum Hieroſolymam verſus, primò motum fuit ab Oriente in Occidentem, quippe quod viſum fuit in regione Orientali Iudææ reſpectu. Sin dicatur, ſidus illud apparuiſſe tantùm in Oriente, & denuò conſpectum poſt diſceſſum ipſorum ab Herode, ſemper motus ille alius fuit à motu ſtellarum, cùm enim Hieroſolyma Septentrionalis ſit Bethleemo, ſemper ſidus illud unâ cum Magis à Septentrione Meridiem verſus motum fuit. Nihil tale unquam in ſideribus aliis obſervatum, quæ, ſecundùm vulgarem Aſtronomorum & Phyſicorum doctrinam, vel motu alieno, primi mobilis videlicet, moventur ab Oriente in Occidentem, vel motu proprio ab Occidente in Orientem. 7. *Ab interruptione motus*, quia modò motum fuit hoc ſidus, modò ſubſtitit certo loco. Stellarum verò ſive fixarum, ſive erraticarum motus perpetuus, & non interruptus. 8. *A tarditate motus*, hoc enim aſtrum ſe promovit motu lento & accommodo ad motum Magorum, προῆγεν αὐτοὺς, aliâs enim præire non potuiſſet illis in itinere. Motus verò ſtellarum & fixarum & erraticarum velocior eſt & rapidior, ſive alienus, ſive proprius. 9. *A ſitu eius*, quia humilis admodum fuit, & terræ vicinus, utpote aptus curſui Magorum in biviis & triviis dirigendo, & ſive Iudææ deſignandę, ſive Bethleemo ſaltem, & domui in quâ natus Chriſtus. Quod miniſterium nulla ex ſtellis nec fixis, nec erraticis pręſtare ob ſummam earum elevationem potuit, unde ex æquo terram deſpectant, nec ab illis linea duci poteſt ad certam regionem, minus viam, vel domum deſignandam. 10 *A tempore durationis*, quia poſt miniſterium Magis pręſtitum ſtatim evanuit, nec unquam amplius viſa fuit. Corpora verò cœleſtia *incorruptibilia ab intrinſeco*, & eadem hodie quę in creationis initio. 11 *A fine*, quia debuit novum aliquid portendere Magis, diſtinctum ergo corpus eſſe oportuit à ſtellis tum fixis tum erraticis aliis. Quædam ex his jam olim *Patribus* Veteribus obſervata, *Auguſtino*, *Chryſoſtomo*, aliis.

IV. *Mal-*

IV. *Maldonatus* excipit, talia argumenta probabilia eſſe, non neceſſaria. Eum enim, qui fecerat aliquando ut ſol ſtaret, aliquando ut retrorſum reverteretur, facere potuiſſe, ut vera ſtella ſtatione naturali relictâ iſthæc præter naturam ſuam officia præſtaret. Sed hoc eſt σκιαμαχεῖν. 1. Non quęritur, quid potuerit à Deo fieri, ſed quid factum fuerit. 2. Deus, ut fatetur ipſe *Maldonatus*, miracula facere non ſolet ſine neceſſitate, minùs multiplicare. Pluribus verò hîc miraculis opus. 3. Stella in hunc modum & demiſſa, & inflexa, & *ſolis rotam decore vincens ac lumine* naturam neceſſariò mutaſſet, non officium tantùm. 4. Convenientior origo poteſt aſſignari, & minus obnoxia abſurdis. 5. Ejuſmodi ſtella ex octavo Orbe, vel inferioribus etiam planetarum demiſſa in inferiorem aëris regionem ob ſummam ſuam molem omnium oculos in ſe convertiſſet, quod tamen non legimus accidiſſe. Imò ſtella, quæ tantæ molis, non magis potuiſſet eſſe δεικτικὴ unius regionis quàm alterius, minus unius vici, vel domus. Hinc liquet corpus quidem lucidiſſimum fuiſſe, ſed tamen exiguæ molis.

V. *Rationes* pro hac ſententiâ allatæ exiguę ſunt & leves. *Ad* 1. *Reſp.* Nomenclationem Scripturæ ſæpe rebus tribui κατ' ἀλήθειαν ſecundùm earum *veritatem*, ſæpe κατὰ φάσιν, ſecundùm earum *apparentiam*, ſæpe κατὰ δόξαν ſecundùm *hominum* de iis *opinionem.* Vocatur itaque hoc φαινόμενον ἀστήρ. 1. Ob *figuram*, quia corpus rotundum erat & ſphæricum. 2. Ob *lucem*, quia lucidum. 3. Ob *ſitum*, quia in loco ſuperiori. 4. Ob *motum*, quia movebatur, inſtar aſtri cujuſdam. 5. Ob *opinionem Magorum*, quia illis videbatur ſidus. Et revera magis accedebat ad ſideris quàm ad corporis alîus naturam. Sic *Angeli* ſæpe vocantur *Viri:* Sic φαινόμενα quę in manibus Chriſti, *ſtellæ. Apoc.*I.16. Sic illud quod videbatur cecidiſſe è cœlo, ſtella magna, *Apoc.*VIII.10. 12. Sic *Luna* luminare *magnum* præ aliis ſideribus. *Gen.*I.16. Multi *juſti, ſapientes*, ſuâ, vel aliorum opinione. Evangelium & ejus prædicatio μωρία τοῦ κηρύγματος, 1.*Cor.*I.21. Tota Scriptura id genus exemplis referta. *Ad* II. *Reſp.* Attributa luminis & motus, vel *generica* intelligi, vel *ſpecifica:* ſi *generica*, illationem falſam eſſe, ſi *ſpecifica*, falſum id, ex quo ducitur illatio. Aliud enim lumen, motus alius ſtellarum, lumen aliud, motus alius hujus ſideris. Et notum, propoſitiones univerſales affir-

mativas non converti ſimpliciter. Omnes ſtellæ, ſive fixę, ſive erraticæ habent lumen & motum. Ergo quod habet lumen & motum eſt ſtella ſive fixa, ſive erratica.

VI. v^a. *Opinio*. Stellam illam fuiſſe Cometam, probatur 1.° A *figurâ*, quia fuit corpus lucidũ. 2. A *ſitu*, quia in aere ſuſpẽſum. 3. A *motu*, quia habuit motum anomalũ. 4. Ab *apparitione*, quia Cometæ inſtar modò apparuit, modò diſparuit. 5. A *duratione*, quia ad certum tempus tantùm duravit. 6. A *ſignificatione*, quia fuit ſignum præſagum eventus futuri. Hæc opinio tolerari poteſt, ſi *Cometæ* nomen *laxè* ſumatur pro quovis meteoro extraordinario in aëre & ſuſpenſo & accẽſo: ſin *ſtrictè* ſumatur, hic ἀςὴρ non poteſt vocari Cometa. 1. Ob *differentiam cauſæ efficientis*. Cometarum cauſæ naturales. Hujus ſideris cauſa ſupernaturalis. 2. Ob *differentiam ſitus*. Cometæ in ſuperiori aëris regione ordinariè conflantur, unde ad motum primi mobilis moventur, nec poſſunt indices eſſe certi loci. Hæc ſtella in inferiori regione conſpecta, index quippe & viæ certæ, & urbis, & domus. 3. Ob *differentiam motus*, quia Cometæ circumrotantur motu primi mobilis eoque circulari, qualem non habuit ſtella iſta quæ ad Magorum motum movebatur. 4. Ob *differentiam apparitionis*, quia Cometæ diſparent interdiu. Stella verò iſta interdiu etiam Magis viſa. Cometę nõ interdũ vidẽtur, interdũ non. Atqui ἀςὴρ hic modò diſparuit, modò apparuit. 5. Ob *differentiã durationis*. Cometæ durant uſq; ad materię ſuæ conſumptionẽ, & primò majori mole apparẽt, poſt pro materiæ decremẽto & abſumptione vel reſolutione, ſenſim minore, donec planè abſumpti ſint vapores, ex quibus ſunt concreti. At ἀςὴρ iſte ſemper æqualem obvertit faciem Magis, aliâs in eo diſcernendo laboraſſent. Sic duravit tantùm ad illud uſque momentum, quo attigêre domum in quâ Chriſtus hoſpitabatur. Nec iis reducibus præiviſſe in patriam legitur, quippe qui divinitus edocti de viâ aliâ inſiſtendâ. 6. Ob *differentiam ſignificationis*. Cometæ habent ſignificationes naturales & determinatas: nec deſignant caſus ejuſmodi ſpeciales, nativitatem, ſedem hujus vel illius individui: Nec fauſta ſunt omina, ſed ſcæva, & triſtia. Hic per hoc aſtrum, deſignatione ὑπερφυσικῇ prorſus, unius individui nativitas deſignata, & ſedes, & domus & Dominus conjunctim, eaque omnia

nia felici admodùm & fausto omine. Vnde patet totám ejus constitutionem non naturalibus causis adscribendam, sed directioni causæ superioris. Multò minus verò hoc sidus quod præluxit Magis *Cometa* vocari poterit, si *Tychonem Brahæum* summum seculi nostri Mathematicum sequamur, qui pluribus demonstratum it, Cometas ut plurimum supra Lunam in ipso æthere & concrescere & apparere. Cui sententiæ accedit *Ioh. Kepplerus* in Physiologia Cometarum, qui id ipsum, rejectâ Aristotelis sententiâ de ortu cometarum ex vaporibus sublunaribus, tuetur, & contendit Cometas in ipso sinu æthereo oriri, nec minus ętherem Cometis refertum esse, quàm Oceanum piscibus, minùs verò apparere ob ingentem ætheris vastitatem. Vt enim videantur, opus esse propius terram trajiciant, quando verò in profundum ætheris feruntur, eos paulatim minori angulo cerni & tandem evanescere. Vt plurimùm etiam condi radiis Solis. Quę omnia alienissima sunt à Scholę peripateticę placitis, quæ generationum & corruptionum circulationes ab æthere amolitur. Sed nos litem hanc nostram non facimus. Quicquid sit, sive Peripateticorum, sive Astronomorum horum sententiam super Cometarum natura & situ sequamur, hoc sidus, quod Magis prævivit, Cometa vocári propriè nequit.

VII. *Rationes* pro opinione contrariâ allatæ, leves sunt & evanidæ. 1ª *Inconsequens*, quia procedit affirmativè à genere ad speciem. Et stellæ corpora lucida, & ignis elementaris, nec tamen *Cometæ*. 2ª. Itidem *inconsequens*, tum quia non omne quod in aere suspensum, Cometa est, tum quia Cometæ, ut dictum, in superiori aëris regione ordinariè conflantur, stella ista in inferiori hæsit. 3ª Retorqueri potest, quia etsi cometarum motus sæpe anomalus, alius tamen & extraordinarius planè hujus stellæ motus fuit, ex peculiari causæ primæ directione, non ex materię conditione, vel primi mobilis circunvolutione pendens. 4ª 5ª & 6ª *Infirmæ*, nam & apparitionis simul ac durationis & significationis Cometarum & stellę istius diversitas Sectione superiore satis supérque ostensa.

VIII. Restat, ut opinionibus vel falsis manifestè, vel minus probabilibus saltem rejectis, κατὰ θέσιν ostendamus, quid de sidere illo sit sentiendum. Omnibus verò expensis hęc sen-

tentia tutissima videtur, hanc stellam fuisse corpus lucidissimũ, sed exiguæ molis, à Deo extraordinariè non in cœlo æthereo sed aëreo, eiúsque regione inferiore formatum, sive per creationem *immediatam*, sive per *mediatam*, & motu arbitrario pro Dei voluntate motum, ad designationem eventus extraordinarij, & directionem itineris Magorum ad domum & Dominum, quod ministerio illo præstito pro Creatoris voluntate disparuit, sive per annihilationem, si *immediatè* creatum dicatur, sive per resolutionem in materiam ex quâ compactum erat, si *creatione mediatâ* productum statuatur. Quemadmodum & in V. Testamento ejusmodi φαινόμενον ad consolationem & directionem populi Israelitici à Deo formatum, *columna* nimirum *nubis & ignis*, cujus formatio extraordinaria erat, & motus, & duratio. Hæc opinio & *nomini* convenit in Scripturâ notato, ad stellæ enim cœlestis similitudinem accedebat ob situm, lucem, motum, & *attributis* corpori illi adscriptis, & sic ratio reddi potest, quî potuerit eventum extraordinarium hominibus astrorum peritis designare, quî eos vel in Iudæam ducere, vel Bethleemum saltem, & ad certam domum, quod fieri non potuit nisi sensim se demiserit, & exiguæ molis fuerit; etsi ob proximitatem magnum videretur. Sic etiam liquet, quî interdiu fuerit conspectum, quî modò apparuerit, modò disparuerit, modò promotum fuerit, modò suspensum. Quæ omnia sine directione extraordinariâ salvari nequeunt. Ad hanc sententiam accedunt inter alios, *Origenes*, *Augustinus*, *Damascenus*, & *Thomas* part. III. *Quæst*. XXXVI. *Artic*. VII. fuisse stellam de novo creatam non in cœlo, sed in aëre terræ vicino, quæ secundùm divinam voluntatem movebatur.

IX. Commenta multa febrilia hominum otiosorum hîc prętermittimus, qui narrationibus gratis confictis extra Scripturam luxuriant, qualia sunt quę de figurâ hujus stellę pueri & crucis specie insignitâ habet *Author* Oper. imperf. & quod de casu illius refert *Haymo* ex *Gregorio Turonensi*, stellam illam cecidisse in quẽdam puteum Bethleemi, ubi in fundo illius adhuc videri possit, sed ab iis tantùm qui virgines sunt. Quod ab *Anshelmo* jã olim meritò explosum, & vix à Cænobitis & Monialibus in illis locis versantibus admittetur, nec enim vellẽt ex hoc experimento de suâ castitate judicium fieri.

DVBIVM

DVBIVM XXVIII.

De Tempore, *quando* Stella illa *apparêre cœperit* Magis?

EXAMEN.

Opiniones diversæ. Opinantium rationes. Authoris *sententia. Rationes.* Petavij & Keppleri *coniecturæ reiectæ. Ratio Astrologica* Keppleri, *cum examine. Rationes aliæ confutatæ. Signa rerum præsentium sæpe, non imminentium tantùm.*

I. QVAESTIONES innumeræ super sidere illo, quod Magis olim apparuit, moveri possunt, plurimæ solent ab Interpretibus. Nos præcipuas edecumabimus, quę alicujus & momenti, & usus ad sacri contextus dilucidationem. Sed strictim tantùm & in transcursu, quia in talibus non consistit ἱερὸς λόγος rei Theologicæ. Vnde opiniones minus probabiles verbo tantùm notabimus, probabiliori subjectâ & firmatâ.

II. 1° *Quidam* cum *Auctore* Operis imperfecti & *Nicephoro*, quibus accedit *Petavius* lib. XII. de Doctr. Temp. cap. VIII. & *Kepplerus* cap. XII. de anno natali Christi, biennio ante nativitatem Domini stellam illam Magis apparuisse satagunt, ratione ductâ ex versu 16. eò quod infantes fuerint occisi ab Herode ἀπὸ διετοῦς. 2° *Alij*, anno ante conspectam fuisse. In hac sententiâ est Vir Illustris *Ios. Scaliger*, qui non tantùm sidus illud, quod Cometen vocat, longo intervallo Christi natalem præcessisse vult, sed & intervallum illud limitat, & per annum Magis visum contendit, antequam se profectioni in Iudæam accinxissent. Ratio *Scaligeri* est, Cometas signa esse rerum imminentium, non præsentium, nec signa esse posse, si simul cum re ipsâ, vel post rem ipsam existant. Natalem ergo filii Dei

illo ostento denuntiatum Chaldæis, longo tempore ante quàm incideret. Sic etiam Cometen horrendum integro anno visum ante initia belli Iudaici, secundùm *Iosephum*. 3° *Alij*, inter quos *Chrysostomus* & *Theophylactus*, sidus illud nō ita diu, aliquantò tamen ante Christi natalem conspectum satagunt. Et hæc opinio videtur inde roborari posse, quod hac ratione justum tempus detur itineri Magorum longinquo, & parando, & exequendo.

III. Mihi sententia illa probabilior videtur, circa illud ipsum tempus exortam stellam, quo Christus natus, & cum sidere hoc spirituali, materiale ejus δεικτικὸν in sublimi Magis ostensum fuisse. Docent hoc 1. *Verba* illa Magorum *vers.* 2. ποῦ ἐστιν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; εἴδομεν γὰρ αὐτοῦ τὸν ἀστέρα, &c. *Vbi est ille Rex Iudæorum qui natus est? vidimus enim eius stellam*, &c. Ex connexione verborum, & illatione Magorum liquet, Regem non nasciturum, sed jam natum ab illis statui, non tantùm post sideris illius apparitionē, sed & ob illam. 2. Idem ostendunt verba quę sequuntur eodem versu, eorúmque connexio, εἴδομεν γὰρ &c. καὶ ἤλθομεν, &c. *Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus ut adoremus eum.* Connectunt ergo observationem stellæ & suum iter. 3. Idem ostendit *ratio*, vix videri per annum integrum, minus per biennium, deliberasse Magos, utrum sibi adeundus esset & adorandus Rex ille. Minueret hoc & pietatem illorum, & obsequium Domino præstitum.

IV. Excipiunt quidam, ex apotelesmaticis observationibus illos collegisse, tempus nascituri Messiæ, & se tunc tantùm itineri accinxisse, & tempus profectionis suæ ita dispensasse, ut circa vel brevi post natalem ejus Hierosolymam attingerent. Illud verò gratis dicitur, & sine causâ iustâ. Sic *Petavius* ait, etsi stella biennio ante natum Christum apparere cœperit, seriùs tamen profectos esse Magos, 1. Quia prius illis significatum non fuerit, ad Messiæ Regis ortum pertinere stellam. 2. Vel si ante præmoniti fuerint, cujus sidus illud prænuncium esset, unà & tempus indicatum fuisse quo se ad iter compararent. 3. Fortè etiam stellam illam sublimiorem principiò & cœlo viciniorem apparuisse, ut cæterarum ortus & occasus imitaretur, postea verò in citima se terris loca demisisse, ac tum

Magos ad iter capessendum divinitùs excitatos fuisse. Hanc opinionem cum Matthæi verbis magnoperè quadrare. Sed hęc omnia gratis dicuntur, & sine causâ. His etiam conjecturis locus foret, si ullum earum vestigium in Scriptura, vel ratione solidâ reperiretur: sed repugnant & verba Matthæi, & verborum connexio dè quâ Sect. III. Nec obstant verba *versus* 16. de quibus suprà actum, prout & ipse *Petavius* fatetur non incommodè illa sic exponi posse, cùm à Magis didicisset Herodes tempus quo stella primùm apparuerat, illum tempus illud uno & altero anno antevertendum putasse. In his conjecturis *Petavius* sequutus fuit *Kepplerum*, qui & ipse arbitratur *cap*. XII. jam tunc cùm Herodes à Magis tempus exquireret, biennium ferè lapsum fuisse à primo exortu stellæ. Magos verò tardius venisse, quòd stellæ illi seriùs accesserit miraculum motus in inferiori regione aëris. Quandiu igitur stella visa fuerit in æthere inter ceteras oriens & occidens, commovisse quidem novitate Chaldæos Astrologiæ peritos, at de re aliquâ certâ in individuo non monuisse, postquam verò se in aërem demittere & sensim Occidentem versus progredi cepit, tandemque in Occidentem recepta disparuit, tum demum Magos consilium sequendi cepisse. Sed hæc omnia non supponenda forent gratis, sed probanda. Nec opus talia à nobis fingi. Scriptura clara, Magos vidisse stellam, & venisse. De stella illâ in æthere visâ, quæ postmodum descenderit & Occidentem versus progredi ceperit altum silentium apud Matthæum. Tutius ergo, verbis illius adherere, cùm causæ nihil sit cur talia fingamus. Nec verba Evangelistę quæ subjicit *Kepplerus*, *Ecce stella, quam viderant in Oriente antecedebat eos, usque dum veniens staret, ubi erat puer*, quicquam faciunt ad probandum institutum, stellam bienio ante apparuisse Magis, primò in æthere, deinde in aëre, & sensim Occidentem versus se promovisse. Nihil enim ibi de tempore ortus, nec de descensu, nec dè motu ab Oriente in Occidentem, sed tantùm de motu stellæ Hierosolymâ Bethleemum versus. Astrologicam rationem paulò post subjicit *Kepplerus*, Magos venisse Hierosolymam principio Iuliani XLI. ante biennium verò cœpisse Planetas congredi conjunctione maximâ in principio Arietis, Iuliano videlicet XXXIX. pronuntiatũ autem Astrologicum esse, Conjunctiones maximas plane-

tarum superiorum in punctis cardinalibus, præcipuè æquinoctialibus Arietis & Libræ, mutationem rerum universalem, & stellam Cometam, sub illa tempora conjunctionis apparentem ortum alicujus Monarchæ significare. Hæc sanè præcipua ratio fuit cur *Kepplerus* hoc statuerit, non verba Evangelistæ, ut hypothesin suam de anno natalitio firmaret. Sed, quicquid sit de illâ hypothesi, quam excussimus Dubio I. hoc ipsum supponitur, non probatur, Cometam sub illa tempora conjunctionis Planetarum superiorum in punctis æquinoctialibus apparuisse, stellam etiam sive Cometam sub illa tempora exorientem ortum alicujus Monarchæ significare, quę gratis dicuntur. Adde, præstare non in naturâ, hujus sideris vel ortũ, vel significationem quærere, cùm & ille, & ista, & tota œconomia circa ejus exortum, motum, situm, significationem extraordinaria prorsus fuerit & supernaturalis.

V. Rationes oppositas quod attinet, Sectione II. propositas 1. de versu 16. supra actum, & ostensum quis verborum illorum sit sensus. 2. Stellam illam Cometam fuisse, supponitur, ut & signa omnia imminentium tantùm rerum esse, non præsentium: signa enim *materialia* unà cum rebus, & sæpè rerum effectus, quarum signa sunt. 3. Nec ad iter Magorum sive parandum, sive exequendum hypothesis illa necessaria, satis enim temporis ad ejus confectionem Magis relictum, propter dies τῶν λοχείων, & καθαρισμοῦ, quibus B. Virgo Bethleemi substitit.

DVBIVM XXIX.

An Stella præiverit Magis ab Oriente in Iudæam usque, æquè ac Hierosolymâ Bethleemum?

EXAMEN.

Sententia communis. Rationes. Sententia opposita probabilior. Rationes ex Scripturâ. Causa exorti

denuò

denuò ſideris. Tentationes Magorum. Solutio rationum oppoſitarum.

I. COMMVNIS plerorumque & veterum & recentiorum Interpretum ſententia hîc *affirmativam* tuetur, & adeò invaluit iſta opinio, ut temerarium videri poſſit illam vel convellere, vel in dubium ſaltem vocare. Nec tam rationes adduntur huic hypotheſi probandæ, quàm illa pro certâ ſupponitur. Hæ tamen potiſſimæ videntur. 1. Sic majore miraculo Chriſti cunas illuſtrari, ſi non ſemel tantùm ſtella apparuiſſe Magis, ſed & toto itineris tempore prǽluxiſſe dicatur, ut columna nubis & ignis olim Iſraelitis. 2. Vix aliâs rationem dari poſſe, cur in Iudæam potiùs, quàm aliò fuerit itum à Magis, & novus Rex ibi quæſitus. 3. Opus etiam fuiſſe Magis duce continuo ad firmandam fidem, hominibus adhuc tyronibus in Dei cognitione, ídque in itinere moleſto & longinquo, quod ſtellâ diſparente alioquin vix videntur fuiſſe perſequuturi. 4. Adde, vel annihilatum ſtatui ſidus illud ex quo primùm Magis apparere cœpit, & reproductum, quod abſurdum, vel vix rationem dari poſſe, quî & ubi tanto tempore latuerit. 5. Addi poteſt, quum illud ipſum ſidus, quod viderant Magi in Oriente, denuò ab illis ab Herode digreſſis conſpectum dicatur, multò probabilius id ad Magorum conſolationem palàm & ſenſibiliter in Iudæam, in eorum gratiam, promotum fuiſſe, quàm inſenſibiliter & occultè, ſive per radiorum inhibitionem, ſive per interjecta corpora alia craſſa, quorum objectu lumen ejus interceptum fuerit. 6. Accedunt Authores magno numero, qui id ipſum tuentur.

II. Quamvis verò non libenter diſcedam ab opinionibus receptis, tamen rationes graves ſatis ex Scripturâ ductæ me movent, ut *Iſidoro* & *Cajetano* hîc potius ſubſcribendum cenſeam, & *negativam* probabiliorem judicem, ſtellam nimirum illam non præiviſſe Magis ab Oriente in Iudęam, ſed apparuiſſe tantùm in Oriente. 1. Ob verba expreſſa Magorum, verſ. 2. *Vidimus*, inquiunt, *eius ſtellam* ἐν τῇ ἀνατολῇ, *in Oriente*, nec addunt, καὶ ἐν τῇ ὁδῷ, *in viâ*, in Iudęam uſque. Quod vix vi-

Sſ

dentur fuiſſe prætermiſſuri, ſi tale quid contigiſſet. 2. Ob ſilentium Evangeliſtæ, qui nihil tale innuit, quod tamen non diſſimulaturus fuiſſet ſi novum hoc miraculum priori acceſſiſſet. 3. Ob verba Evangeliſtæ verſ. 9. *Et ecce ſtella quam viderant in Oriente, præibat eis donec venit*, &c. Meminit Matthæus tantùm apparitionis ſtellæ illius in Oriente, non *in itinere*. Et notat hoc tanquam aliquid eximij, *κὶ ἰδοὺ, & ecce* &c. Si verò ſtellæ illius ductu Magi uſi fuiſſent in toto itinere, vix his verbis uſurus fuiſſet Evangeliſta, additurus ſaltem, *Et ecce ſtella quam viderant in Oriente, & quæ iis hactenus præiverat*, &c. quod tamen non facit. 4. Adde, Evangeliſtam ingens Magorum gaudium referre, ſtellâ illâ conſpectâ, & varias voces congerere ad illius deſcriptionem, visâ autem ſtellâ, ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα, *gaviſi ſunt gaudio magno valde*. Si verò paulò ante duntaxat diſparuiſſet ſtella, nec illi ſermoni, nec tanto gaudio locus futurus fuiſſet. 5. Adde, ad iter ex Oriente in Iudæam regionem notam duce cœleſti opus non fuiſſe Magis, quemadmodum Iſraelitis in deſerto, quia enim viâ ignotâ gradiebantur, illi indigebant duce. Opus verò denuò Magis Hieroſolymâ egreſſis erat exortu & auſpiciis ſideris iſtius, quò ſcrupulis & tentationibus ingentibus, quę illorum animos dubio procul fodicabant, non pares tantùm, ſed & ſuperiores eſſe poſſent. Quum enim pro certo ſibi perſuaderent, ſe Regem illum Hieroſolymæ reperturos, altum de eo ubique ſilentium, nec fama, nec rumor ullus. Animadvertunt Hieroſolymam hoc nuntio turbari potius, quàm erigi. Nemo ſe illis ſocium in itinere Bethleemitico adjungit, nec pedem eâ de causâ ex urbe effert. Quærendus erat Meſſias in loco obſcuro, & in paraturâ obſcuriore, & alienâ planè à ſplendore regio. Dubiis illis diſcutiendis, lux cœleſtis exigebatur. 6. Adde, ad cunas Chriſti nonniſi cœleſti luce perveniri, æquum ergo fuiſſe ut præiret ſtella. 7. Imò probabile, non debuiſſe Magos Bethleemi in puerum illum diu inquirere, & hominum illius loci auſpiciis ad Chriſtum deduci, ne crypta in quâ latebat Dominus tyranno poſtmodum & ejus ſatellitibus retegi poſſet, & ille proditioni novorum Ziphæorum obnoxius fieret. Hæ cauſæ ſatis ſuperque oſtendunt, cur merito ſummâ Dei bonitate ſtella iſta denuò exorta fuerit, poſtquam Hieroſolymâ exceſsêre

cessêre Magi, & illis Bethleemum deducendis præiverit. 8. Accedit tandem & hæc ratio, siquidem disparuisset stella Magis in Iudæa, Evangelistam id minimè fuisse dissimulaturum.

III. Quum itaque hæ rationes probabiliores longè videantur iis, quæ pro opinione affirmante proponuntur, negativam præferendam censeo. Ad 1. *Resp.* Miracula non gratis inferenda esse in Scripturam, sed educenda è Scripturâ. Nec sequitur, eodem prorsus ministerio defunctam stellam erga Magos, quo columna nubis & ignis erga Israelitas. Nec verò id vel in Scripturâ expressum, vel necessarium erat, ut ostensum. Ad 2. Ratio alia cur in Iudæam potiùs itum fuerit à Magis quàm aliò & dari potest, & dabitur infra, ubi agetur de quæstione, quî stellæ indicio natalis Regis in Iudæâ innotuerit Magis. Ad 3. Nec defuit dux continuus Magis, ut infrà ostendetur, etsi defuerit stella, cujus auspiciis in persequendo itinere molesto & longinquo confirmarentur. Ad 4. Sive annihilatum & post reproductum statuatur sidus illud, sive tectum tantùm & occultatum, nihil inde absurdi sequitur. Ad 5. Multa probabilia, quæ nec vera, nec certa. Quid probabilius etiam, quid secus, è Scripturâ, non è ratiociniis nostris in sacris præsertim petendum. Quominus verò traductionem sensibilem astri illius ex Oriente in Occidentem ad Magorum motum admittamus, obstant rationes supradictæ. Ad 6. Momenta rerum omni authoritate humanâ superiora sunt, cumprimis rationes è Scriptura petitæ.

DVBIA XXX. XXXI. XXXII.

XXX. Cur Deus Magos vocârit ad adorationem Christi? XXXI. Cur hos potius quàm alios? XXXII. Cur per Stellam, & hoc modo potius quàm alio?

EXAMEN.

Summa omnium ratio. Mensura rerum bonarum, & mediarum. Causæ *vocationis Magorum falsæ, vel leves. Graves aliæ. Mira Dei providentia circa hanc vocationem.* Πόρισμα *falsum de* vocatione universali. *An causa vocationis Magorum in Magis. Excussa* hypothesis. *Rationes negationis. Excussa* thesis, *an* προηγούμενα *in nondum conversis, & unde illa. Loci* Matth. XIII.12. XXV.29. XIX.14. Act. XVII.11. Matth. X.11. Psal. XXV.9. *illustrati & vindicati. Quis sit* habens, *& quî* habenti detur? Talenta *an dona naturæ, an gratiæ. Qui sint* similes parvulis, *& unde.* Ἔνστασις Semipelagianorum *discussa. Quî* εὐγενέστεροι *Beroenses. Qui* digni. *Qui* ענוים. *Causa unica vocationis Magorum. Rationes vocatorum Magorum per Stellam.* Συγκατάβασις *Dei. Exempla. Christus cur per Stellam designatus.* Planetariorum *falsa hypothesis.*

I. TRIBVS illis Quæstionibus expediendis una responsio sufficere potest, causæ causarum causam quærendam non esse, satis esse, & rem, & personarum delectum, & modum vocationis hic ab eo administratum, cuius voluntas summa ratio est. Et sanè eo ipso res quælibet & sapienter & conuenienter dispensari censendæ, quando & quatenus ab eo dispensantur, qui administrat omnia in pondere, ordine, & mensura. Vt enim rerum *bonarum per se* mensura, imago Dei, sic *mediarum*, volun-

voluntas eiusdem. Vt tamen satisfiat humanæ curiositati, & retundantur vana & falsa quorundam placita, ad singula *Dubia* sigillatim, sed paucissimis, respondendum.

II. *Primum* quod attinet. 1. Respondent quidam, Deum vocando primò pastores Iudæos, post Magos gentiles, tertiò Iudæos Apostolos, ostendere voluisse rationem fabricæ Ecclesiæ, primò ex Iudęis, post ex gentibus, & tandem denuò ex Iudęis potissimùm erigendę, quando plenitudine gentiū introductâ in Ecclesia totus Israel aliquando seruabitur. *Rom.* XI.25. Sed hoc subtilitatis laudem habere potest, soliditatis non item. 2. Respondent alii: Deum sic voluisse præludium quoddam exhibere virtutis Christi exercendę erga maximos & gravissimos peccatores. Hinc illum ipsos Diaboli vates ad sui adorationem evocare voluisse. Sed *thesis* quidem vera, Christum tales sępe ad se vocasse, *hypothesis* falsa, Magos illos homines maleficos fuisse, & ἐπαοιδοὺς, sive artium malarum & nigrarum professores, quod confutatum *Dubio* XIX. Causæ verò hæ probabiles vocationis Magorum dari possunt. 1. Christum voluisse dare pręludium vocationis gentium in evocandis Magis ad cunas suas, quod & vaticiniis pręteritis responderet, & sequuturæ œconomiæ Evangelicę gustum exhiberet, illum adesse qui *vtraque faceret unum, & solveret* τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ. *Eph.* II.14. Vnde Magi gentium ad Christum conversarum primitię vocantur ab *Augustino.* 2. Christum voluisse à quovis hominum genere adorari, à Iudęis & gentilibus, à magnis & parvis, sapientibus & idiotis. Hinc pastores & Magi ad cunas & adorationem Christi vocantur, & ut in eo præludium Ecclesię Christianę exhiberetur, ex quovis hominum genere colligendæ. 3. Sic vindicari debuisse Majestatem Christi à contemptu, quum ille ipse, qui formâ serui assumptâ in stabulo, in pręsepi inter angustias & squalorem natus, & à concivibus suis spretus fuit, adhuc in cunis vagiens satis habuerit dignitatis, ut à viris magnis adoraretur, satis potentię, ut illos ad se traheret. 4. Sic subventum Iosephi & Marię dubiis & vacillationi, sic scandalo multorum summâ exinanitione Christi conturbatorum obviam divinâ providentiâ itum. 5. Sic Iudęi redditi ἀναπολόγητοι, quòd illum in suo gremio velut natum spreverint, ad quem Magi è regione longinquâ tanto ardore profecti. Vnde divinæ provi-

dentiæ ductu ſpeciali Magi Hieroſolymam ingreſſi, in Regem natum publicè ab iis quæſitum, Herodes turbatus, Sacerdotum & Scribarum cœtus coactus, & tota Hieroſolyma commota, adeoque omnes Regni ordines his præconibus de Meſſię nativitate admoniti. 6. Sic ſubventum, & mirando quidem modo, paupertati & rebus anguſtis parentum Chriſti, & ille vectigales habuit in cunis adhuc primores gentium. Inane verò & inconſequens πόρισμα illud vocationis univerſalis, quod quidam ex hac Magorum vocatione educere ſategit, nemini non Chriſtum, & Chriſti nativitatem aliquomodo innotuiſſe, eò quod homines à Iudæâ remoti de eâ edocti fuêre. Peccatur enim *Elencho ex particularibus*, nec quod Magis illis obtigit, obtigit promiſcuè omnibus, nec quoad rem, nec quoad gradum vel modum rei. Immò eo ipſo quo ſingulari modo Magi vocati, hoc ſingulare illorum privilegium fuit, non commune beneficium omnium. *Theſin* ipſam cæteroquin omnium ſeculorum & temporum œconomia evertit, de quâ alibi ex fundamento, Deo dante.

III. Secundum *Dubium* quod attinet, exiſtimant quidam Magos hac vocatione Dei prę aliis mactos, eò quod eſſent homines ſapientes & graves, qui quia bene vſi donis naturalibus, magis apti fuêre & diſpoſiti ad regnū Cœlorum. Deum enim *dare habenti Matth.* XIII. 12. bonum talentorum uſum præmio donari *Matth.* XXV. 29. talium eſſe regnum cœlorum, qui ſimiles *parvulis. Matth.* XIX. 14. Beroenſes *Act.* XVII. 11. ideò Evangelium ſuſcepiſſe præ Theſſalonicenſibus, quod eſſent εὐγενέστεροι. Sic *Matth.* X. 11. ad illos ingredi debuiſſe Apoſtolos qui *digni eſſent.* Illos Deum etiam docere viam ſuam qui ſunt ענוים πραεῖς. *Pſal.* XXV. 9. In horum hominum cenſu fuiſſe Magos, & in iis fuiſſe προηγούμενα quędam ad converſionem. Meritò ergo illos potius vocatos quàm alios.

IV. Sed nec *hypotheſis* probari poteſt, nec *theſis*. Non *hypotheſis*. 1. Quia falſum, Magos hos habuiſſe προηγούμενα ad converſionem: falſum, eos magis fuiſſe aptos & diſpoſitos ad regnum cœlorum aliis. Quæ enim diſpoſitio in illis ad regnum cœlorum ante exortum ſtellæ? Vel enim *ſapientia* Magorum talis fuit, vel virtutes. Non ſapientia, quia nec ſiderum ſcientia, nec Theologia pagana, nec philoſophia moralis poſſunt vocari

cari

cari præparatio ad regnum cœlorum. Nec *virtutes*, tales enim ſupponi poſſunt in Magis, ante vocationem, non probari. Et paganorum multi virtutibus eiuſmodi inſtructi non ob id vocationis participes redditi. 2. Imò tantùm abeſt vt talia ſerviant, præparationis &, diſpoſitionis inſtar, ad regnum cœlorum, ut contra animi his imbuti magis ſemper averſi fuerint ab Evangelio. Vnde Apoſtolus 1. *Cor.*1.26. Deum non vocaſſe *multos ſapientes ſecundùm carnem ſed quæ ſtulta ſunt in mundo, vt pudefaceret τοὺς σοφοὺς* tales nimirum. Nec Chriſtiani philoſophis & ſapientibus paganis acriores unquam hoſtes experti. 3. Quæſtio ſemper redit, cur hæc diſpoſitio, hæc προηγούμενα in Magis potius reperta fuerint, quàm in aliis ſiquidem daretur, quod falſum, talia in illis extitiſſe. Cùm enim natura omnium *originaliter* ex æquo corrupta ſit, dona eximia præ aliis, & bonus uſus donorum, à gratiâ vel *renovante*, vel *reprimente tantùm* procedunt, & illi in ſolidum adſcribi debent.

IV. *Theſin* etiam quod attinet, illa falſa eſt, vel enim nulla ejuſmodi προηγούμενα ante converſionem in homine repeiuntur, vel à *gratiâ* quadam *antecedente*, *coercente* & *reprimente* pravitatem naturalem in ſolidum oriuntur, quam ſequitur poſtmodùm gratiæ *ſubſequentis* & *maioris* collatio. Sed utraque diſpenſatio merè gratuita, & diſcrimen in homine non reperit, ſed facit. Et ubicunque προηγούμενα illa, ibi já ſunt converſionis inchoamenta. Et hoc volunt loca Scripturæ adducta. Accuratam hujus quæſtionis tractationem alij loco reſervamus. Hîc ſufficiat nobis ſtrictè verba Spiritus ſancti à pravis interpretamentis vindicaſſe. Ad locum *Matth.*XIII.12. *Reſp.* 1. Supponi *falſam hypotheſin*, per *habentem* intelligendum eſſe *habentem* tantùm *dona naturæ*, quod falſum, illos enim Chriſtus *habere* ait, quibus verſu 11. immediatè præcedente dicit, *datum eſſe noſſe myſteria regni cœlorum.* At quibus hoc datum, illi jam participes *donorum gratiæ.* His *habentibus* dandum promittit Chriſtus, quia Deus dona ſua coronat, plantæ jam irrigatæ & creſcenti dat incrementum majus, non deſerit bonum ſuum opus, ſed ibi id perficit, ubi cœpit. 2. Adde, *quæſtionem redire*, cur hic potius *habeat* quàm alius, ſive per τὸ ἔχειν notetur *poſſeſſio* doni, ſive *vſus* ejus. Quum enim æqualia non faciant diſcrimen, & natura omnium æqualiter ſecundùm ſe ſit corrupta,

aliunde petenda necessariò ratio discriminis, non ab homine, ut patet, ergo à Deo. 3. Adde, admitti *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος*. Habenti dona naturæ, dari dona gratiæ, bene utenti lumine naturæ, dari lumen supernaturale. At hæc in diversa sphærâ. 4. Bono usu crescunt opes, sed eædem, non toto genere diversæ. Vide Dissertationem eruditam *Gul. Tvvisse* Theologi doctissimi super hoc argumento.

Ad locum *Matth.* XXV. 29. *Resp.* 1° Peccari *παρερμηνείᾳ* verborum Christi, talenta illa, & talentorum vsum *dona naturæ* designare, quod falsum. Imò designant manifestè *dona gratiæ* in omnibus illis, quibus plura commissa. Nam 1. Sunt commissa conversis, non convertendis, Servis nimirum, à Christo peregrè eunte & in cœlum ascendente. 2. Præmium horum talentorum immediatum dicitur donum gloriç, non dona gratiæ, *Ingredere in gaudium domini tui.* Vsum verò bonum donorum naturæ, ex ipsâ Semipelagianorum hypothesi excipit tantùm collatio donorum gratiæ. II° Notandum, quæstionem redire, cur talenta huic potius commissa quàm alij, aut huic pauciora, illi plura, cur bonus usus huic potius concessus quàm alij, & vel ad Deum cum Scripturâ ascendendum, vel cum *Semipelagianis* causa discriminis constituenda in homine donum acceptum ex se & suis viribus specificante.

Ad locum *Matth.* XIX. 14. *Resp.* 1. Peccari *falsâ hypothesi*, ullos *antecedenter* tales esse & reperiri ante gratiam acceptam. Imò tales tantùm reperiuntur *consequenter*, post gratiam acceptam, & per eam. 2. *Quæstionem redire*, cur hi potius parvuli quàm alii, & cur hi potius humiles, simplices, quàm alij. Vel enim hoc habent *à naturâ*, & sic corruptio negatur æqualis, & habet homo quod sacrificet suo reti, vel *à gratiâ*, & sic itur in circulum. Vnde enim hoc, nisi à Deo huic danti prç alio ex liberrimâ gratiæ & suæ, & indebitæ dispensatione. Ἔνστασις multorum inanis est, Deum dare, si homo sibi non desit. Redit enim quæstio, cur hic minus sibi desit quàm alius, & sibi non deesse, est bene uti dono naturæ, sic ergo Deus dabit homini ut bene utatur donis naturæ, si illis bene utatur, quod ridiculum, sic enim coincidunt conditio, & res conditionem consequens. Sed hæc alius sunt loci. Ad locum *Act.* XVII. 11. *Resp.* 1. Supponi falsum, *εὐγενεστέρους* dici Beroenses illos ratione *qualitatis inhærentis*, non ratione

ratione *ἀξίας adhærentis*, in ſenſu *morali*, non *civili*. Atqui repugnant loca parellela omnia, ubi eadem vox occurrit, & ἀξίαν ſemper externam notat, non diſpoſitionem internam. Vide *Luc.* XIX. 12. 1. *Cor.* I. 26. Nec alibi reperitur in N.Teſtamento. 2. *Quæſtionem redire*, cur hi potius fuerint ἐυφυεῖς *ſecundùm rem*, quàm alij, & cur ἐυφυέστεροι aliis, *ſecundùm gradum rei*. Hoc vel à naturâ, vel à gratiâ: ſi prius, vicit *Pelagius*, ſi poſterius, quęſtio redit. Prout hunc locum etiã eruditè vindicat *Iohannes Camero* ὁ μακαρίτης. Ad locum *Matth.* X. 11. *Reſp.* 1. Supponi falſam hypotheſin, illos qui digni ibi vocantur in claſſe *naturæ* tantùm, non *gratiæ* conſtitutos fuiſſe. At naturâ omnes & ex æquo indigni. 2. Quæſtionem redire, cur hi potius digni, dociles, quàm alij. *Quis te diſcrevit?* Hoc vel à ſe habent, & ſic ſe ipſos diſcreuêre, vel à Deo, & ſic ſerra reciprocatur per eandem lineam. Ad locum ex *Pſal.* XXV. 9. *Reſp.* eodem modo. 1. Hos ענוים non naturâ tales eſſe, ſed gratiâ. 2. Quæſtionem redire, cur hi tales ſint potius quàm alij. 3. Deum ſæpe multos vocare, qui non ענוים non πραεῖς, ſed feroces & contumaces. Et hęc quidem ſuccinctè hoc loco ad ἐνστάσεις aliquas *Pelagianorum* & *Semipelagianorum*, quæ alibi ex fundamento, Deo dante, excutientur. Concludimus itaque cauſam vocationis Magorum nequaquam in illis fuiſſe, ſed in ſolâ Dei vocantis bonitate, & illos ex merâ ejus gratiâ vocatos, ſive *abſolutè* eorum vocatio conſideretur, ſive *comparatè*: quod enim & vocati, & vocati prę aliis, Dei miſerentis fuit illorum potiùs quàm aliorum. Et hæc cauſa cauſarum eſt, & ſumma ratio.

VI. Tertium *Dubium* quod attinet, cur Magi per ſtellam vocati fuerint, & hoc modo potius quàm alio. 1. Hujus rei ſumma cauſa fuit, vocantis voluntas, cui placuit hoc modo illos vocare, non alio. 2. Sed & alia cauſa dari poteſt, συγκατάβασις admiranda Dei, qui in multorum vocatione ſe accommodavit conditioni & captui illorum, quos vocavit. Sic *Magos* hos Aſtronomos & in ſiderum ſcientiâ verſatos vocat ad Chriſtum per ſtellam, *paſtores* idiotas per apparitionem Angelicam vocalem, *Simeonem* hominem ſapiẽtem per χρηματισμὸν altiorem, *Sacerdotes & Scribas* per Scripturam: Chriſtus *Petrum* piſcatorem per piſcationem. Apud *Samaritanam* aquam haurientem, ſe demittit Servator ad objectum pręſens, & gratiam ſuam con-

fert aquæ, *Capernaïtis* panem quærẽtibus & cibum, proponit panem & cibum, *Paulus* Athenienses per Altare aggreditur θεῷ ἀγνώστῳ inter illos erectum: Imò se fecit omnibus omnia, ut aliquos Christo lucrifaceret. Nec dubium, quin parabolæ sæpè à Christo adhibitæ fuerint ab illis rebus ductæ quę obviæ erant & pręsentes discipulis & Auditoribus quibus cum ipsi erat sermo, ut eo facilius talia caperentur. Vnde διδασκαλία & παιδεία pro Ministris verbi, occasiones veritatis instillandæ, & propagandi regni Dei studiosè quęrendas, & sæpe per συγκατάβασιν peculiarem & funes humanitatis ad captum illorum illis descendendum quibus cum ipsis negotium est, ita tamen, ne Petri exemplo desinant ὀρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου. Duo enim ex Apostoli præscripto conjungenda, & opus nos ἀληθεύειν, ἐν ἀγάπῃ. 3. Eâdem apparitione ostensum, Christum cœli & astrorum Dominum esse, & scandalo super ejus exinanitione obviam itum, quum sic constaret illi sidera ipsa famulari. 4. Sic etiam indicatum, & luce, & luce extraordinariâ, & luce cœlesti à Deo accensâ opus esse ad Messiam, & sine hoc duce neminem ad illum accedere, nec accedere posse. 5. Conveniens etiam erat Stellam per stellam designari. Christus per stellam jam olim designatus *Num.* XXIV. 17. Idem nomen obtinet *Apoc.* XXII. 16. ubi vocatur ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς καὶ ὀρθρινός. Et meritò, Stella est corpus cœleste: corpus lucidum & *formaliter* & *effectivè*: Influxum efficacem habet: Ejus lux sæpe intercipitur, sed nostri respectu, non sui: Noctu potissimùm lucet: Dirigit nautas, viatores, astrologos: Videtur tremere, sed causa tremoris in imbecillitate non *obiecti*, sed *subiecti recipientis*. Hæc omnia ad Christum & lucem eius possunt applicari. 6. Addunt *Planetarij* & *Genethliaci*, sic Deum ostendisse è cœlo astra nativitatibus dominari, hominum ortus, fortunas, facta portendere, adeoq; *Astrologiam judiciariam* tanto exemplo non leviter confirmari. Cujus verò commatis sit illorum illatio, ex sequenti Dissertatione Lectori attento liquebit. Argumentum enim & quoad *hypothesin*, & quoad *thesin* disquisitionem accuratiorem meretur.

DVBIVM

DVBIVM XXXIII.

An probanda ſit *Aſtrologia judiciaria*, eo quod nativitas Servatoris & *ortu ſtellæ* deſignata fuerit divinitùs, & cognita hoc indicio à Magis?

EXAMEN.

Ordo inſtitutæ Diſſertationis. Priſcillianiſtarum *error.* Aquilæ Pontici *ſuperſtitio pertinax. Fundamentorum Aſtrologicorum claſſes tres.* I. Loca Scripturæ. II. Rationes. *Colligatio corporum cæleſtium & ſublunarium. Vis illorum in hominem, Lunæ in ſublunaria.* Πεῤῥγνώσεις *variæ. Diſtributio Cœli in duodecim domicilia. Adami prædictio. Ioſephi, Moſis & Danielis inſtitutio in ſiderali ſcientiâ.* III. Experimenta. Spurinnæ, Nigidij, Theogenis, *Mathematicorum prædictiones.* Auguſti *fiducia.* Tiberij *in Aſtrologicis experientia, & prædictio de Galbæ principatu.* Thraſylli *Mathematici prædictiones. Prædictiones de* Nerone. Vitellij *Mathematicos proſcribentis pœna.* Veſpaſiani *voces fatidicæ.* Domitiano *prædicta. Reſponſum & caſus mirus* Aſcletarionis. *Prædictiones variæ.* Nervæ & Friderici III. *fata prædicta* Muhammedis II. *felicitas.* P. Aloyſij Farneſii *fatum à* Paulo III. *Pontifice prædictum. Mirum Aſtrologi præſagium ſub* Ga-

leatio, *& huius mors.* Pici Mirandulani *fatum.* Henrici IV. *excessus prædictus. Prædictio de electione* Sigismundi *Sueciæ Regis. Fatum mirum* Nobilis *cuiusdam.* Authoris Ἐπίκρισις. *Quædam* certò, *quædam* probabiliter, *quædam* nullo modo *ex astris prædici possunt. Vires & effectus siderum. Lunæ virtus. Cur arreptitij dicantur* σεληνιαζόμενοι. *Ratio* certarum *prædictionum ex astris. Exceptio. Ratio* probabilium. *Concursus aliarum causarum. Pugna & dissensio inter Astrologos. Ephemeridum contradictiones. Quædam* nullo modo *ab Astrologis prædici possunt. Origo Astrologiæ* judiciariæ. *Argumenta Astrologiæ iudiciariæ opposita.* I. Loca Scripturæ. *Locus* Act. XIX. 19. *illustratus. Quæ sint* τὰ περίεργα *ibidem. Patrum & Conciliorum suffragia. Imperatorum in Astrologos edicta.* Mathematici *coniuncti cum* maleficis *in* Codice. *Edicta in Planetarios cusa, & pœnæ constitutæ.* Cuiacius *laudatus.* Honorii & Theodosii *rescripta.* II. Rationes *contra Astrologiam* judiciariam. *Hallucinationes illorum in naturalibus. Astra nec* causæ *nec* signa *eventuum contingentium & voluntariorum. Fraus Planetariorum.* Chymicorum *ratiocinationes. Hypotheses* Genethliacorum *super fato hominis. Portenta observationum Genethliacarum. Punctum nativi-*

tatis

tatis ignotum. Motuum cœlestium rapiditas. Nigidii demonstratio. Argumentum apagogicum. Gemellorum diversa fata: Masculorum item & fœmellarum. Punctum conceptionis ignotum Genethliacis à priori & posteriori. Diversâ constellatione natorum fatum idem. Argumenta partim ostensiva, partim apagogica. Generationis & regenerationis vis. Gratia duplex, coercens & convertens. Domiciliorum cœlestium fabrica inanis. Franc. Vallesij observatio. Rationes aliæ. Absurda varia impacta Planetariis. Astrologia iudiciaria inimica pietati, bonis moribus & tranquillitati publicæ. Cornelii à Lapide ingenuitas laudata. Purpuratorum Romæ studia. Mathematici distincti à Planetariis. Locus Gen. I. 14. declaratus. Qui astra posita in signa. Locus Iudic. v. 20. excussus. Qui astra pugnârint in Sisaram. Locus Iobi XXXVIII. 31. 32. 33. declaratus & retortus. Loci ex Psal. XIX. 2. Iesa. XXXV. 4. Apocal. VI. 14. illustrati. Quales Iudæorum libri. Locus Matt. II. 2. vindicatus. Fausti Manichæi & Porphyrii cavilla. Cardani temeritas. Hypothesis audax. Kepplerus notatus. Loci Luc. XII. 54. 55. 56. Matth. XXIV. 29. 30. Marc. XIII. 25. Luc. XXI. 26. declarati. Examen rationum pro Astrologia iudiciariâ. Fines creatorum tot siderum, & tot motuum ac aspectuum. Causæ remotæ speci-

ficantur à proximis, communes à particularibus. Falsæ hypotheses Planetariorum. Experimenta eorum retusa. *Prædictiones falsæ complures. Gravium virorum iudicia de Astrologiâ iudiciaria. Genethliaci cuiusdam stoliditas revicta.* Ἔνστασις *Planetariorum confutata. Rationes prædictionum multarum Astrologicarum. Quî Diabolus sæpe præsciat futura.* Augustini *observatio. Alexandri Severi sortes.* Ennii *monitum. Epigramma lepidum* Bezæ. *Tributum* βλακεννόμιον *Astrologis olim impositum.*

I. *VRIOSITATEM*, communem animorum morbum, nemo non experitur, omnes produnt, qui nisi hominem, animal inquietum & in suam tantùm perniciem ingeniosum occupasset, equidem nec quęstioni huic locus foret, nec fuisset argumento. Quandoquidem verò, quorundam temeritate, aliorum simplicitate, non astra solùm, sed & spes ac vota hominum artis cujusdam & certæ & legitimæ, divinæ etiā authoritatis obtētu, in ordinem cogi solent, Dissertatio de hoc argumento nec inutilis, nec à scopo nostro aliena erit. Fatendum equidem, hoc Dubium non Diatribæ compendiariæ, sed voluminis iusti argumentum esse, & de eo magnâ contentione inter Theologos & Astrologos jam olim disceptatum fuisse, hodiéque disceptari. Et quia hîc solâ copiâ laboratur, & materię simul ac disceptantium fertilitate, in eo nobis opera ponenda, ut quod artificibus multis laudi datum, qui exiguo orbe magnę molis opera coercuêre, id in hoc argumento, quantum fieri poterit, imitemur. Ad tria verò capita hanc dissertationem revocamus. I. Proponenda fundamenta sententiæ affirmativæ. II. Notanda ἐπικρίσεις, & decisio quæstionis suis firmamentis instructa. III. Tandem subjicienda falsæ sententiæ & eius fundamentorum confutatio. Satis nobis erit, in singulis præ-

lis præcipua attigisse, citatione anxiâ Authorum insuper habita.

II. Affirmativam sententiam propugnarunt jam olim *Priscillianistæ*, fœda *Gnosticorum* propago, qui inter alia errorum portenta, fatalibus stellis alligabant homines, & ipsum hominis corpus secundùm duodecim signa cœli compositum esse docebant, constituentes in capite Arietem, Taurum in Cervice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, & inde cætera signa percurrentes, ad plantas vsque pedis, quas Piscibus tribuebant, ut refert *Augustinus.* *Aquilam Ponticum* etiam celebrem Scripturæ Interpretem ex Ecclesiâ olim eo nomine ejectum fuisse docet *Epiphanius* libro Περὶ Μέτρων καὶ σταθμῶν, ὡς quod deditus esset τῇ ματαίᾳ ἀστρονομίᾳ, καθ' ἑκάστην ἡμέραν τὸ θέμα τῆς αὐτοῦ γενέσεως σκεπτόμενος, nec locum daret Magistrorum objurgationibus, & inde ad varia dogmata absurda delaberetur. Planetariorum verò Catalogo prætermisso, quem multi hodieque augent, eorum fundamenta in hoc negotio ad tres classes referri possunt. Provocant enim, 1. Ad *loca Scripturæ*, quę in rem suam citant. 2. Ad *rationes*, quibus suum dogma propugnant. 3. Ad *experimenta*, quibus suæ arti fidem facere satagunt.

III. Primam itaque aciem instruunt Planetarij ex locis Scripturæ. Vrgentur verò ab illis ista potissimùm loca. *Gen.* I. 14. luminaria cœlestia à Deo posita esse *in signa.* *Iudic.* V. 2. *De cælo dimicatum esse, stellas manentes in ordine & cursu suo adversus Sisaram pugnasse.* Addunt loca alia. *Iob.* XXXVIII. 31. *An constringes delicias Pleiadum, aut lora Orionis dissolves? Educesne remotiora signa quodque tempore suo? aut Arcturum cum filiis suis duces? An cognoscis de statutis cœli? an disponere potes dominatum eius in terrâ? Psal* XIX. 2. *Cœli enarrant gloriam Dei fortis, & opus manuum eius indicat expansum eorum.* *Iesa.* XXXIV. 4. *Et complicabuntur sicut liber cœli.* *Apoc.* VI. 14. *Et cælum abscessit sicut liber qui convolvitur.* *Matth.* II. 2. Stellæ ortu Magis natalis Messiæ designatus, & ab illis animadversus. *Luc.* XII. 54. 55. 56. Ostéditur è facie cœli & eius contemplatione multa prędici posse. Sic sæpe Christus notat δυνάμεις τῶν οὐρανῶν. *Matth.* XXIV. 29. *Marc.* XIII. 25. *Luc.* XXI. 26. Illas verò δυνάμεις vanas esse, absurdum. Sic *Matth.* XXIV. 30. *tunc apparebit signum filij hominis in cælo.* Hinc colligunt, astra signa

esse futurorum eventuum, & variorum quidem, secundùm diversos aspectus, situs, conjunctiones, oppositiones. Victoriam Israelitarum de Sisarâ à constellatione cœlesti vel effectam ex parte, vel indicatam saltem. Vires Astrorum ingentes & invictas ac immutabiles à Iobo designari. Sic gloriam Dei & opera manuum ejus luculenter à cœlo edisseri. Cœlum etiam libri instar in hac vitâ apertum esse, in quo eventus futuri legi possint, qui post decretorium illum diem sit complicandus. Divinationem ex astris à Deo ipso probatam, qui hoc indicio non alio in designando Servatoris natali uti voluerit. Astra etiam suas habere δυνάμεις & efficaces quidem. Si etiam quædam è facie cœli, & ejus contemplatione & certò quidem prædicere liceat, prædictiones Astrologicas nec vanas esse, nec inutiles.

IV. Secundam aciem *rationes* occupant, quarum nec omnes, nec plerasque, sed paucas, potissimas tamen notabimus. 1. Non posse dari rationem aliam, ob quam tot *sideribus fixis* tot *erraticis* instructum fuerit cœlum. Nec enim illa vel ad lucem, vel ad calorem, vel ad effectus communes in sublunaribus producendos facere. Vel ergo frustrà illa condita fuisse, vel esse sive causas rerum sublunarium particularium, sive signa saltem. 2. Non posse dari rationem aliam tot motuum diversissimorum, tot syzygiarum, aspectuum, oppositionum in sideribus sive fixis sive erraticis, & cur v.g. planeta aliquis modò sit in hoc signo zodiaci, modò in alio, modò in trigono naturæ suæ conveniente, quandoque in signo vel trigono naturæ suæ disconveniente, & ibi virium suarum exaltationem, hîc dejectionem experiatur: Cur etiam interdum duo vel plures planetæ in eodem signo conjungantur interdum faventes & benigni, interdum contrarij & malefici. 3. Certam esse colligationem corporum cœlestium & sublunarium, certas impressiones corporum cœlestium in temperamenta hominum, eaque pro diverso astrorum influxu variè alterari, & modò beneficas modò maleficas qualitates excipere. V.g. eos qui interlunio nascuntur imbecilles esse, & qui nascuntur in congressu Lunæ cum planetis maleficis parum vitales esse, vel variis paroxysmis epilepticis circa novilunia infestari. Medicos & in curationibus morborum, & in prædictionibus incrementi vel decremen-

crementi morborum Lunam & eius posituram contueri. Conjunctione Lunæ cum sideribus convenientibus remitti morbos, cum disconvenientibus intendi. Medicamenta, φλεβοτομίαν, scarificationes pro diversâ Lunæ φάσει, vel urgeri, vel differri. Negari non posse, influxus cœlestes in elementa diffundi, hominem verò constare ex Elementis, spiritum ducere in singula momenta, & cum eo qualitates aeri impressas: In plenilunio nos humoribus æquè ac alia animantia abundare, in novilunio non item. Cùm verò mores animi sequantur temperamentum corporis, & temperamentũ illud alteretur ab elemẽtis, elementa à corporibus cœlestibus, dubium non esse quin de moribus hominum è corporibus cœlestibus judicari possit. 4. Observari posse momentum conceptionis vel nativitatis cuiusque, & siderum ac constellationum tum posituram, tum vim & virtutem, adeoque ex utriusque observatione de eventibus natalem hominis & vitam excepturis judicari posse. Cœlo enim in duodecim domicilia distributo, & observato tum Planetarum, tum stellarum fixarum situ, quem obtinent in singulis domiciliis in articulo nativitatis cuiusque, facile iudicium fieri posse de fortunâ illius & moribus. 5. Sethum & Nepotes eius excogitasse *σοφίαν* illam *τὴν περὶ τὰ οὐράνια, καὶ τὴν τούτων διακόσμησιν*, referente Iosepho Antiq. lib. 1. cap. III. & hanc suam siderum scientiam, ob geminum *ἀφανισμὸν τῶν ὅλων* prędictum ab Adamo, columnâ & lateritiâ & lapideâ ad posteros transmisisse. Iosephum etiam, Mosen & Danielem in omni Ægyptiorum & Chaldæorum Scholâ institutos fuisse, nec id Deo improbatum legi.

V. Agmen claudunt *experimenta*, quæ authoritati & rationi succenturiant Planetarij, quibus plena arti suæ fides fiat. Multa hìc pro iis ex Historiis dici possunt, qualia sunt, 1. Iulium Cæsarem (qui *Lucano* referente solebat indulgere contemplationibus Astronomicis, & vacare

--media inter prælia semper
Stellarum cœlique plagis)

immolantem aliquando ab Haruspice Spurinnâ monitum, *caveret periculum quod non ultra Martias Idus proferretur:* Eundem ipsis Idibus, Cæsare præsagas voces illudente & dicente *Venisse Idus*, subjecisse, *venisse quidem Idus, sed non præteriisse.* Mox Cæ-

ſarem illâ ipsâ die tribus & viginti plagis à percuſſoribus multis confoſſum occubuiſſe, *Suetonius in Iulio Cæſare.* 2. *Auguſti* puncto natalitio ex arte inſpecto, *P. Nigidium* Mathematicum exclamâſſe *terrarum Dominum orbi natum.* A *Theogene* Mathematico idem illi in Apollonię ſeceſſu confirmatum fuiſſe, quum comite Agrippâ ibidem illius pergulam conſcendiſſet. Hinc Auguſtum ſummam hujus artis fiduciam habuiſſe, adeò ut non tantùm thema ſuum natalitium vulgaret, ſed & nummos argenteos, *Capricorni*, ſub quo natus erat, *ſidere* inſignitos cudi curaret, notato ſimul ſtellarum, ſub quibus in lucem editus fuerat, ordine & poſitu. 3. *Tiberium* ἐμπειρότατον fuiſſe, ſecundùm *Dionem* lib. LV. τῆς διὰ τῶν ἄστρων μαντικῆς, & hâc ipsâ arte & aliorum fata & Galbę principatum, ſed ſerò & ſe defuncto ineundum, tum prævidiſſe, tum pręd ixiſſe. Eundem ex eodem *Dionis* libro LV. liquet & ſuum, ac Caji & Lucij filiorum Auguſti fatum compertum habuiſſe: *Thraſyllum* etiam Mathematicum ἄνδρα πάσης ἀστρολογίας διαπεφυκότα, quo in inſula Rhodo utebatur, cùm Tiberius de eo ex muro prętupto pręcipitando conſilia agitaret, quòd illum ſolum arcanorum ſuorum conſcium haberet, vultum ſubitò mutaſſe, Tiberio percunctante cur frontem caperaret, reſpondiſſe Thraſyllum ſe prævidere, *ingens periculum ſibi imminere:* Tiberium verò admiratione artis motum à cæde eius abſtinuiſſe. Eundem *Thraſyllum* refert ibidem *Dio* adeò omnia obvia nota habuiſſe, ut, cùm procul adventare navim aliquando Rhodi vidiſſet, quæ nuntium Tiberio afferebat, eum à matre & Auguſto Romam revocari, antequam navis appelleret, nuntianda illi pręnuntiârit. 4. Aſtrologos *Vitellio* adhuc privato dignitatem pręnuntiaſſe, & poſtmodum eidem Imperatori diem mortis: cùm enim ille eos edicto promulgato ſub Kal. Octobris Italiâ excedere iuſſiſſet, libello in vulgus ſparſo Mathematicos repoſuiſſe, *Chaldæos dicere, bonum factum ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem uſquam eſſet*, eumque illo ipſo tempore apud Gemonias innumeris ictibus confoſſum ad plures migraſſe. 5. *Xiphilinum* in Nerone auctorem eſſe, Aſtrologum aliquem *Nerone* naſcente ἐκ τῆς τῶν ἀστέρων φορᾶς τῆς ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ καὶ πρὸς ἀλλήλοις ὁμιλίας duo pręd ixiſſe, *eum & regnaturum eſſe, & matrem occiſurum.* Vtrumque eventu poſtmodum comprobatum fuiſſe. 6. *Veſpaſianum*

 de Do-

de Domitiani successione & fato præsagas voces imò fatidicas diu ante sparsisse, frustra in se & suos conjurari, astris alicui ex suis portendi imperium. 7. *Suetonium* in *Domitiano* docere, Imperatorem illum annum diémque vltimum vitę jam pridem suspectum habuisse, horam etiam, nec non & genus mortis: Adolescentulo Chaldæos cuncta prædixisse, patrem quoque super cœnâ quondam fungis abstinentem palàm irrisisse, ut ignarum sortis suæ, *quòd non ferrum potius timeret.* Addit *Suetonius* ibidem responsum & casum mirum *Ascletarionis* Mathematici. Domitianum enim illum delatum, nec inficiantem jactasse se quæ providisset ex arte, sciscitatum, quis ipsum maneret exitus, & affirmantem *fore ut brevi laceraretur à canibus,* interfici quidem sine morâ, sed ad coarguendam temeritatem artis sepeliri quoque accuratissimè imperasse. Quod cum fieret, evenisse, ut repentinâ tempestate dejecto funere, semiustum cadaver discerperent canes, idque Domitiano cœnanti à Mimo Latino, qui præteriens fortè animadverterat, inter cæteras diei fabulas relatum fuisse. 8. Sic Domitiano ab Astrologis prædictum, *Coccejo Nervæ* astra imperium, sed brevi cum vitâ exuendum prædicere. Vtrumque breui post eventu fuisse comprobatum. 9. Addi possent exempla innumera ex omnium seculorum Historiâ, Imperium *Friderico III.* Neapolitano ex astris prædictum, à *Muhammede* II. occupatum & in immensum ex porrectum imperium astrorum beneficio. *Petro Aloysio Farnesio*, & cædem, & diem cædis IV. Eidus Septembris Anni CIↃ IↃ XLVII. à *Paulo* III. Pontifice Romano *Lucæ Gaurici* Mathematici operâ uso prædicta, quâ ipsâ die à coniuratis Comitibus Placentinis in arce suâ jugulatus arti fidem fecit, quod & Summus seculi nostri Historicus *Thuanus* narrat Histor. lib. IV. 10. Quòd *Chassanæus* refert de *Galeatio* Vicecomite Mediolanensi fidem superare videtur, quum enim illi prædictus fuisset ab Astrologo supremus dies, & genus necis inferendæ à Vasallo, cœpit ille pariter in Astrologi fatum inquirere, respondit Astrologus intrepidè, *sibi mortem ex trabis illapsu & in publico quidem imminere.* Galeatius ut Astrologi fato eluso suum eluderet, sine mora hominem ad supplicium rapi & capite plecti jubet. Dum id moliuntur satellites, & Astrologus extra portas urbis in reorum locum ducitur, turris quædam non ante mi-

nitata ruinam arcanâ quadam vi collapsa Astrologum simul & carnificem & plebem ad spectaculum confluentem oppressit, cujus interitum violenta Galeatij mors ex præscripto Mathematici brevi post in festo & æde Stephano Mediolani sacrâ excepit. 11. *Picum Mirandulanum* constat libro edito Astrologorum artem proscripsisse, illos etiam, ut & artem & se à contemptu vindicarent, annum ætatis XXXIII. ei fatalem fore denuntiasse, quo ipso anno rebus humanis exemptus fidem arti immaturo obitu fecisse dicitur. 12. Mirandum sed deplorandum simul *Henrici IV.* Magni Galliarum Regis exemplum, cui non tantùm violenta in curru mors sub annum ætatis LVII. prædicta, sed & illâ ipsâ die, quâ prodigium istud hominis nefariam sicam regio magni principis sanguine cruentavit, dux *Vindocinensis* Regem demissè monuisse dicitur, *Luparâ se contineret*, Brossæum Mathematicum atrocia & immania minitari. Spretum Mathematici monitum funesto parricidio comprobatum. 13. Addamus exemplum quod superiori seculo contigit in Polonia Anno CIↃ IↃ XXCVII. quum enim *Stephano* Poloniæ Rege rebus humanis exempto in regni Comitiis scissis procerum studiis magnâ animorum contentione de successore ageretur, & alij in familiæ Austriacæ clientelam se darent, in Mosci alij, alij in Daciæ & Transsylvaniæ Principum partes inclinarent, & multorum ambitu omnia suspensa essent, *Zamoscius* regni Cancellarius Mathematicum de eventu percunctatus ab eo pro respõso accepisse fertur vocem *DEVS* schedę inscriptam. Sceptro Polonico in Sigismundum Sueciæ Regem ex reliquis regni candidatis translato Zamoscium à Mathematico monitum, inverteret literas vocis schedę inscriptę, ex illarum inversione vocem *SVED* quæ *Suecum* designat, erutam summam artis admirationem peperisse. 14. Vnum addemus, prædictum aliquãdo Nobili cuidam Silesio harum artium curioso à tribus Astrologis, à primo, ipsi pereundum febri, à secundo, casu, à tertio, in aquis. His omnibus fidem factam, nobili illo ex febri in phrenesin delapso, ex ista in brutum impetum se è fenestra arcis aquis cinctâ pręcipitandi, & sic illum tum febri, tum casu, tum aquis extinctum. Hæc & complura alia id genus in Planetariorum gratiam referri possunt, qualia multa à multis collecta, quorum aliqua referenda duximus, tum ne Astrologi indictâ

cauſâ ſe tribu motos quiritari poſſint, tum ut ſolidis reſponſis narrationibus illis, quarum apud multos & authoritas, & fides magna eſſe ſolet, eò melius occurri poſſit.

VI. Vt verò in pauca contrahamus, quid de totâ hac arte, & fundamentis eius ſit ſentiendum, certa à dubiis, utraque à falſis ſunt ſecernenda, & ſuccinctè definiendum, tum quid aſtra poſſint in hæc inferiora, & quouſque Aſtrologorum abacus ſe extendat, tum quid nec aſtris nec Aſtrologis in nos ſit juris. Inde conſtabit, quid ex aſtris *certò* prædici poſſit: quid *probabiliter*: quid *nullo modo.* A ſideribus & lationibus cœleſtibus, Solis maxime & Lunæ acceſſu receſſúve alternas dierum & noctium vices, quadripartitam anni diſtinctionem, caloris, frigoris, ſerenitatis, pluviarũ etiam & tempeſtatũ viciſſitudines & alia id genus pendere negari non poteſt. Negari etiam non debet, à corporibus cœleſtibus pro vario eorum motu, & poſitu ad ſublunaria, corpora elementaria variè affici, & modò beneficum, modò maleficum lumen in aerem vel inprimis corpus ob tenuitatem & raritatem ſuam cuivis impreſſioni facile obnoxium effundi. Nemini etiam dubium, Lunâ orbem ſuum complente, non ſegetum ſolùm & fructuum incrementa promoveri, oſtreorum & conchyliorum carnes, oſſium medullas largiori ſucco fœcundari, ſed & liquores in plantis, humores in animalibus & humanis etiam corporibus augeri & concitari, diminui verò & areſcere interlunij tempore Lunâ mutuatitium lumen parciùs effundente. Nec Medicorum tantùm & Aſtrologorum, ſed & agricolarum & ruſticorũ experientia hîc ſufficit, quos in admiſſionibus pecudum, lignationibus, & aliis id genus Lunæ rationem habere, conſtat. Hinc notum, arreptitios à Scripturâ σεληνιαζομένους vocari, quia ſpiritus impuri, ut hoc obiter inſeram, cum Lunæ incremento, incrementa humorum captant, ut eorum exuberantiâ & cerebri tunc exæſtuantis motu, applicando naturalia activa paſſivis, in ægrorum perniciem utantur, & facultatem imaginativam conturbent. Non dubium etiam, quin pro diverſo ſiderum reliquorum ſive fixorum, ſive erraticorum ſitu corpora elementaria variè afficiantur. Integrum ergo Planetario, non ſolùm orbium cœleſtium motus, eorum periodos, intervalla, ortus & occaſus ſiderum, conjunctiones, oppoſitiones, aſpectus, & Eclipſes ſive Solares ſive Lu-

nares animo proſpicere & *certò* prædicere, quia hæc cauſas *certas* & æqualiter ſemper conſtitutas habent, niſi intercedat peculiaris cauſæ primæ circa ſidera diſpenſatio, qualis tempore Ioſuæ in ſtatione ſolis *Ioſ.* x. & in eiuſdem retrogradatione *Ieſ.* XXXVIII. contigit. Poſſunt etiam Planetarij perſpectis communibus aſtrorum virtutibus, & aſtri vel conſtellationis dominantis obſervatione argumentum ducere ad ſiccitates, tempeſtates, ſterilitates, eluviones, morbos epidemicos, & alia id genus, & illa omnia prædicere, ſed illatione tantùm *probabili*, quia prȩter cauſas illas univerſales & remotas aliæ multæ intercedunt, quæ ad vim ab æthere demiſſam vel remittendam, vel arcendam prorſus, multùm momenti habent. Quoties etiam fieri poteſt, ut hac vel illâ conſtellatione obſervatâ ejuſmodi ſidera intercedant, quæ vel intercedere ignorat Aſtrologus, vel quorum nec naturam novit, nec vires? Huc accedunt, diverſus regionum poſitus, diverſa corporum temperamenta, diverſa materię ſublunaris diſpoſitio, quæ omnia in cauſâ eſſe poſſunt, ut nec influxus cœleſtes excipiantur abſque pugnâ, nec excepti eoſdẽ producant effectus. Nec verò eſt quod hîc anxiè rationes conquiramus, quilibet commentationes Planetariorum veterũ & recentium, *Ptolemæi*, *Campani*, *Regiomontani*, *Cardani* aliorũ, de virtutibus ſiderum ſive fixorum, ſive erraticorũ, de domorum cœleſtium finibus, imò Ephemerides etiam & Calendaria, quę vocant, ex Aſtrologorum obſervationibus, & ab illis concinnata percurrat, quibus illi ſerenitatem, tempeſtates, calores, frigora, nives, pluvias, ventos definiunt, & animadvertet quàm bellè cœlo & elementis cum computo hominum illorum conveniat, eóſque videri id unum egiſſe, ne aliquando verum dicere deprehendantur. Quod ſi ergo in effectibus ſiderum communibus, & in iis quæ tãtùm à cauſis naturalibus pendent definiendis graviſſimè ſubinde hallucinatur Aſtrologorum perſpicacia, fortuita, caſualia, ſingularia, ab arbitrio hominis & cauſis innumeris aliis proximis pendentia ſive ab aſtris, ſive ab Aſtrologis exſpectare, animi eſt creduli nimis & imbecillis. Talia itaque *nullo modo* ex Aſtris prædici poſſe ſtatuimus.

VII. Non jam dicam, ab Ægyptiis, Chaldæis & aliis Idololatris hanc artem fluxiſſe. Satis, opponamus Planetariis & Genethliacis I. *Authoritatem* & divinam & humanam. II. *Rationes*. III. *Experimenta* falſa.

Autho-

Authoritatem divinam quod attinet, 1. divinationes removentur ab Israele. *Num.*XXIII.22. Genere sublato, tolluntur omnes eius species. Et Deus severè prohibet, *ne consulantur pythones & arioli Lev.*XIX.26.31. Immò pręcipit, ut anima, quę converterit se ad pythones & ariolos exscindatur è medio populi sui. Sic mortem illis interminatur Deus c.XX.27. *Viri aut mulieres, si erit ex eis pytho aut ariolus, omnino morte afficiuntor, lapidibus obruuntor, cædis eorum causa est in eis.* 2. Futurorum cognitionem amolitur ab homine. *Prov.*XXVII.1. *Eccles.*VIII.6. & eam Deo soli vindicatum it & transcriptum ut κριτήριον veri Dei dignoscendi ab Idolis *Iesa.* XLI.21.22. *Producite causam vestram, ait Iehova: admovete firmamenta vestra, ait Rex Iacobi. Proponant & indicent nobis ea quæ obventura sunt, priora quænam sunt indicate, ut apponamus animum nostrum, & cognoscamus finem eorum, aut eventura pronuntiate nobis.* 3. Deus vanitatem & artis & artificum, & illorum qui ab illis deluduntur credulitatem perstringit *Iesa.* XLVII.12.13. *Sta iam cum incantationibus tuis & cum multitudine præstigiarum tuarum, in quibus laborasti à pueritiâ tuâ*, &c. *Stent iã Astrologi, qui contemplantur stellas, qui notas faciunt in mẽses* pręditiones suas, *& servent te ab iis quæ superventura sunt tibi. Ecce sunt tanquam stipula*, &c. 4. Deus confusionem, stultitiam, furorem interminatur ejusmodi Aretalogis *Iesa.*XLIV.20. 5. Deus edicit Israelitis, ne discant viam gentium, & ne à signis cœli metuant, quæ metuunt gentes, quæ duo ut eiusdem commatis conjunguntur apud Prophetas. *Ier.*X.2. 6. Daniel Deo arcanorum revelationem exclusivè vindicat II.28. *Est Deus in cælo revelãs arcana, qui notum facit Regi id quod futurum est consequentibus temporibus.* 7. Artes ejusmodi post primum Evangelij gustum damnatę, & libri τῶν τὰ περίεργα πραξάντων exusti à suis Authoribus egregio exemplo. *Act.*XIX.19. *Syrus* illos docet fuisse חרשׁא non tam Magos Diabolicis planè artibus deditos quàm præstigiis, & artibus vanis ac illusoriis, utrumque enim Syris illâ voce designatur. Nec enim Spiritus S. alioquin has artes adeò miti nomenclatione τῶν περιέργων perstricturus fuisset. Nec est quod hîc μείωσιν suspicemur cum Doctissimo Interprete, cujus nulla nec nota, nec causa. Præstat itaque per τὰ περίεργα illa intelligere quæ non mala videntur, sed curiosa tantùm, revera tamen mala sunt, qualia sunt commenta illa

& placita Planetariorum & Genethliacorum.

VIII. Authoritati S.Scripturæ subscribunt *Patres* omnes ferè, ex quorum scriptis centones innumeri contexi possent, quibus Planetariorum imposturæ, fraudes, promissa impia & vana proscribuntur. A citatione prolixâ & anxiâ dictorum à singulis me abstineo, quia Diatriba huic argumento destinata, non volumen. Vide acta Concilii *Braccarensis* primi & *Toletani* primi, quibus Priscillianistarũ sectatores perstricti, & sub anathematis interminatione proscripti. Nec mitius actum cum hoc hominum genere ab Imperatoribus, & legibus humanis. Ab *Augusto* tales urbe, à *Tiberio* primùm, post à *Claudio* Italiâ, à *Vitellio* Orbe & vitâ, à *Domitiano* bis urbe & Italiâ ejecti & interdicti, ut hominum genus potentibus infidum, sperantibus fallax. Vide etiam Titulum XVIII. lib. IX. Codicis qui agit de crimine maleficii, ubi non tantùm in eadem rubricâ *Mathematici* (h. e. ut bene annotat Summus Vir *Cujacius*, impostores qui Mathematicorum liberali nomine adumbrantes ineptias suas profitentur se fata cuiúsque nosse, & natalitias syderum observationes) conjunguntur cum *Maleficis*, h.e. venenariis & Magis, qui carminibus diris defigunt alios, & utrique conjunctim subjiciuntur pœnis Legis Corneliæ. Ibidem §.II. *ars Mathematica*, (id est genethliaca, interprete *Cuiacio*) *damnabilis* dicitur *& interdicta omninò*. Ibidem §.V. *Nemo aruspicem consulat aut Mathematicum, nemo ariolum. Augurum & vatum prava confeßio conticescat. Chaldæi ac Magi & cæteri quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuò divinandi curiositas.* Talis etiam in comitatu Cæsaris deprehensus jubetur puniri, §.VII. *Si quis magus vel magicis carminibus adsuetus qui maleficus vulgi consuetudine nuncupatur, aut aruspex aut ariolus, aut certè augur, vel Mathematicus, aut enarrandis somniis occultans artem aliquam divinandi, aut certè aliquid horum simile exercens, in comitatu meo, vel Cæsaris fuerit deprehensus, præsidio dignitatis exutus, cruciatus, & tormenta non fugiat. Si verò convictus fuerit, & ad proprium facinus detegentibus repugnaverit pernegando, sit equuleo deditus, ungulisque sulcantibus latera perferat pœnas proprio dignas facinore.* Sic Honorii & Theodosij Imperatorum sanctione constitutum, ut in oculis Episcoporum Mathematicorum libri exurantur.

IX. Plurima alia Authorũ gravissimorum & veterum & recentiorum judicia prætermitto, quia privata, & superflua, ubi præeunt divinæ humanæque leges. *Rationibus* verò nec levibus, nec paucis ars illa everti potest. 1. Demonstratum, naturalia & à naturalibus causis tantùm pendentia nonnisi probabiliter prædici posse, minus ergo casualia, fortuita, voluntaria certò prædici poterunt. Non nôrit Astrologus, an æstum vel imbrem agricola, an serenitatem vel tempestatem nauta hodie sperare debeat aut timere? & ille compertum habebit, Polycratem cruci suffigendum, Cræsum ad pyram, Cyrum ad imperium evehendum, Timonem thesaurum, Piscatores Milesios tripodem aureum reperturos, Anaxarchum in mortario, Perillum in suo bove, Socratem cicutâ, Æschylum testudinis illapsu, Alexandrum toxico, sicâ Domitianum, fatis concessuros, hanc Thaidem, illum Hyppolitum, hunc Zenonis discipulum, illum Epicuri futurum? Horum præsagam scientiam sibi adscribere, non est astra metiri, sed ex iis splendidè mentiri. 2. An quæso Astra horum & aliorum id genus evẽtuum sive *causæ* dici possunt, sive *signa*: si *causæ*, quî non fatum plus quàm adamantinum & fatalis omnium rerum respectu causarum etiam secundarum necessitas in naturâ constituitur? sin causalitas quidem, non *necessitans* tamen, astris adscribatur, quî ex communibus, partialibus remotis effectus certi & definiti certò deduci possunt? immò si effectus hi fortuiti sunt & contingentes, quoad causas secundas, quî certæ & ad unum determinatæ causæ in astris quæruntur? Sin *signa* dicuntur, vel *naturalia* erunt, vel *supernaturalia*: Non *naturalia*, quum nec effectus sint eorum quorum signa sunt, nec ab eâdem cum rebus significatis causâ procedant: Non *supernaturalia*, quî enim alioquin vel tot erroribus obnoxia forent, vel ex observationibus naturalibus & citrà revelationem Astrologis innotescerent? 3. Vt verò Chymici & ciniflones, quò incautis imponant, multa arti suæ præfantur de temperamentis elementorum, de proportionibus qualitatum, de vi caloris ignei, ut assentienti verissimis propositionibus animo sensim falsas insinuent hypotheses, metalla non specie sed gradu tantùm differre, & Mercurium omnibus communem utilissimâ mortalibus metamorphωsei sensim in altiorem sphęram artificioso calore transferri posse: sic & Astrologi inutili elo-

quentiâ se diffundunt in encomia corporum cœlestium, urgent nexum superiorum & inferiorum, docent non frustrà plures orbes, sidera, motus reperiri. His, quæ nemo inficiatur, præmissis magno postmodum hiatu ad casualia & fortuita descendunt, & fortunas hominum ex astris suspendunt. An, si non frustrà tot vel orbes, vel motus, vel sidera, ea definitè his vel illis effectibus, quos comminiscuntur Astrologi, sive producendis, sive designandis sunt destinata? an illa frustrà esse dicemus, in quibus expressi potentiæ simul & sapientiæ Dei characteres legi possunt & observari? an illa frustra, quę effectus suprà prolixè commemoratos in sublunaribus producunt, vel ad illorum productionem concurrunt? 4. Speciatim *Hominem* quod attinet, quâ temeritate Astrologi in fato ejus definiendo utátur, disquiramus. Iactant se & punctum nativitatis observare, & quis in eo siderum positus, quæ stellæ fixę, qui planetæ, in quâ domo reperiantur, an *exaltatio* Planetæ huius vel illius nascenti obveniat, an *deiectio*, an reperiatur in *trigono* naturæ suę *conveniente* vel *disconveniente*, an in domo *masculina* vel *fœmininâ*, quis quadrans vel *ascendens* vel *descendens*, quæ domus *angulares*, quæ *succedentes*, quæ *cadentes* vel *pigræ* observentur, quis aspectus planetarum, an *trigonus*, an *tetragonus*, an *sextilis*, an *oppositus*, & quæ sunt alia id genus novarum observationum portenta. Hinc inquiunt sibi promptum esse, ex Planetis vel *seorsim* consideratis, vel *coniunctim*, sive inter se sive cum signis zodiaci singulorũ, virtutes observare, & ex hac urnâ hominum sortes futuras educere, mores & studia definire, prospera, adversa & utrorumque περιστάσεις & tempora exactè notare. Largiamur illis, quod falsissimum, ex Astris fortunas hominum suspensas esse, quæ quæso obstetrix, quis Planetarius, quo Astrolabio punctum nativitatis ullius mortalium unquam accuratè subducere potuit? cum ea in puncto vel momento, quia cum motu coniuncta, non absolvatur. Momenti verò error ob rapidissimum siderum, quem supponunt, m[illegible]um momenti ingentis est, non exigui, cum & in puncto temporis cœli constitutio in immensum varietur, quod Nigidius Mathematicus, ut se ex difficultate, quæ de gemellorum diversis studiis objecta erat, expediret, jam olim ostendit atramento rotæ figulinæ in orbem eunti quanvis celerrimè in partibus tamen remotissimis impacto. Antequam ergo fœtus

mater-

maternus se ex utero expediat secundùm omnia membra, constellatione mutatâ aliud in eodem homine capitis fatum erit, pedum aliud. 5. Sin verò ea quæ circa hoc punctum nativitatis contingit variatio, tanti non est, ut mutationem inducat insignem fato nascentis, quî fit quod gemelli, *Esavus* & *Iacobus, Peres & Zera, Eurysthenes & Proclus*, & alii circa eandem horæ partem in eadem vrbe nati diversissimis sæpe urgentur fatis? hic vix natus denascitur, ille ad decrepitam ætatem est superstes, hunc honores, illum infamia manet, hunc aurum premit, illum paupertas, hic togam vestit, ille sagum, hic mortem ferro infert, ille excipit, huic robustum & vegetum, illi debile & in Medicorum tâtùm experientiam natum corpus obtingit. 6. An maris & fœminæ ex eodem utero circa idem tempus natorum, studia eadem, genius idem, vires eædem, eventus & casus iidem? An non etiam illorum ingenia, fata sæpe conformia, qui diversissimo siderum positu nati? 7. Sed ineptum & præposterum ex puncto nativitatis Thema erigere, quin potius ad conceptionis punctum Genethliacis attendendum erit? At cui matri etiam id notum, vel observatum, nedum Planetario? Nec verò ex puncto nativitatis punctum conceptionis colligi potest, cùm partus & septimestres, & octimestres, & novimestres, aliisque intervallis magnâ varietate dentur. 8. An qui uno prælio cadunt, quos eadem involvit strages, quorum mortes vel terræ motus, vel tempestas, vel morbus Epidemicus, vel ruina domus, vel calamitas aliqua publica conjungit, sub eodem vel simili horoscopo concepti & nati idem habuere thema natalitium? An Ægyptiorum primogenitis ab Angelo Domini percussis, an Ægyptiis in mari Erythræo submersis, an Cananæis simul cæsis, an Philisteis à Samsone vel percussis vel oppressis, an infantibus Bethleemi à satellitibus Herodis jugulatis, & illis Galilæis quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eadem sidera eodem positu in nativitate illuxêre? 9. Quid si hypochondriaci Saturnum, Principes Iouem vel Solem, prædones & grassatores Martem, adulteri Venerem, æruscatores & trapezitæ Mercurium ascendentem & regnantem, & *genituræ dominum* habent, an tunc cum nascebantur, nemo præter eos natus, vel qui cum iis nati, eadem fata sunt sortiti, & eadem studia eodem successu sequuti? 10. Annon

ex leprosis leprosi, ex sanis sani, ex pauperibus pauperes, ex regibus reges eodem siderum positu nascuntur, & plus virium in naturâ seminis, in fortunâ parentum, & aliis id genus causis, quàm in astris? Morbos etiam *cephalicos*, *nephriticos*, *arthriticos* hæreditarios soboli faciunt Medici, cui frustrà alius à parentũ horoscopo siderum positus obtingit, semper illa ob traducem paterni sanguinis, seminis ἰδιοσυγκρασίαν, & virtutis formatricis naturam, tristem illam morborum hæreditatem cernet: Interdum scelerum etiam & perversæ indolis, quod *Domitius* Neronis pater non ex astris, sed ex suis & Agrippinæ moribus didicit. His tabulis inspectis, *Xiphilino* in Nerone teste, Neronis improbitatem & petulantiam prævidit, & prædixit ingenuè, inquiens, *impossibile esse ut ex se & illâ vir bonus nasceretur.* 10. An unius fortuna ex astris prædici potest, quin plurium simul fortunæ misceantur, & in unius horoscopo multorum aliorum, quibuscum ei negotium futurum, horoscopi & constringantur, & simul observentur? An, verbi gratiâ, uxorum numerus cuiquam prædici potest, quin earum mortes in eodem horoscopo definiantur? 11. An non contingere potest natalitium Sidus ei paupertatem portendere, quem dives aliquis hæredem ex asse est scripturus, cuius institutum in horoscopo hæredis quærere, est paulò minus quàm cum ratione insanire. 12. An quæso vis illa sive felicitatem sive calamitatem nascenti vel inferens, vel præsagiens in cœlo asservatur, aut infunditur nascenti, ut certo tempore in nervum erumpat? Si in cœlo servetur, quî siderum positu planè variato eadem virtus, idem influxus? Sin infundatur nascenti, scilicet viator in causâ erit, ut juguletur à prędone, naufragus, ut coeant vẽti, intumescat mare, tempestas illidat nauem brevibus, vel ut illa collidatur cum aliâ, pauper ut sive à fure, sive ab incendio, sive ab eluvione bonis suis exuatur: *Abimelechus*, ut cranium sibi elidatur per saxum à fœminâ dejectum, *Achab* ut inter cõmissuras loricæ ab homine sui ictus incerto telum adactum recipiat visceribus & illud fiat *lethalis arundo*? *Alius*, ut lignatori ferrum è manubrio excidat, & in caput suum involet. Crudiora sunt ista quàm ut homini sano & suæ spontis obtrudi queant. 13. Sanè, si quidquam, temperamenta parentum, educatio, vitæ genus, magnam ad formandos ad virtutem

vel

vitium animos vim habent, & tamen prava ſæpe indoles à virtute ſimul & curâ paternâ degenerat, ſæpe etiam peſſimam educationem naturæ bonitas vincit. Multo magis ergo ſiderum influxus vel coerceri poteſt, vel inflecti, vel ſaltem mitigari. An diffitebuntur Aſtrologi maximam *regenerationis* vim eſſe, & Spiritus Dei, qui hominem *novum* facit, & *alium*, illum ſibi eripit, & Deo tradit, an in ſuis tabulis & domibus arcana Dei decreta de hoc vel illo convertendo reperiunt? an gratiam *coercentem* tantùm vel *reprimentem*, an *convertentem* etiam & *vorticordiam* Deus huic vel illi decernat, & quâ horâ, quo gradu? Sin hæc ſacra iis operta ſunt & inacceſſa, annon quem vitioſiſſimum aſtra deſignant, is Spiritu Dei indutus ex alto naturam exuere poteſt & induere novum animum, novos mores?

X. Cui verò fundamento illam domiciliorum cœleſtium fabricam ſuperſtruxêre Planetarij? quo tibicine fulta vana illa & multiplex de ſiderum in hoc vel illo poſitu virtute commentatio? quâ demonſtratione ſive à *priori*, ſive à *poſteriori* probatur? qua experientia colligitur, cum totum cœlum, ex Planetariorum hypotheſi, nonniſi poſt XLIX. millium annorum periodum redeat ad eandem prorſus cõſtellationem. Vnde *Franc. Valleſius* de ſacrâ philoſophiâ cap. XXXI. bene monet, Aſtrologiã Iudiciariam non reſolui in principia per ſe nota, nec in alia ſcientia demonſtrata, nec cognita experimento, nec à prima veritate revelata, adeoque vanam & falſam eſſe. Et quî ex aſtris ſolida dari divinatio poteſt, niſi omnia, nullo excepto, homini cognita ſint, tùm quoad numerum, tum quoad virtutes ſingulorum, tum quoad gradus *activitatum*? Niſi enim hæc & alia id genus conſtent, conjecturalis ſpeculatio dari poteſt, ſcientia non item. Quî verò eorum virtus definiri poteſt, quorum numerus ſubduci non poteſt? Quot ſidera fixa ignota Mathematicis? quot ſiderum magnitudines, virtutes, motus peculiares? Imò hoc Scriptura Deo tribuit, ut aliquid ſingulare, & infinitæ ſcientiæ argumentum certum, *ſtellarum nomina & numerum noſſe.* Quî ſiderum etiam poſitus ad certum conceptionis vel nativitatis punctum applicari poteſt, quod nulla diligentia obſervare licet? Cui in philoſophicis vel mediocriter verſato perſuaderi poterit, ex cauſis univerſalibus & indeterminatis, nulla particu-

larium & determinatarum ratione habita, de eventibus particularibus,& definitis esse pronuntiandum? Quibus tabulis scriptum, jus astris esse in ea quæ à voluntate & arbitrio humano sive sibi relicto, sive à Deo aut coercito aut directo emanant? Quî in animum hominis nec è materiæ concretione, nec è traduce animæ paternæ vel maternæ prosatum, sed cœlo ortum & à Deo creatum vis sideribus & directa & ingens, qualis illa esse debet, quæ extra dubitationis omnis aleam constituta? Cur Planetarij confundunt operationes naturales cum voluntariis, determinatas ad unum cum indeterminatis? liberas cum necessariis naturâ? An astris vel bonorum ab homine patratorum laus, vel malorum vituperia transscribenda? An tot casus, fortunæ, infortunia,ut vulgus loqui solet, contingentia respectu causarum secundarum dici possunt, si causas determinatas in siderum influxu habent? Annon hac ratione fatum Stoicum postliminiò in Ecclesiam revocatur? Annon in adyta sacro supparo operta artis hujus obtentu irrumpũt homines temerarii? Annon magna temeritate futurorum,& Deo soli notorum eventuum arcana definiunt? Annon vel vanis spebus credulorum animos implent,vel minis inanibus torquẽt,& homines vel timidos reddunt,vel audaces? Annon scelerum & virtutum causas transcribere astris, est bonis moribus intercedere, & hominis hac superstitione efferati animum magis ad astrorum contemplationem, quàm ad astrorum creatoris venerationem alligare? Atqui

--Astrorum causa malorum
Nos sumus,& sua quemque magis vecordia lædit.

Immò,annõ hac ratione fibula laxatur securitati,& projectę ad omne flagitium nequitiæ apud illos, quibus canos & longam senectutem pollicetur Planetariorum temeritas? Annon hos jubent *spes inchoare longas?* quî hic sanctæ solicitudini,& exspectationi adventus Domini in horas locus? Debetur hîc laus non vulgaris ingenuitati *Cornelii* à *Lapide* celebris è societate Iesu Theologi, qui fatetur *Tacitum* fuisse verum Vatem, dum præsagiit olim, Hoc genus hominum etsi vetitum retentum tamen semper iri in civitate Romanâ, ubi etiam liberè edisserit Commentario in cap.XIX. Actorum, qualia sint Romæ purpuratorum studia, & quàm damnosa. *Sanè paucis annis*, inquit,

inquit, *quibus Romæ fui, vidi plures viros magnos ab Astrologis deceptos, dum huic vitam longiorem, illi Cardinalatum, alteri Papatum prædicunt & promittunt, quos omnes vanâ spe & mendacio delusos fuisse eventus docuit magno eorum periculo & damno. Dum enim se non credunt morituros, nisi prius adepti sint prælaturam, quàm promiserunt Mathematici, etiam lethali morbo icti, ad mortem se non parant, quare imparati & improvidi moriuntur, quæ sanè aperta est Diaboli fraus, qui per divinationes hasce animabus ipsorum insidiatur, & quasi lupus inhiat, ut eas capiat & rapiat.* Addit *Cornelius*, *Expergiscimini Prælati, filij hominum ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? imò sæpe interitum non tantùm corporis sed & animæ.* Et hoc est Spiritus Sancti vocationem exspectare, & eâ solâ ad dignitates Ecclesiasticas gradi. Hæc ipsa ars tranquillitati sæpe publicæ intercedit, dum in principum mortes & fata nefariâ temeritate inquiritur, & Sol Occidens spernitur, adoratur Oriens. Prætermitto multa talia quibus fatidicę sortes, Planetariorum abacus &, ars illa præstigiatrix, everti potest, quippe quę non rectę tantùm rationi inimica, sed & veræ pietati, & publicæ tranquillitati. Mathematicos cæteroquin, & nobilissimas, quas profitentur disciplinas, quę certis & immotis principiis nitũtur, absit ut sub Planetariorũ & Astrologiæ iudiciariæ censu complectamur, quum & illi laudẽ haud vulgarẽ, istę commendationẽ mereantur ingentem, quippe quæ & pulcherrimarum rerum contemplatione animos hominum explent, & utilissimam praxin in Ecclesiâ, Republica, Oeconomia habent, & togatis æquè ac sagatis non utiles tantùm sunt, sed penè necessariæ.

IX. Reliquum jam est, ut fundamenta Planetariorum. 1. Ex S. Scriptura. 2. Ex ratione. 3. Ab experimentis ducta evertamus.

Ad loca S.Scripturæ. *Resp. Ad* I. ex *Gen.* 1.14. Peccari Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον, & illationem duci *affirmatiuè à genere ad speciem.* Luminaria cœlestia sunt posita à Deo in signa. Ergo in signa eventuum futurorum, & eventuum omnium, non naturalium tantùm & necessariorum, sed voluntariorum etiam & contingentium. Prius verum, posterius falsum. Signa verò sunt luminaria cœlestia partim *naturalia* temporum & tempestatum, partim *moralia*, sive *perfectionis* creatoris, sive *officii* creaturæ, partim *œconomica*, in variis rei œconomicę partibus obeun-

dis. *Ad* II. ex *Iudic.* V.20. *Resp.* peccari παρερμηνείᾳ loci siue *in subiecto*, sive *in prædicato*. 1. *In subiecto*, si per stellas cum Interpretibus quibusdam intelligamus Angelos, tum quia stellæ & Angeli sunt צבא *exercitus* cœlorum, tum quia stellarum nomen Angelis tribui videtur aliâs quoque in Scriptura, v. g. *Apoc.* XII. ex collatione versus 4. & 9. tum quia Angelis Deus alibi etiam usus ad fundendos hostes sui populi. 2. *In prædicato* verò παρερμηνεία manifesta, dicuntur enim stellæ pugnasse cum Sisarâ, non *influxu naturali*, sed *directione supernaturali*, actione *extraordinariâ*, non *ordinariâ*, idque non *formaliter*, sed *effectivè*, quatenus Deus sideribus extra ordinem usus ad meteora varia producenda, tonitrua, fulmina, ventos, grandinem, à quibus Sisara cum suo exercitu ingentem cladem passus fuit. Et sanè tale quid innuit *Iosephus* Antiquit. lib. V. cap. VI. dum inquit, in ipsa pugna supervenisse ὄμβρον μέγαν καὶ ὕδωρ πολύ, καὶ χάλαζαν, & ventum illam tempestatem in vultus adversos Cananæorum impegisse, scuta armatis excussisse, & hac ratione tela, aciem & ordines illorum turbasse, Israelitis contra addidisse animum & ἔννοιαν τῆς βοηθείας τοῦ Θεοῦ. Aliud verò est, sidera naturali positu & influxu agere, aliud, è directione extraordinariâ causæ superioris: Aliud, in singulari aliquo casu, aliud, in omnibus: Aliud, influere ad meteora producenda, aliud influere in voluntates & consilia humana. 3. Imò, an omnes illi, qui in pugna illa cecidêre eundem siderum positum, idem thema natalitium habuêre? Quin potius, cum diversæ ætatis homines eâdem strage fuerint involuti, dubium non est, eos diversissimo siderum positu natos, eodem tamen fato denatos fuisse. 4. Quid si simplicius ex collatione hujus loci cum *versu* 15. capitis quarti dicamus, Spiritum S. dicere sidera è cœlo in Sisaram pugnasse, quia victoria illa cœlestis erat, Dei solius auspiciis, ut ibidem docet Spiritus S. non humanâ fortitudine parta. Nec mirum in Cantico, ubi stylus poeticus, hanc loquendi formam adhibitam, &, vt ostenderetur omnia favisse Israelitis ad victoriam, dici, ipsa velut astra pro illis pugnasse. Quid verò inde pro Planetariis & Genethliacis? *Ad* III. ex *Iob.* XXXVIII. 31. 32. 33. *Resp.* 1. Peccari merâ *ignoratione Elenchi*. Nihil ibi vel de siderum in animos & actus hominum influxu, nihil de dependentiâ fortunarum humanarum à sideribus, nihil de cogni-

cognitione evẽtuum singularium ex astris, sed tantũ de sapientię potentię & providentię divinæ argumẽtis, quibus Deus Iobum ad suæ imbecillitatis confessionem adigit, mirandos suæ virtutis characteres legi in cœlo, & sideribus, in eorum positu, ordine, varietate, effectibus, æquè ac in terrâ, mari, abysso, & aliis corporibus sublunaribus. 2. Potest hoc ipsum retorqueri per *βίαιον*. Eo ipso quo nec Iobus nec ullus mortalium potest cognoscere *de statutis cœli*, inanis & vana Planetariorum scientia. Notum enim, interrogationes ibi negantes proponi. Hoc sensu Scriptura soli Deo exclusivè tribuit quod compertum habeat *numerum stellarum*, & *nomina omnium* *Psal.* CXLVII. 4. *Ad* IV. ex *Psal.* XIX. 2. *Resp.* Itidem committi *ignorationem Elenchi*. Cœli sanè, enarrant gloriam Dei, *obiectivè*, nõ *subiectivè*, quatenus in corporibus illis, ut notum, splendidissimis, vastissimis, & summè ordinatis τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ eximiis characteribus descriptum videri potest & observari. Quid hoc ad tabulas Planetariorum? Sermo ille cœlorum manifestus est omnibus, obvius, Genethliacorum obscurus & tectus; sermo cœlorum insinuat homini τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ, ἀΐδιον αὐτοῦ δύναμιν καὶ θειότητα, an verò etiam τὸ ἀκατάληπτον ante eventum, fata & fortunas hominum, & quicquid vel speramus, vel metuimus, vel experimur in horas? Illud Scriptura docet & res, hoc nec illa, nec ista. *Ad* V. ex *Iesa.* XXXV. 4. & *Apocal.* VI. 14. *Resp.* Illa ἀπροσδιόνυσα esse & illationem inanem, peccatur enim 1. *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, *& à dicto secundùm quid.* Quàm hæc levia & jejuna! Cœlum confertur cum libro: Ergo cœlum liber est, Cœlum confertur cum libro, secundùm quid & in aliquo: Ergo absolutè & in omni. In cœlo ut in libro multa scripta: Ergo eventus singuli, fortunæ & fata omnium hominum. In quo verò confertur cœlum cum libro? non sanè ratione sive *materiæ*, sive *finis* & *usus* (etsi sic etiam ex sententia Psaltis *Psalm.* XIX. cœlum liber dici possit certo modo ut suprà ostensum,) sed tantùm ratione *formæ externæ*, quia cœlum expansum est & exporrectum, non quidem instar libri nostratis, sed tamen instar voluminis Iudaici, quod ex unâ membranâ constabat & circa axem cylindri instar convolvebatur, qualia hodieque Iudæi volumina habent. Vnde *Apoc.* VI. 14. mentio βιβλίου εἱλισσομένου libri *convoluti*, quod libris nostratibus non ita com-

modè aptari potest. Vnde, ut notum, מגלה *volumen* à גלל. 2. In *Iesaia* cœli convolutio prædicitur ad terrorem, horrendum fore Dei judicium in gentes, ut ipsæ cœli virtutes quasi sint concutiendæ, stellæ loco movendæ, & contrahendum ac complicandum cœlum sive præ calamitatis pręsentis magnitudine, sive præ imminentis metu. 3. In *Apocalypsi*, non de cœlo materiali & sydereo sermo; sed de cœlo mystico & spirituali, quod sub regno vel tyrannide potius Antichristi convolvendum prædicitur, & vel Ecclesia est, vel Dei verbum, utrumque enim ex his voluminibus convolutum fuit ante Reformationem, h.e. occultatum & suppressum, ut liber convolutus, oppressa enim Ecclesia vera, suppressum Dei verbum.

XII. *Ad* VI. ex *Matth.* II. 2. *Resp.* 1. Peccari *falsâ hypothesi*, ortum illum stellæ naturalem fuisse, non supernaturalem, indicium etiam naturale, non supernaturale, vt & judicium Magorum de illius significatione. 2. Imò per *βίαιον*, eo ipso quo tale quid soli Christo ob ὑπεροχὴν ejus singularem contigit, evidens, ordinariè sidera aliorum natales non portendere. 3. Quibus fidiculis etiam hoc ἑπόμενον ex antecedente illo ducitur, Christi natalem stella peculiaris ostendit: Ergo omnium hominum fata, studia, mores, fortunæ in astris sunt descriptæ, & in iis animadverti possunt ac legi. Sanè si Matthæus non stellæ, sed constellationis totius cœli, non designationis natalis Messiæ, sed horoscopi & thematis natalitii Christi meminisset, aliquâ probabilitatis specie Planetarij, quanvis non sine *Elencho parium*, inde argumentum ducerent ad aliorum natales. Nihil verò tale apud Matthæum. 3. Quid etiam stellæ illi extraordinariæ, non in cœlo sed in aere hærenti, ejus apparitioni, motui, situi commune cum stellis illis, ex quibus προγνώσεις suas ducunt Planetarij? Annon diversissima omnia? 4. Adde, stellam illam nec punctum nativitatis Domini indicasse, nec id ex eâ collectum fuisse. 5. Falsissimum etiam, Christi vitam, mores, exitum à stellâ & eius influxu suspensa fuisse, ut cavillabatur olim *Faustus Manichæus*, cui bene *Augustinus* lib. 11. adv. Faustum respondit de stellâ illâ loquens: *Non dominabatur Christo ad decretum, sed famulabatur ad testimonium, nec enim subjiciebat imperio, sed indicabat obsequio.* *Fausti* itaque cavilla, & *Porphyrij* Christi sapientiam & miracula ex scientiâ siderali profecta contendentis

dentis criminationes inſanas averſamur. *Hieronymi Cardani* etiam temeritatem dicámne an impietatem vix tribus Anticyris ſanandam execramur, qui Chriſto Thema natalitium erexit, & multa quæ egit Servator, & paſſus fuit aſtrorum influxui tranſcripſit, & eorum in cœlo poſituræ, quando natus Dominus. Hoc ſanè eſt providentiæ divinæ & Oeconomiæ ſanctiſſimæ circa hoc myſterium ſacratiſſimum oculos configere, & Apoſtolorum ac diſcipulorum Chriſti ſtuporem arguere, qui ea circa Chriſtum geſta teſtantur, non quæ cœlum & aſtra, ſed *quæ manus Domini & conſilium eius* prius *definierat facienda.* Et ſanè opus illi θυμὸν ἑπταβόειον eſſe, imò ſummæ proterviæ, qui momentum ſive conceptionis ſive nativitatis Servatoris noſtri ſe in numerato habere credit, ſine quo thema natalitium fruſtrà erigitur, quum tamen non de die ſolùm & menſe, ſed & de anno graves inter Theologos & Chronologos ſint lites, nec dum ſolidè à quoquam deciſæ, imò plures longè ſententiæ

----quàm ſunt

Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Nec probare hîc poſſum *Keppleri* obſervationem quanvis modeſtiorem, qui *cap.* XII. de Anno Natali Chriſti Aſtrologicas obſervationes miſcet, & contendit Magos ex artis regulis conjicere potuiſſe, non tantùm maximi momenti eventum, ſed & ortum alicujus Monarchæ ob ſtellam Cometam apparētem ſub tempora conjunctionis Planetarum ſuperiorum in punctis cardinalibus. Præterquam enim quòd hypotheſis de tempore apparitionis ſtellæ nondum ſit demonſtrata, nec hypotheſes aliæ de ſignificationibus ejuſmodi conſtellationum, præſtat in ſummo hoc myſterio ad cauſam ſuperiorē in ſolidū aſcendere, quã in inferioribus hærere, & omnia ſingularia & extraordinaria prorſus de auguſtiſſimo hoc myſterio concipere. Quomodo verò natalis Meſſię ex ſideris illius ortu Magis innotuerit de eo in ſequentibus diſquirendum. *Ad* VII. ex *Luc.* XII. 54. 55. 56. *Reſp.* Peccari & *ignoratione Elenchi*, & *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Ex verſibus enim 54. & 55. liquet, quatenus τὸ πρόσωπον τοῦ οὐρανοῦ agnoſcatur & agnoſci poſſit, & quid ex eo obſervari, nimirum an imber ſit futurus, an æſtus, illud, nube oriente ab occaſu, iſtud, Auſtro flante. Quid hoc ad abacum Planetariorum & fortunas hominum? Annon Chriſtus illa tantum dignoſci con-

cedit è facie cœli, quæ naturalia, & causis naturalibus orta? An sine μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος argumentum inde duci potest ad voluntaria & contingentia? an ex uno vel altero eventu naturali & ejus προγνώσει, omniũ eventuum πρόγνωσις concludi potest, vel debet? Varia sanè nubium & ventorum constitutio causa est sive serenitatis promovendæ, sive inducendæ tempestatis: meritò ergo signum & argumentum futuræ vel serenitatis vel tempestatis contrariȩ inde duci potest. Sic προγνώσεις Astrologorum nec vanæ erunt, nec proscribendæ, quandiu se intra artis suæ metas coercuerint, & necessaria certò, contingentia probabiliter prædicere sategerint. *Ad* VIII. ex *Matth.* XXIV.29. *Marc.* XIII.25. *Luc.* XXI.26 *Resp.* Prætermissâ ἐξηγήσει peculiari locorum singulorum, peccari itidem Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον. Cœli habent suas δυνάμεις: Ergo influxus non tantùm generales, sed & speciales in singula, voluntates hominum, consilia, actiones, eventus. Argumentatio *affirmativa à genere ad speciem.* Item, Cœli habent suas δυνάμεις: Ergo à nobis non tantùm in genere, sed & sigillatim καθ' ἕκαστα dignosci possunt, quæ omnia gratis supponuntur. Sic *Matth.* XXIV.30. peccatur 1. *Falsâ hypothesi*, signum illud filii hominis naturale futurum, sive ex parte causæ, sive ex parte effectus. 2. *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Si signum detur in cœlo, adventus filii hominis: Ergo omnium hominum signa, fortunæ, fata ibi descripta reperiuntur. Imò certum, hoc ut extraordinarium prorsus & singulare de adventu filii hominis referri, quod frustrà à Planetariis universale redditur & commune.

XIII. *Secundam* aciem quod attinet ex *rationibus* instructam, illa quoque facili operâ everti potest, istæ difflari. *Ad* I. *Resp.* peccari falsâ hypothesi, & Elencho ἐκ τῶν ἐν μέρει. 1. *Falsâ hypothesi*, non posse dari fines alios, tot siderum sive fixorum, sive erraticorum, contrarium suprà ostensum. 2. *Elencho* ἐκ τῶν ἐν μέρει, uno fine negato negandos omnes alios, quasi verò tot faces lucidissimæ in cœlo accensæ frustrà sint, & cœlum tot splendidissimis distinctum gemmis non magis enarret gloriam Creatoris, & opus manuum ejus, quàm si illis careret. Sola potentiæ divinæ, sola pulchritudinis & decoris cœlestis consideratio sufficere deberet retundendis Planetariis. Adde, multos

multos alios aſtrorum illorum fines dubio procul dari, incognitos & incompertos nobis. Nec enim ad noſtræ cognitionis decempedam ita metienda natura rerum, ut quod nos ignoramus, concludamus non eſſe. 3. Per *βίαιον* hoc ipſum retorqueri poteſt in Planetarios. Fatentur illi aſtra multa v.g. quæ *ſextæ magnitudinis* vocant, & quæ tenuiſſimas luminis ſtricturas ejaculantur, in quibus apprehendendis deficiunt ferè oculi noſtri, vel nullas habere virtutes, vel incognitas. Dicendum ne ergo, aſtra illa fruſtrà cœlo inſerta, vel non? ſi prius, ſuam ἔνςασιν evertunt Planetarij, imò in Creatoris ſapientiam ſunt injurij: ſi poſterius, ſibi reſpondent, & fateri coguntur, præter fines quos comminiſcuntur, alios dari poſſe, ſive notos, ſive ignotos, tot Aſtrorum productorum. Vtique cœlum paucis tantùm ſideribus inſtructum minus nobis admirationi foret, quàm tot innumeris & fulgidiſſimis diſtinctum lampadibus & faculis? An conveniebat, terræ ſuperficiem tot creaturis animatis, inanimatis & repleri & ornari, mare ipſum fœcundum eſſe & refertum multâ & variâ prole, cœlum verò corpus nobiliſſimum vacuum reperiri ſine *exercitu*, ſine ornatu. Nec tamen dubito quin aſtris ſingulis minimis etiam ſuæ ſint virtutes, cùm herbarum etiam minutarum capillamenta ſuas habeant δυνάμεις, ſed illas pro arbitrio definire, & ſibi omnium notitiam eamque certam arrogare, hariolari eſt, & magnam ſui fiduciam habere.

XIV. *Ad* 11. *Reſp.* Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. A negatione enim cognitionis noſtræ fruſtrà argumentum ducitur ad negationem rei. Res menſura ſunt cognitionis noſtræ, non nos menſura rerum. Et ſemper infra rerum dignitatem & perfectionem ſubſidit intellectus noſter. Non dubium ergo, quin motuum illorum, ſyzygiarum, oppoſitionum, aſpectuum variorum cauſæ dentur, & plures & graves: nec dubium etiam, quin effectus varij talium pertingant ad ſublunaria, ſed illa omnia ad calculum vocare, & ſibi aliiſque pro certis & compertis obtrudere, animi eſt, ut molliſſimè dicam, præfidentis & ſui prodigi. Quid? ne minimæ quidem radicis, herbæ, floris uſum, vires, effecta omnia ſigillatim comperta habemus, quę palpamus manibus, calcamus pedibus quotidie, & nos de remotiſſi-

mis illis & nobis maximâ sui parte incompertis corporibus ita liberè pronuntiabimus?

XV. *Ad* III. *Resp.* peccari *Ignoratione Elenchi*, & *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Id non est in quæstione, an corpora cœlestia & sublunaria colligentur inter se, an dentur impressiones illorum in temperamenta hominum, & alterationes variæ illas consequentes, an *motione indirectâ* humoribus mutatis afficiatur diversimodè animus humanus? An Lunę sit habenda ratio Medicis, agricolis, Oeconomis? an siderũ nautis? Hæc in confesso sunt vtrinque, sed an inde sequitur, astra agere in voluntatem & actiones humanas *motione* vel *directâ* vel *necessariâ*, cum illa sit potentia inorganica & immaterialis, istæ à causis partialibus pendeant, & proximis, specificantibus diversimodè influxum causæ communis. An inde sequitur, voluntaria, contingentia, casus singulos, consilia, actiones, eventus, fata, fortunas hominum ex astris & eorum influxu pendere, & in astris legi posse ac prædici? Sanè alterutrum gratis supponitur, vel causas illas generales, communes, indefinitas solas concurrere, ad effectus illos producendos, vel si socientur cum aliis, eas à causis partialibus, non innumeris modis vel inhiberi, vel retundi, vel inflecti, quarum causarum partialium concursum, vim, effecta, nec astra ostendere possunt, nec prohibere. *Philosophis* sanè compertum, causas remotas, indefinitas, communes vagas esse & variè determinari à causis proximis, specificis, conjunctis.

XVI. *Ad* IV. *Resp.* 1. Πρῶτον ψεῦδος admitti, punctum nativitatis animadverti posse à quoquam, nedum cõceptionis, quod Deo soli notum. Illo ignorato frustranea constellationis cœlestis & positurae signorum theoria. 2. Τὸ ἐν ἀρχῇ supponi, specificas illas, imò singulares singulorum astrorum sive secundum se, sive in syzygia cum aliis consideratorum virtutes in voluntaria & casualia dari, vel ab homine καθ' ἕκαστα observari posse. Domiciliorum illorum cœlestium & virtutum singulis adscriptarum fabrica, ut suprà dictum, commentum est ingenij humani extra Scripturam & rectam rationem luxuriantis & sibi cum reliquorum mortalium ludibrio indulgentis. Frustrà verò Patriarcharum veterum exempla prætexuntur à Genethliacis ex *Enochi* & *Iosephi* & aliis id genus centonibus apo-

apocryphis. Sanè Moses in Ægyptiorum, Daniel in Chaldæorum sapientiâ versati leguntur *Dan.*1.17. *Act.*VII.22. nec tamen unquam stolidis id genus divinationibus indulsisse reperiuntur: sapientia itaque illa, in quâ instituti, circa numeros, geometriam, musicam, rhytmicam, philosophiam occultam, literas hieroglyphicas, artes liberales, sideralem etiam scientiam, secundùm Philonem in vitâ Mosis, versabatur, sed sobriam & solidis principiis innitentem, non vanam & impiam *ἀςρομαντικὴν*, à quâ alienissimi viri illi sancti, qui nunquā fuêre מעוננים h. e. ut bene *Kimchi* מחשבי עתים ושעות ואומרים היום יפה לצאת למחר יפה ליקח: temporū & horarum nugivenduli, quæ faustæ essent quæ infaustæ ad hoc vel illud peragendum, *hæc dies felix ad exeundum, crastina ad accipiendum.* Et vaticinia illorum non ex astris, sed ab astrorum creatore hausta, cui soli ea accepta ferebant. *Verbum Iehovæ factum,* &c. *Sic dicit Dominus,* &c.

XVII. Fatendum verò præcipuum pro Astrologia iudiciaria argumentum duci ab *experimentis*, & eo potissimùm vel moveri posse, vel impugnari illos qui Genethliacorum hypotheses convellunt. Nec tamen desunt nobis arietes huic Achilli Planetariorum evertendo. Notandum enim, *experimentorum* illorum allegatione, 1. Peccari *Elencho ἐκ τοῦ ἐν μέρει,* multis seculis aliquot Planetariorum prædictiones eventu comprobatæ fuêre: Ergo illorum *προγνώσις* certa, & certis fundamentis nixa. Atqui dantur innumeræ aliæ quarum vanitatem elusit & proscripsit eventus. An ergo illę efferendæ, supprimendę istæ? Notata sunt illa tanquam mira, quibus eventus respondit, prętermissa alia, tanquam vana quibus non respondit. Et cum Genethliacis jam olim actum ut cum Medicis, quorum curationes felices sol videt, libri loquuntur, infelices terra premit, & atra nox. Festivè Mercurius in *Ἀποκολοκυντώσει* *Senecæ* ad Clotho, super fato Claudij, *Patere Mathematicos aliquando vera dicere, qui illum, ex quo princeps factus est, omnibus annis, omnibus mensibus efferunt.* Nec malè *B. Rhenanus,* Genethliacos Mercurium mendaciorum pręsidem colere, & ne eum offendant, rarius vera dicere. Sanè Favorinus apud *Gellium* docet Planetarios lubricę conjectationi innixos nonnunquam in veritatem quasi imprudentes incurrere. Omnia verò quæ te-

merè vel astutè dicunt præ cęteris quę mentiuntur partem millesimam non esse. *Ciceronis* verba etiam sunt egregia, *Quotidie*, inquit, *refelluntur Chaldæi, quàm multa ego Pompejo, quàm multa Crasso, quàm multa huic ipsi Cæsari à Chaldæis dicta memini*, nemi-" nem eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse " moriturum, ut mihi permirum videatur quēquam extare, qui " etiamnum credat iis quorum prędicta quotidie videat re & " eventu refelli. Planetariorum etiam mendacia & imposturas excusserunt strenuè Viri multi eruditi, *Picus Mirandulanus*, *Cornelius Agrippa*, *Franciscus Vallesius*, *Simon Majolus*, & ex nostris summus Theologus *Iohannes Calvinus* tractatu erudito de *Astrologiâ Iudiciariâ*. Hi vanitatem artis demonstrarunt quę egregio Mathematices nomine orbi imponit, & ita multos deludit, ut quod *Ammianus Marcellinus* jam olim de Romana nobilitate notavit, nec in publicum prodire ausint, nec prandere, nec lavari antequam Ephemeride scrupulosius excusâ didicissent, ubi esset v.g. signum Mercurij, vel quotam cancri sideris partem obtineret Luna. Temeritatem verò Genethliacorum egregio exemplo revicit olim Galeatius Mediolanensium Princeps, quum enim eò temeritatis processisset Astrologus quidam ut illi necem repentinam, sibi contra vitam longævam polliceretur, Galeatius proterviâ hominis exacerbatus suum cum Astrologi fato fatum commutandum ratus, hominem confestim in furcam agi iussit, ipse diu superstes. Geminum huic & festivum, quod de *Mosollamo* milite Iudęo refert ex Hecatæo Abderita Iosephus libro I. contra Appionem, quàm dextrè ille Augurum, cognatæ Planetariis gentis, vanitatem revicerit. Quum enim is Alexandro Regi in expeditione ad mare rubrum militaret, & Augur quidam ὀρνιθοσκόπος exercitum alite conspectâ sisteret, quærere cœpit *Mosollamus*, quæ moræ causa foret? Respondit Augur, ex ave augurium captandum, illâ consistente consistendum exercitui, & ad motum ejus sive progrediendum, sive regrediendum. *Mosollamus* artis futilitatem cum alite confixurus, & socios inanissima trepidatione suspensos erecturus, statim sagittâ emisâ alitem incautam transfixit. Fremente Augure, indignantibus aliis, & multa Mosollamo probra ingerentibus, *Quid furitis*, ait ille, *an avis illa suæ salutis ignara, nostræ conscia erat? si illa præsaga futuri fuisset*,

ſet, nunquam equidem hîc conſediſſet, verita ne Moſollami Iudæi tragulâ periret. Sic ordinariè Genethliaci, dum aliena fata diuidunt, ſua ignorant, & vaniſſimis præſagiis ſæpe multis ludibrium debent, quorum equidem mendacia ſi in volumen aliquod congeſta fuiſſent, otioſis hodie vatibus illis eſſe liceret.

XVIII. Nec hic excipi debet, hoc vitium artificum eſſe, non artis, *falsâ* enim *hypotheſi* peccatur, artem talem eſſe, quod demonſtratum oportuit non præſuppoſitum. Imò prædictiones Planetariorum non arti alicui imputandas eſſe inde liquet, quod ut plurimum alia prædicantur, eveniant alia, & inter innumera mendacia vix unum vel alterum aliquando impleri contingat. Præcepta verò & theoremata artium, ſi debeant eſſe ἐπιστημονικὰ, debent eſſe κατὰ παντὸς, ut notum, non conjecturalia, particularia, vaga & vana.

XIX. In *Experimentorum* verò allegatione peccatur adhuc multimodis. Quot enim ex iis ſubleſtæ ſunt fidei, & dubiæ auctoritatis? quæ vel vanos Scriptores habent, vel ſuperſtitioſos. Imò pauca illa exempla tot ſeculorum lapſu ita ſolicitè obſervata Planetariorum artem proſcribunt, quum prodigij inſtar habeatur, ſi inter ſtrophas innumeras, aliquando eos verum dicere contingat. An mirum ex tot mendaciſſimis oraculis quædam eventu fuiſſe comprobata caſu potius quàm arte, cum mirum non ſit aleatoris voto interdum aleam reſpondere, & *quatuor talos iactos caſu Venereum efficere*, ut ait *Cicero*. Nec miſſilia multa à cæco ſparſa omnia extra ſcopum feruntur. Quoties mendaces verum dicere contingit caſu potius quàm inſtituto?

XX. Adde *cothurnos* frequentes Planetariorum, quot illorum γνῶμαι δίχωλοι, lubricæ, ancipites, in utrumque verſatiles! Sanè ut ſecundùm *Ariſtophanem*, ἐκ τῆς αὐτῆς τραγῳδία γίνεται καὶ κωμῳδία γραμμάτων, ſic ex Planetariorum ſæpe ſortibus & vaticiniis. Nullus Apollo æque λοξίας, æquè ἀμφιδέξιος. Sic Epaminondæ Duci Thebano quondam prædictum, *caveret Pelagus*, ille mari ſibi interdictum ratus, quam fugiebat mortem in *Pelago* ſylvâ reperit. Sic *Philippus Macedo* monitus *quadrigas* caveret, fruſtrà omnes quadrigas proſcripſit, & Boëotorum urbem, cui id nomen, deſtruxit, quum quadrigas non caveret,

quas Pausanias adolescens Macedo percussor ipsius in capulo gladii cælatas habebat, à quo obtruncatus fuit, ut ultionem quam ab inimico non poterat, ab iniquo judice exigeret. Sic *Nero* vix annũ ætatis XXXIII^um^ supergressus, ab Astrologo quodam annum LXXIII^um^ sibi fatalem fore avidâ haure ausit, quum enim ob id vitam & imperium ad id ætatis sibi proroganda existimaret, cogitavit se spes posse inchoare longas, sed paulò post *Galbam* senem septuagenarium vaticinio illo designatum successorem habuit. Plurima talia in tabulis & præsagiis Planetariorum leguntur. Ad cothurnos hos accedit quod in electione *Sueciæ* Regis Zamoscio à Planetario quodam relatum, quod Authorem non Mathematicum, sed præstigiatorem arguit. Tale vaticinium hypobolimæi illius Samuelis I. *Sam.* XXVIII. 19. מחר *cras eris tu & filij tui mecum*, quod pro latitudine vocis ambiguum erat & æquivocum, impledum etiam, etsi post multos menses demum Saul occubuisset.

XXI. Adde prædictionũ Astrologicarum causam sæpe aliam longè esse, quam πρόγνωσιν ex causis naturalibus, & inspectione tabularum sideralium. Quoties leguntur multorum consilia, acta, molitiones, eventus in illorum facie ab hominibus astutis ἀγχινοίᾳ quâdam & sagacitate naturali instructis, quibus quia compertus genius, inclinatio, mores, studia, consilia horum vel illorum, apud quos vates agunt, proclive, astrorum obtentu multa præsagire, quæ nec ex astris habent, nec habere possunt.

XXII. Quoties etiam malis & vetitis artibus astrorum scientia prætexitur? quoties Astrologorum nomen, quod per se non malum, invadunt homines nefarij, non ἀστρομάντεις sed δαιμονομάντεις, qui per occultam cum Dæmone collusionem & ex ejus inspiratione multa antecapiunt, quæ ille vel præsagit & conjicit vel comperta habet. Multa verò dantur, ex quibus Dæmoni futura innotescunt. Interdum προγνώσεως illius causa I. *Revelatio divina*. Nec enim dubium ut carnifici à Magistratu, sic Dæmoni à Deo multa revelari, quæ ille executioni mandare, vel ad quæ homines malos impellere solet. Imò cum nequam ille spiritus malorum sit flabellum, & author, an mirum ab illo sæpe prædici tempestatem immittendam in greges, ventorum vim in ædes Iobi, Sabæorum & Chaldæorum

in reliqua ipsius bona, quę omnia divino permissu ipse excitaturus est & commoturus? 2. Sic multa à Diabolo probabiliter conjiciuntur per *cognitionem*, quam habet, *experimentalem* tot millium annorum, quum nos in senibus & iis qui maturæ sunt ætatis animum futurorum præsagum quotidie sæpe suspiciamus, qui multorum annorum experientiam in artem vertunt, & ex retroactis futura metiuntur. 3. Adde, *subtilitatem* spiritus mali ingentem, quâ consilia & molitiones hominibus occultissimas pervidet, & ex iis eventus metitur. An v.g. difficile Dęmoni prædicere necem hujus vel illius Principis, mensem etiam & diem, cui à conjuratis illâ die necem destinari, & percussores submittendos novit? 4. Adde, *pernicitatem* summam naturæ spiritualis, cujus beneficio in remotissimis locis patrata Dæmon alibi statim enuntiare potest, & omnem cursorum celeritatem antevertere. Huc referendum quod *Philostratus* & *Laertius* habent super obitu Domitiani, circa illud ipsum tempus, quo Romæ illi suffossa inguina à Stephano Domitillæ Procuratore, Apollonium Thyanæum Ephesi in ludo disputantem, velut subitò perculsum vocem demisisse, mox penitus conticuisse torvis oculis in terram despectantem, inde tres quatuórve passus progressum in hæc verba magnâ vocis contentione erupisse, *Percute Tyrannum, percute*, tanquam res ipsa oculis præsentis obversaretur. Stupentibus adhæc Ephesiis substitisse Apollonium, & in hæc verba erupisse: *Confidite, ô Viri, namque Tyrannus hoc ipso temporis momẽto occisus est, quo me conticentem vidistis.* Addunt Scriptores illi, post aliquot dies supervenisse cursores, qui omnia de morte Domitiani confirmarent. Alia prætermitto quæ hîc addi possent. Ex his satis liquere arbitror, qui præscius multorum ex futuris reddatur Dæmon, & per quos siphones, multa talia traducantur ad homines malos, qui Astrologorum nomen innocens malis artibus præscribunt. *Augustinus* sanè jam olim prudenter innuit, multò diligentiùs Astrologos illos cavendos esse, qui verum dicere comperiuntur, eò quod infamis cum humani generis hoste societatis suspecti esse debeant. *Non immeritò creditur*, inquit libro 5. de Civitate Dei, *cùm Astrologi mirabiliter multa vera respondent, occulto instinctu fieri spirituum non bonorum, quorum cura est has falsas & noxias opiniones de astralibus fatis inserere hu-*

manis mentibus, *atque firmare, non horoscopi notati & inspecti arte quæ nulla est.* Sic idem super Genesin II. *Sunt hæc astrorum indicia ex pactis cum dæmonibus & instinctu eorum occultissimo*, *quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Illeque est fortunatior in prædicendo, qui faventiorem habet dæmonem, magisque propitium.* Vide integra VII. capita priora libri V. de Civitate Dei, quibus sanctissimus Vir perniciosam hanc disciplinam proscribit.

XXIII. Dici verò etiam hoc loco debet, ab Astrologis multa pręsciri & pręd ici, quia *Deus efficaciam erroris immittit illis, qui credunt mendacio, & sic quod formidat improbus id evenit ei. Prov.* X.24. Observavit id iam olim *Augustinus* lib.II. de Doctrin. Christ.cap.XXIII. *Fit*, inquit, *ut occulto quodam judicio divino cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluptatum suarum*, *illudentibus eos atque decipientibus prævaricatoribus angelis*, &c. *Quibus illusionibus & deceptionibus evenit*, *ut istis superstitiosis & perniciosis divinationum generibus multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant quàm dicuntur, multáque observantibus secundùm observationes suas eveniant quibus implicati curiosiores fiant*, *& sese magis magisque inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris.* Imò, benè Augustinus ibidem dicit *illa omnia tantùm valere, quantùm præsumptione animorum quasi communi quadem linguâ cum dæmonibus fœderata sunt. Quæ tamen omnia*, addit, *plena sunt pestiferæ curiositatis*, *cruciantis solicitudinis*, *mortiferæ servitutis. Non enim quia valebant animadversa sunt, sed animadvertendo atque signando factum est vt valerent. Et ideò diversis diversa proveniunt, secundùm cogitationes & præsumptiones suas.*

XXIV. Quoties etiam fit vt per illas ipsas Astrologorum prædictiones multi in mala illa præcipitent, quæ ipsis prædicta? Annon v.g. ille cui mors violenta prædicta ferro semper succinctus ibit ad sui tutelam, & sic objectâ occasione irâ efferatus incautus ensem stringet, & in hostis vel carnificis postmodum ferrum ruet? Annon percussorem facile hosti quem metuit subornabit, vel aliâ ratione illum tollere conabitur, unde mala mors illi concilietur? Annon cui denuntiata mors in aquis, ille præter spem in ponte angusto gradiens tremet & trepidabit, & sic facilius in periculum incidet, quod & prædictum, & animo pręceptum? Sic bene *Vallesius*, nonnullis nimium

cautis

cantis ipſum timorem certa facere pericula.

XXV. Obſervet etiam Lector qui ſuæ ſpontis, an illa omnia pro certis habenda ſint quibus aliquando reſpondet eventus. Sic & ſomnia certa erunt, & certa ὀνειρομαντεία κοσκινομαντεία, ὀνυχομαντεία, χειρομαντεία, & aliæ id genus artes partim vanæ, partim ſuperſtitioſæ & nefariæ, quibus hominum credulitati & ſtoliditati imponunt ſæpe plani & impoſtores. Sic ſortilegia etiam certa erunt, quia *Alexandro Severo,* referente *Lampridio,* imperium aliquando portendêre ſortes Virgilianæ è libro VI. Æneidos.

XXVI. Adde ſupponi *falſam hypotheſin*, illos promiſcuè conſulendos, quos verum quandoque dicere contingit. Sic ſpiritus Pythonis etiam conſulendus erit, & tripodes veteres Paganorum, à quibus vera ſæpe oracula emanârunt. Exemplo ſit ſpiritus ille Samuelis ſpeciem mentitus, quem pythoniſſa in Saulis gratiam ex inferis evocavit.

XXVII. Ex his ſatis ſuperque liquere arbitror, quid experimentis illis Planetariorum ſit tribuendum. Concludo itaque, Aſtrologiam judiciariam, quatenus extra principia aſtronomica certa & probata, & extra Medicorum, nautarum, & agricolarum experientiam ſenſu ſupradicto ſe effundit, in Dei providentiam, in Rerum publicarum tranquillitatem, in hominum denique libertatem, quietem, commoda & conſcientias graviter peccare, adeoque è Rebuſpublicis & ſcholis Chriſtianis prorſus proſcribendam eſſe. Et meritò, cùm ars hæc, ſi ars vocanda, ex meris præſtigiis & impoſturis ſit conflata, & magicarum ac vetitarum artium ſive velum ſit, ſive procœton, & in eum duntaxat finem à Stellionibus ac circulatoribus urgeatur, ut hominum credulorum animos perpetuo quodam *trepidationis motu* ſuſpenſos, modò vaniſſimis impleant promiſſis, modò inutili non futurorum euentuum formidine vexent, ut hac ratione eorum ſtupore ad quæſtum ſuum uſi eos bonis præſentibus emungant, quibus prolixam futurorum ſpem faciunt. Meritò itaque cuivis qui ſapit, altè animo ſedere debet, quod Poeta vetus in hoc hominum genus appoſitè jam olim dixit,

Non habeo denique nauci Marſum augurem,
Non vicanos haruſpices, non de circo Aſtrologos,

Non Isiacos conjectores, non interpretes somniorum,
Non enim sunt ij aut arte divini, aut scientiâ:
Sed superstitiosi vates impudentesq; arioli,
Aut inutiles, aut insani, aut quibus egestas imperat,
Qui sui quæstus causâ fictas suscitant sententias,
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam:
Quibus divitias pollicentur, ab his drachmam petunt:
De his divitiis sibi deducant drachmam, reddant cætera.

Viros multos eximios excipimus, qui in hoc studium quandoque, sed sobriè admodum, incubuêre, & inter tentamenta artis artis imbecillitatem ingenuè fassi sunt, nec eam ad omnia eventuum promiscuè extenderunt. Reliquos quod attinet, quod *Nostradami* Aretalogi insignis gryphis & ænigmatibus, quibus Lectorum vel acumini, vel patientiæ, vel etiam stupori illusit, à Venerâdo *Beza* nostro jam olim præscriptum fuit Epigramma, communi omnium Genethliacorum tripodi præscribendum censeo,

Nostra damus, *dum verba damus, nam fallere nostrum est:*
Et cùm verba damus, nil nisi Nostra damus.

Vt hac ratione ij, qui quanvis de fraude moniti, vates hos mendaces consulere sustinuerint, quod olim ab Astrologis Alexandriæ exigebatur tributum βλακεννόμιον, & ipsi stoliditatis suæ vectigal justissimâ vindictâ Astrologis pendant & exsolvant.

DVBIVM XXXIV.

Quomodo Magi ex ortu Stellæ cognoverint Regem esse natum in Iudæâ? *Matth.* 11. 2.

EXAMEN.

Sethianorum *opinio reiecta. Miracula hypobolimæa explosa. Opinio alia confutata.* Maldonati *contradictio. An Magi hanc lucem habuerint à Dæmone.*

Dæmone. An à vaticinio Balaami. Rationes affirmativæ reiectæ. An Stella typus Christi. Maldonatus *notatus. Alia opinio explosa.* Chemnitius *laudatus. An Christus pro rege carnali habitus à Magis. Rationes contrariæ. Opinio de Angeli apparitione reiecta. De vaticiniis* Sibyllarum, *& oraculis quæ apud Scriptores profanos.* Eusebii & Lactantii *opinio. Vaticinia hypobolimæa de Christo. Rationes.* Casaubonus *laudatus & vindicatus. Vaticinia multa Sibyllina suspecta. Rationes graves* νοθεύσεως. Hermetis Trismegisti *scriptum* ψευδεπίγραφον. Eusebii & *aliorum dicta excussa. Opinio de reliquiis vaticiniorum Danielis, & doctrinâ propheticâ sparsâ à Iudæis. Examen illius. Vera origo lucis Magorum. Rationes.* Franc. Lucæ *opinio de Traditione Maiorum examinata. Revelatio peculiaris necessaria. Nuntij Christi cœlestes tantùm.* Iansenij *rationes excussæ. Causa turbatæ Hierosolymæ cum Herode. Gradus varij cognitionis Magorum.*

I. VERBA Magorum, *Matth.* II.2. eorum connexio, & quæstio discussa in Dissertatione superiore de vanitate *Astrologiæ judiciariæ* novo Dubio locum vel faciunt, vel relinquunt: Quomodo Magi ex ortu stellæ aut intellexerint, aut intelligere potuerint, regis natalem portendi, & regis Iudæorum? Vtrumque enim ex apparitione novi sideris ab illis colligi, & colligi sine hesitatione, verba eorum apud Matthæum

docent. *Vbi est ille Rex Iudæorum, qui natus est? Vidimus enim eius Stellam in Oriente*, &c. Opus verò illationis illius causam dari vel *naturalem*, vel *supernaturalem*. *Naturalem* removimus, quam *Planetarij* in suæ artis favorem hîc producunt. Restat ergo, ut in alias perspicaciæ & illationis Magorum causas inquiramus, quod compendiò *falsarum* opinionum ἄρσει, & *veræ* θέσει præstare conabimur.

II. Si centones *Apocryphos* à *Sethianis* olim consutos, & Sethi Patriarchæ nomine protrusos consulamus, quos sequitur *Author Operis imperfecti*, hujus *Dubij* solutio expedita. 1. Fingunt illi Stellam illam formam pueri crucem gestantis expressisse, qui Magos de Christo nato edocuerit, & illis iter in Iudæam imperârit. Sed hæc omnia gratis dicta, & sine ullâ authoritate sive sacrâ, sive humanâ, quæ sit alicujus commatis. Meritò itaque hoc commentum exploditur à *Baronio* Annal. Eccles. §. xxxv. Nec enim φανέρωσις eiusmodi extraordinaria dissimulata fuisset à Matthæo. Gemina sunt illis quæ idem *Author Operis imperfecti* habet ibidem 1. de certa Magorum gente & numero ex traditione πατροπαραδότῳ in illam curam Stellę à Balaamo prædictæ conspiciendę continuò incumbente 2. de consuetudine illorum quotannis post messem trituratoriam conscendendi montem Victorialem, & ibi in spelunca opperiendi inter sacra exercitia Messiam. 3. De biennii itinere, quo nec esca nec potus defecerit in peris eorum. 4. De historiâ baptismi illis collati à Thomâ, & adjutorio ab illis Thomæ in prædicatione Evangelii præstito.

III. *Maldonatus Origenem* & *Hieronymum* sequutus non improbabile judicat, dæmonum revelatione hoc mysterium Magis innotuisse, tum quia aliâs etiam Christum negantibus Iudæis fuerint confessi, tum quia consentaneum videatur, pastores qui cœlum perpetuò contuebantur per Angelos è cœlo, Magos qui ab inferno scientiam hauriebant, ab inferno per dęmones doceri. Hæc vero opinio. 1. *Precaria* est, & gratis conficta. 2. *Absurda*, Deum cœlestem & infernalem apparitionem simul ad Magos de hoc mysterio edocendos adhibuisse. 3. *Inconsequens*, interdum Dęmones Christum prędicantem fuisse confessos: Ergo & jacentem in cunis. 4. *Contraria* ipsius *Maldonati* hypothesi, qui quando de *Magorum* conditione

tione loquitur, disertè inquit, vix credibile esse Magos fuisse מכשפים sive *præstigiatores*, nomen apud omnes gentes infame, cùm eos Evangelista ita honoris causâ nominare videatur, quod ipsum in sequentibus etiam tuetur, ubi Magos illos contradistinguit iis qui nefariis magiæ non naturalis, sed diabolicę artibus usi id nominis obtinuêre. Parum ergo conformia hæc *Maldonati* glossemata.

IV. Plerique ex *Patribus* & Interpretibus in hanc sententiam concessêre, Magos ex Prophetiâ Balaami Num. XXIV.17. *Procedet stella ex Iacob, & surget sceptrum ex Israele*, jamdiu ante cognovisse Christo nascente *exorituram stellam*, & sidere illo novo orto thesin transtulisse ad hypothesin. Placuit hoc jam olim *Origeni, Cypriano, Epiphanio, Eusebio, Ambrosio, Hieronymo, Chrysostomo, Basilio, Theophylacto*, aliis. Rationes sunt. 1. Magos sive à Majoribus suis, qui è posteritate Balaami, sive à vicinis populis de prophetiâ illâ toto Oriente nobili edoctos fuisse. 2. Magos non sine causa stellam illam vocare τὸν αὐτοῦ ἀστέρα *Stellam eius*, quasi illi designando jam olim destinatam. 3. Idem probat *Maldonatus* ex eo quod Herodes non quærat ex Principibus Sacerdotum & Scribis populi, an Christo nascente stella apparitura sit, sed, eâ re ut notâ passim præsuppositâ, roget tantùm, ubi Christus sit nasciturus. Sed multa hic partim precaria, partim levia. 1. Supponitur, non probatur vaticinium illud Balaami toto Oriente fuisse notissimum. 2. Supponitur hos Magos è posteritate Balaami fuisse, & habuisse compertam illam prophetiam. 3. Pervertitur interpretatio vaticinij illius, nec enim in eo per *stellam exorituram* astrum materiale, sed ipse Messias designatur qui alibi vocatur Sol Oriens ex alto, lumen, lux mundi. Excipit quidem *Maldonatus*, Christum sanè fuisse stellam illam exorituram ex Iacob, novum autem non esse, unum verbum pręsertim in prophetiis & Christum, & Christi figuram significare, ut vers.15. *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Sed aliud est typo nomen antitypi, & antitypo typi nomen dare, aliud illi rei, quę nec typus, nec antitypus, neutrum enim nomen stellę competit. Fuit sanè signum Christi orti, & analogiâ aliquâ non caret, ut suprà ostensum, sed aliud, signum esse, aliud figuram, typum, sensu in scholis Theologicis recepto. Notum enim, hæc se habere

ut latius & strictius, omnis typus signum, non contrà. Nec Christus Stellæ illius ἀντίτυπον dici debet. 4. Vexatur phrasis Magorum, ab illis enim stella Christi meritò vocari potuit, quia illius ortui designando divinitùs destinata, sine σχέσει necessariâ ad stellam Balaami. 5. Nec opus erat Herodem de exortu stellæ & illius connexione cum natali Messiæ anquirere, prçterquam enim quod tyranni plerunque suspicaces sunt, creduli & timidi, & quovis rumore facile efferantur, parati quamvis nubem pro Iunone amplecti, sufficiebat Herodi in novum Regem invadere, & sive verè sive falsò per stellam designatum opprimere.

IV. Meritò verò explodit *Chemnitius* Vir CL. opinionem aliorum, qui arbitrantur, Magos stellâ exortâ tantùm coniecisse Regem aliquem politicum natum, Orientem subacturum quem expediret maturè obsequio civili, & muneribus externis sibi devincire, adeoque nihil illos de Rege illo nato sublimius concepisse. Nam & hoc gratis dictum, & sine specie ullâ probabilitatis. 1. Quæstio redit, unde id ex stellæ ortu conjicere potuerint Magi, regem natum, Orientem subacturum? 2. Cur regem illum in Iudæâ potius ortum & statuunt, & quærunt quàm alibi? 3. Quale munus, regi politico Orientem subacturo offerre myrrham & thus? 4. Quî regis politici schema conciliari potuisset ab illis cum infante in vico obscuro, in domo alienâ sub privato tecto, si non inter sordes, saltem inter angustias latente? Sanè homines sapientes credere, infantum illum regem esse, & orientis Dominum aliquãdo futurum, altioris erat indaginis, & sapientiæ sublimioris, cogitationum etiam à rebus carnalibus abstractarum. 5. Quî etiam constat, Christum velut Orientis Monarcham à Magis salutatum, quum aliâ prorsus & quidem *Iudæorum Regis* nomenclatione illum designârint?

V. *Chrysostomus* jam olim existimavit, angelum figurâ sideris Magis apparuisse, & illis edisseruisse mysterium de Messiâ nato, prout & pastoribus Bethleemitanis. Sed suprà ostensum, sine causa Angeli φανέρωσιν ibi supponi, quam Scriptura non docet, quæ de apparitionibus Angelicis, ubi illæ contigêre, apertè loquitur, hîc verò modum Christi revelati tum Pastoribus, tum Magis distinguit.

VI. *Alij*

VI. *Alij* ad *Sibyllarum* folia confugiunt, *Erythrææ* potissimùm, à quâ Chaldæorum Magos de tempore & signo simul adventus Messiæ edoctos volunt. Apud *Eusebium* sanè in Oratione Constãtini ad Sanctorum cœtum cap.XVIII. Sibyllę illi adscribitur certum carminis genus, quod ἀκροστιχίδα Gręci vocant, litteris initialibus inter se connexis referens hæc verba ΙΗΣΟΥ͂Σ ΧΡΙΣΤΟ'Σ (secundùm alios ΧΡΕΙΣΤΟ'Σ) ΘΕΟΥ͂ ΥἹΟ'Σ ΣΩΤΗ'Ρ, ΣΤΑΥΡΟ'Σ *Iesus Christus Dei filius, Servator, Crux.* Id ipsum ex Codice Græco sibi ostensum à Flacciano Proconsule docet Augustinus lib.XVIII. de Civitate Dei cap.XXIII. Sic à *Sibyllâ Samiâ* Christi natalem prędictum ferunt his versibus,

Humano quem Virgo sinu inviolata fovebit,
Annuit hoc cœlum, rutilantia sidera monstrant.

Lactantius sanè libro IV. diversis capitibus non Prophetarum tantùm vocibus, sed & Sibyllarum carminibus Christi pleraque passionem cumprimis prænuntiatam contendit. Ad Christum etiam trahit Eusebius cap. XX. Eclogam quartam Virgilij,

Iam nova progenies cœlo demittitur alto, &c.

Adde quæ apud *Suetonium* & *Tacitum* leguntur, quorum *iste* tradit antiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut invalesceret Oriens, profectíque Iudæâ rerum potirentur: *ille* percrebuisse Oriente toto rumorem veterem, & constantem opinionem, esse in fatis, ut eo tempore Oriente profecti imperio potirentur. Addunt alii oracula vetera, quale illud è Chronicis Chronicorum, *In ultima ætate humiliabitur Deus, humanabitur proles divina, jacebit in fœno agnus, & puellari officio educabitur.* Sed nec hæc opinio probanda. 1. *Sibyllarum* prædictiones de Messiæ ortu ad ortum sideris supponuntur, non probantur. 2. Parum probabile, vaticiniis à Dæmone ortis Magos ad Christi cunas vocatos. 3. Carmina illa Sibyllæ Erythręæ de Christo Servatore ὑποβολιμαῖα videntur non γνήσια. An enim credibile, prædictiones de Messiâ clariores à Diaboli vatibus, quàm a Dei Prophetis editas? An conveniens Majestati divinę, argutiis illis initialium litterarum ludos facere? Annõ *Tacitus* docet jam olim multa νοθευόμενα pro Sibyllinis carminibus jactata, unde Sacerdotibus Romanis negotium datum ab

Augusto quantum humana ope possent vera & γνήσια à falsis secernendi. Sunt ergo hæc ἀδρήματα Virorum piorum quidem, sed minus prudentium, qui bono zelo sed sine scientiâ in has artes jam olim incubuêre, ut gentiles ad fidem Christianam eò facilius adducerent. Meritò itaque talia à *Casaubono* Summo Viro in Exercitationibus Baronianis exploduntur, & rationibus solidis quidem, quo nomine sine causâ flagellat illum Doctissimus quidam Exercitator in suis Analectis. Quis quæso sui judicij adeo prodigus, ut innumera talia quę Sibyllis affinguntur pro γνησίοις amplecti possit, quę æquè clarum ac radij solis, quum sudum est, solent, post eventum demũ scripta fuisse, & sive pio zelo à Christianis procusa, sive fortè aliqua ex illis à Paganis ipsis per fraudẽ fabricata, ut Christianos criminis falsi postularẽt. Qualia sunt dum Messias introducitur à Sibylla

Πάντα λόγῳ πράττων πᾶσάν τε νόσον θεραπεύων,
Omnia verbo faciens, & omnem morbum curans.

Sic vbi miracula illius describuntur,

---Νεκρῶν δ' ἀνάστασις ἔσται
Καὶ χωλῶν δρόμος ἐς ὠκὺς, καὶ κωφὸς ἀκούσει,
Καὶ τυφλοὶ βλέψουσι, λαλήσουσ' οὐ λαλέοντες,
--Resurrectio verò mortuorum erit,
Et claudorum cursus erit velox, & surdus audiet,
Et cæci videbunt, loquentur non loquentes.

Sed hæc minus cruda. Expendat verò Lector qui suæ spontis, an credibile sit ante eventum Sibyllam aliquam prædixisse, Christum quinque panibus & duobus piscibus in deserto quinque millia hominum saturaturum, & duodecim cophinos de residuis fragminibus implendos. Atqui, si Lactantio lib. IV. de verâ sapientiâ cap. XV. & aliis credimus, hęc Sibyllinis carminibus jam olim prædicta

Εἷς ἄρτοις ἅμα πέντε καὶ ἰχθύεσσι δυοῖσιν
Ἀνδρῶν χιλιάδας ἐν ἐρήμῳ πέντε κορέσσει,
Καὶ τὰ περισσεύοντα λαβὼν μετὰ κλάσματα πέντε
Δώδεκα πληρώσει κοφίνους εἰς ἐλπίδα πολλῶν.
Vnus panibus simul quinque & piscibus duobus
Virorum millia quinque in eremo saturabit,
Et residua sumens fragmina quinque
Duodecim implebit cophinos in spem multorum.

Sic

Sic ſanè Chriſtum ventis imperaturum, mare conſtraturum, & calcaturum, morbos quoſvis curaturum, mortuos excitaturum, clariùs omnibus prophetis Sibyllinis carminibus prædictum,

> Τοὺς ἀνέμους παύσει τε λόγῳ, στρώσει δὲ θάλασσαν
> Μαινομένην, ποσὶν εἰρήνης πίστει τε πατήσας.
> *Ventos quidem verbo compeſcet, ſternet verò mare*
> *Furens, pedibus id pacificis & fide calcans.*

Item,

> Κύματα πεζεύσει, νόσον ἀνθρώπων ἀπολύσει,
> Στήσει τεθνεῶτας, ἀπώσεται ἄλγεα πολλοῖς
> Ἐκ δὲ μιᾶς πηγῆς ἄρτου κόρος ἔσσεται ἀνδρῶν.
> *Vndas calcabit, homines à morbo liberabit,*
> *Vivificabit mortuos, dolores multis auferet,*
> *Et ex uno fonte ſatietas panis erit viris.*

Adde, quæ eodem libro recenſet *Lactantius*, Sibyllas jam olim vaticinatas, à Chriſto ſolvendam legem, illum in impiorum manus tradendum, cædendum, conſpuendum, coronâ ſpineâ redimiendum, felle & aceto potandum, velum templi ſcindendum, tenebras trihorio incubituras, iſta omnia Chriſtum ſummo ſilentio in ſacerrimo corpore excepturum, non reſurrecturum tantùm, ſed & reſurrectione ſuâ morti terminum impoſiturum poſt tridui ſomnum, ut loquitur *Lactantius*, & primitias reſurgentium futurum.

> Ἀλλ' ὅτε ταῦτ' ἂν ἅπαντα τελειωθῇ, ἅπερ εἶπον,
> Εἰς αὐτὸν πᾶς λύσεται νόμος.
> *Sed quando omnia illa impleta erunt, quæ dixi,*
> *In illum deſinet tota Lex---*

Item,

> Εἰς ἀνόμων χεῖρας καὶ ἀπίστων ὕστερον ἥξει,
> Δώσουσι δὲ Θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις,
> Καὶ στόμασιν μιαροῖσι τὰ πτύσματα φαρμακόεντα
> Δώσει δ' εἰς μάστιγας ἁπλῶς ἁγνὸν τότε νῶτον.
> *In manus iniquorum & infidelium poſtmodùm veniet,*
> *Dabunt verò Deo ictus manibus impuris,*
> *Et oribus pollutis ſputa venenata,*
> *Dabit verò ad flagra tum ſanctiſſimum tergum.*

Item,

Καὶ κολαφιζόμενος σιγήσῃ, μήτις ἐπιγνῷ
Τίς λόγος, ἢ πόθεν ἦλθεν, ἵνα φθιμένοισι λαλήσῃ,
Καὶ στέφανον φορέσει τὸν ἀκάνθινον.
Et colaphis cæsus silebit, nequis sciat
Qualis sit sermo, aut unde venerit, ut perditis loqueretur,
Et coronam feret spineam.

Item,

Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν κ' εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν
Τῆς ἀφιλοξενίης ταύτην δείξουσι τράπεζαν.
In cibum verò fel, & in siti acetum dederunt,
Hanc mensam inhospitalitatis suæ ostendent.

Item Sibylla ad Iudæam,

Αὐτὴ γὰρ σὺ ἄφρων τὸν σὸν θεὸν οὐκ ἐνόησας
Παίζοντ' ἐν θνητοῖσι νοήμασιν, ἀλλὰ κ' ἀκάνθαις
Ἔστεψας στεφάνῳ, φοβερὴν τε χολὴν ἐκέρασας.
Et tu, amens, tuum Deum non agnovisti,
Ludentem mortali specie, sed & spineâ
Coronasti coronâ, & tremendum fel miscuisti.

Item,

Ναοῦ δὲ σχισθήσεται πέτασμα, καὶ ἤματι μέσσῳ
Νὺξ ἔσται σκοτόεσσα πελώριος ἐν τρισὶν ὥραις,

Item,

Καὶ θανάτου μοῖραν τελέσει τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας,
Καὶ τότ' ἀπὸ φθιμένων ἀνακύψας εἰς φάος ἥξει
Πρῶτος ἀναστάσεως κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας.
Templi verò scindetur velum, & mediâ die
Nox erit tenebrosa immanis tribus horis,
Et mortis fatum finiet ad tertiam diem dormiens,
Et tum è mortuis emergens in lucem veniet
Primus resurrectionis initium vocatis ostendens.

An lux similis ulli Prophetarum affusa circa Christum Mediatorem? cui non mera nox, meræ tenebræ videbuntur scripta Prophetarum præ hac luce? an non vilescent illorum vaticinia præ talibus? qui sic Evangelium μυστήριον ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων, si hæc jam olim extitêre inter Paganos? an sic Iudęi soli ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, & quod hîc τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου? Quî fit, quod nec à Paulo, nec ab Apostolis aliis gentiles ad Sibyllarum carmina unquam fuerint ablegati? quo compendio, quo fru-

ctu cum illis disputari potuisset, quibus crux Christi erat exosa, & Evangelium μωρία τοῦ κηρύγματος, si talia suppetebant Christianis in Paganorum forulis? Videmus studiosè Apostolum captare apud Athenienses occasionem ab altari erecto θεῷ ἀγνώστῳ: Poetarum etiam Græcorum sententiis uti, *argumento ad hominem.* An ille prætermisisset tam augusta oracula, tam celebria inter Græcos & Romanos, si veritati Evangelicæ tanta inde lux, tanta facilitas gentiles convincendi præstò fuisset? Quoties à Paganis illa omnia ut ὑποβολιμαῖα rejecta? Provocatum sanè à *Iustino Martyre, Origene, Clem. Alexandrino,* aliis ad Sibyllarum carmina, sed sæpe in rebus comunibus in quibus etiam ad Orphei, Homeri, Musæi & aliorum poemata provocabant. Adde jam illorum ætate jactatos dubio procul centones poematum gratis fabricatorum, & adscripta Sibyllis volumina laciniosa, ψευδεπίγραφα, gemina scrutis Gabaoniticis magnam partem, vano vetustatis schemate, & Sibyllarum titulo sed fucato exornata, qualia maximè quæ à *Lactantio* notata & à nobis recitata. Apud Authores cæteroquin priscos de Sibyllis quidem multa, & de *Hystaspis* vaticiniis & *Hermetis Trismegisti* disciplinâ, sed illorum ipsorum, quæ ad argumentum nostrum pertinent, vel nulla vel obscurissima mentio, & *Hermetis* illius librum *Casaubonus* ψευδεπίγραφον esse solidè docet Exerc. I. Num. XVIII. argumentis ductis ex consideratione τόπου tum πραγματικοῦ, tum λεκτικοῦ. Dubium quidem non est, quin multa à *Trismegisto, Hystaspe, Sibyllis* & vatibus ac Scriptoribus paganis aliis dicta ad mysteria sacra accommodari possint, sed generalia & communia tantùm & ἀμφίλοξα, in quibus nullæ περιστάσεις singulares occurrunt de mysteriis Evangelicis, quippe quæ soli Ecclesiæ & prædictę olim, & velut sacrum ejus peculium illius solius cognitioni reservatæ.

VII. Frustrà verò apud *Eusebium* cap. XIX. antiquitas poematum illorum vindicatur, quòd à Cicerone latinitate donata fuerint, Cicero verò ab Antonio sublatus fuerit diu ante Augusti imperium, sub quo demum Christus natus. Atqui in Ciceronis operibus illa non reperiuntur, quanvis enim hujus generis carminum, quorum initiales litteræ connexæ inter se certum sensum reddunt, (quæ Acrostichides vocamus) meminerit libro II. de Divinatione, tamen non sequitur illud ipsum

Ciceroni vel visum vel versum fuisse, quod in hanc rem citatur. Sic fatendum, multa ex Eclogâ illâ Virgilij ad Christum accommodari posse, id verò à Virgilio vel spectatum, vel intellectum dici potest, probari non item, qui id Salonino per merá adulationem tribuit, ut alii Vespasiano famam de Dominatore ex Oriente prodituro. Adde, sic non concludi institutum, non magis quàm allegatione illorum, quæ ex *Suetonio* & *Tacito* allata. Oraculum illud vetus revera tale est, hoc est obsoletum & rancidum, imò barbarum & in officinâ aliquâ claustrali procusum.

VIII. *Alij* contendunt Magis Babyloniis hæsisse multa è Danielis disciplinâ. Quum enim ille in Magorum scholâ educatus legatur *Dan.* 1.9. probabile esse, illum sui temporis Magis multa de Messiâ futuro insinuasse, & hanc sementem in Magorum seminariis retentam sub his Magis refloruisse. Messiæ verò regnum à Daniele disertè expressum *cap.* 11.44. & quoad originem, & quoad efficaciam & quoad æternitatem ejus. *Alij* contendunt hanc lucem reliquiis Israelitarum τοῖς ἐν τῇ διασπορᾷ deberi, à quibus per Colchos, Parthos, Indos, Æthiopas dispersis, nec unquam Hierosolymam reversis doctrinę propheticæ semina inter gentes, quibus permisti vivebant, didita & sparsa fuerint. Hos esse εὐλαβεῖς illos, de quibus in Actis. Ex horum numero fuisse Eunuchum à Philippo baptizatum. Hinc itaque hæsisse Magis notitiam aliquam promissionum de Messiâ, quæ exortu novæ stellę nova sumpserit incrementa. Vtrique huic opinioni accedit *Chemnitius*, & alii Viri eruditi complures.

IX. Conjecturæ hę piæ sunt & probabiles satis, sed salvâ aliorum opinione, non sufficientes. 1. Demus hæsisse in Oriente λείψανα multa Prophetiarum Danielis, à Iudæis etiam per varias regiones dispersis multa de Messiâ sparsá, difficultas semper manet, quî ex ortu novæ Stellæ Magi conjicere potuerint, novum illum Regem regnum æternum olim promissum erecturũ, jam natum, & illá ipsam Stellam ad ejus ministerium destinatam, imò quî id non conjecerint, sed certò collegerint, nec enim de re illâ ut dubiâ, sed ut certâ & compertâ, & à se firmiter creditâ loquuntur 1. Non quærunt, an Rex Iudæorum sit natus, sed ubi sit natus? 2. Connectunt hæc ut necessaria

inter

inter se, ubi est rex Iudæorum qui natus est? Vidimus enim stellam, & cum emphasi, *eius* stellam in Oriente. 3. Nisi id pro certo habuissent Magi, nunquam tanto itineri se commissuri fuissent, nunquam conjecturam suam tantâ fiduciâ Hierosolymæ publicè expositui?

X. Nihil itaque restat & cognitioni & fiduciæ Magorum vindicandæ præter revelationem divinam sive per illuminationem internam mentis, sive per χρηματισμὸν externum Magis factum, cujus ductu & ex stellæ ortu Messiam natum agnovêre, & ejus tum videndi tum adorandi desiderio acti fuêre: quę sententia *Augustino* etiam jam olim placuit. Hanc luminis Magorum causam innuit quoque *Chrysostomus* & *Leo* Serm. IV. de Epiphan. Domini. *Præter illam stellæ speciem, quæ corporeum incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit,* &c. *Modum* illius revelationis nec Scriptura docet, nec nos definire debemus ex conjectura. Satis res ipsa credatur, ut necessaria prorsus, sine qua nec lumen illud Magorum, nec fiducia, nec iter, nec constantia in quærendo illo Rege, causam probabilem habent, nedum solidam. Cum sidere ergo materiali sidus aliud internum in animis horum Magorum accensum, quo & de mysterio hoc divinitùs edocti fuêre, & excitati ad ejus tum investigationem tum adorationem. Videtur verò id ipsum non probabiliter tantùm, sed solidè etiam satis colligi posse ex versu 12. ubi revelatio divina illis facta disertè exprimitur, dicuntur enim χρηματισθέντες κατ' ὄναρ ne reverterentur ad Herodem. Idem ergo Deus qui miraculosè viæ Ducem se Magis præbuit in profectione, iisdem in reditu miraculosè cavit, ne nefarii tyranni strophis & ficto schemate delusi in insidias præcipitarent. Et hoc etiam lumen in animis Magorum per divinam revelationem accensum sufficiebat Magis in Iudæam potius quàm aliò dirigendis, sufficiebat fiduciæ illorum in longinquo & difficili itinere cõfirmandæ, & sufficiebat tentationibus variis amoliendis, quum præsertim in maximo illarum æstu (postquam Hierosolymę tantus Iudæorum stupor, tantum frigus à Magis animadversum) nova stellæ apparitione illorum fiducia novo tibicine fulta fuerit, & de Majestate illius edocta, quem quærebant. Rejicit *Franc. Lucas* Vir Eruditus alioquin & industrius peculiarem revelationẽ, sed nulla ratione adjecta,

ctâ, nos meliori jure rejicimus *maiorum traditionem* quam ille substituit. Imò eo ipso quo accessisse vult illuminationem mentium, revelationem ponit cujus modum non definimus. *Chaldæorum* traditionem de filio Dei ab æterna mente genito, & in mūdum prodituro, quam supponit *Brugensis*, nec veram judicamus, nec sufficientem Messiæ natali ex astri ortu dignoscendo. *Abrahami* traditionem de beato semine aliquando orituro admittimus, quæ in Scriptura expressa. Quid verò huic traditioni cum Magis, à fœdere Dei & gente Iudaica alienissimis? Demus verò traditionem illam de Messiâ aliquando exhibendo πατροπαράδοτον hæsisse Magis sive à *Danielis* disciplina, sive à Iudæis inter Babylonios & Persas exulibus, quî è novæ stellæ ortu ita certò ab illis conclusum, regem illum tunc natum esse? *Balaami* verò vaticinium frustrà hîc obtenditur, ut ostensum, & supponitur, non probatur à *Franc. Lucâ* stellā illam ex Iacob orituram designasse stellam nuntiam nativitatis ejus qui exspectabatur ex Iacob. Contrarium suprà probatum. Adde, falsum supponi, stellam illam visam oriri Magis ex Iudæa, vel Iudææ incumbentem. Nihil tale à Magis dictum innuit Matthæus. Imò testantur se illam vidisse ἐν τῇ ἀνατολῇ *in Oriente*, nec de situ ejus quicquam amplius addunt. Nec dici potest, illos stellam quidem vidisse *in Oriente*, sed incumbentem Iudææ, prȩterquam enim quòd hoc gratis dicitur, non poterat id dignosci ob elevationem stellȩ. Si verò stella illa fuisset in situ humili & depresso Iudææ incumbens, non potuisset videri à Magis in Oriente cōnstitutis. Hæc ergo verba non tantùm ad visionem Magorum, sed etiam ad stellæ situm referenda. *Sibyllarum* vaticinia suprà explosa, quæ idem Author huc trahit. A majoribus verò Magos accepisse Regem magnum non tantùm ex Iudȩis oriturum, sed & ortum ipsius peculiari stellȩ ortu monstrandum, illud verò gratis supponitur, non probatur. Cur verò stellam eius ἀστέρα vocent, & de eo ut de re indubia loquantur, suprà ostensum. Revelatione ergo necessariò hîc standum, sine qua Magi nec ex tota sua arte, nec ex penu majorum de sideris illius significatione certi quid statuere poterant, sine qua etiam nunquam pervenitur ad Christum, infra quem subsidit & natura, & ratio, & quicquid principiorum communium, nisi accedat & lumen peculiare, & potens

Dei

Dei ὀλκῇ. Vnde ut Messiæ promissio è cœlo orta, sic & exhibitio cœlestibus tantùm nuntiis indicata, *pastoribus* & *Iosepho* ab Angelis, *Magis* stella cœlesti, *Simeoni* per χρηματισμὸν, *Iohanni* è cœlo, *Herodi* è Scriptura prophetica. Nec sine luce cœlesti unquam vel Christus manifestatus, vel ad Christum debito modo itum. Iudæis vulgò non fuisse ignotum, stellam Christo nascente apparituram, nec verbum Dei docet, nec scripta Iudæorum, nec ulla ratio, cùm non Iudæis natalis Messiæ stellæ illius ortu designatus fuerit, sed Magis gentilibus, nec illa Iudæis visa comperiatur. *Iansenius*, eruditus alioquin & moderatus Interpres, Traditioni etiam majorum adscribit hanc Magorum de stellæ significatione fidem: 1. Quia non meminerint revelationis, sed tantùm ortus stellæ. 2. Quia non indefinitè dicant se vidisse stellam, sed *stellam eius*, & signanter τὸν ἀστέρα cum articulo, illam videlicet stellam, quam ex antiqua traditione noverant ipsius esse. 3. Si non antiqua fuisset stellæ exspectatio, eorum verbis non multùm nec Iudæos commovendos, nec Herodem. Hæc speciosa quidem, sed parum firma. Nec enim 1. opus erat illos meminisse revelationis, quæ vel interna erat, vel latens saltem, adeoque dubia aliis, sed rei externæ, quam putabant etiam visam & observatam aliis. 2. Supponitur, omnia à Matthæo relata, quæ à Magis dicta. 3. Adde, ab illis dubio procul creditum, eâdem luce quæ sibi obtigerat collustratam gentem illam in qua nasci debuerat Messias, & ejus potissimùm bono, utpote Rex Iudæorum futurus. 4. Cur definitè & signanter vocent ἀστέρα illius, suprà ostensum. Et hæc sola ratio sufficeret, animis illorum hanc lucem affusam, stellam illam nihil aliud designare nisi Messiæ natalem, & illius rei gratia tantùm exhibitam fuisse. 5. Perculsum fuisse Herodem, turbatam Hierosolymam simplici etiam hoc nuntio, & hac solâ indicinâ, natum esse Iudæorum Regem novum, nemo mirabitur, quisquis & tyrannorum genium novit, & Herodis historiam, & creberrimos motus à Iudæis gente turbulenta מאבותיו, levissimis de causis excitatos, & spes Iudæorum de instauratione sui sceptri, & odium Tyranni, & mala panica, quæ ex collisione plurium de sceptro inter se contendentium in regno aliquo metui possunt, & prævideri.

X. Concludimus verò, probabiliter statui posse, ad agnitionem illam Messiæ Magos per gradus varios deductos fuisse singulari Dei providentiâ. 1. Illos ut Astronomos siderum contemplationi frequenter vacantes cœpisse observare φαινόμενον novum stellæ instar, nunquam ante visum vel observatum, extraordinarium etiam quoad situm, lucem, motum. Inde illos ex arte sua facile conjecisse, novum aliquid & eximium portendi. 2. Accessisse indagationem diligentem Magorum ex artis principiis, quid præsagiret novum illud astrum, sed frustraneam & evanidam. 3. Vaticinia quædam sacra à Iudęis inter populos Orientales disseminata de Messiâ aliquando ex sua gente orituro ab illis expensa. 4. Demus etiam, *Balaami* vaticinium Magis fuisse compertum, & perperam ab illis ad sidus materiale relatum. 5. Frustrà verò omnia, nisi sidus novum non in cœlo tantùm sive æthereo, sive aëreo, sed & in animis illorum singulari Dei bonitate succensum fuisset, & adeò lucidum & potens, quod sufficeret natali Regis Iudæorum noviter nati demonstrando, & illis ad ejus inquisitionem & adorationem permovendis.

DVBIVM XXXV.

Cur alij Scriptores non meminerint illius *Stellæ* quæ apparuit Magis?

EXAMEN.

Causa silentij Scriptorum paganorum exposita. Fides Matthæi vindicata. Genius & character sacrorum Scriptorum peculiaris. Opinio aliquorum. Locus Plinii *excussus.* Chalcidij *Platonici relatio. Sacrorum Scriptorum Majestas. Æ*mylij Scauri *fiducia.*

SILENTII

I. SILENTII Scriptorum paganorum causas notavimus, & multas & graves *Dubio* VIII. quî factum quòd multorum quę à sacris Scriptoribus commemorantur, vel nullæ vel exiguæ duntaxat stricturæ reperiantur in monumentis priscis Authorum qui vixêre extra Ecclesiam. Causas illas hîc repetere nihil attinet. Speciatim verò quoad Historiam hanc de sidere de quo agimus, mirum nemini esse debet, si nulla illius memoria extra sacras literas exstet, 1. quia id solis fortè Magis illuxit, siquidem enim à Iudęis conspectum fuisset, dubium non est quin & illi magis fuissent commoti, & diligentior perquisitio de Messiâ instituta, & plus turbarum à populo Herodem peroso & Romani jugi' impatiente excitatum. 2. Adde, id exiguo tempore apparuisse, in Oriente primò, post in itinere Bethleemitano. 3. Innumera alia Scriptoribus aliis paganis prætcrita, de quorum tamen fide non dubitatur, modò ab uno ex illis relata fuerint. Nec solent à nobis committi Scriptores Græci vel Romani in iis quę quisque peculiaria habet, quin potius illa aliis vel incognita, vel per incuriam prętermissa censentur. Cur non eâdem æquitate utemur erga Scriptorem sacrum, cujus αὐθεντία tot indiciis comperta? 4. An credibile, adeò stupidum ullum Scriptorem, vel adeò suæ famę prodigum qui à mendacio & non necessario quidem Historiæ alicujus descriptionem ordiri velit, & opus suum à limine proscribere? Quid opus erat à Matthæo rem adeò miram & parum in vulgus credibilem fingi de novo sidere excitato, se ad motum hominum movente, & incumbente non certæ tantùm regioni, sed & vico, & domui? Certè, qui se & rerum à se contextarum narrationem Lectoribus commendare volunt, studiosè se abstinent ab iis quæ fidem superare videntur, vel saltem illa ut dubia proponunt. Nulla ergo causa hæc fingendi poterat esse Matthæo, homini à fraude omni & dolo malo alieno, qui candidâ & simplici narratione singula exequitur, & tanta quidem fide, ut & seipsum traducere maluerit, sincerâ vitę ante vocationem à se actæ commemoratione, quàm quicquam veritati subducere. Nec videmus illum sibi ullibi subblandiri, vel se præ aliis efferre, quin potius se ingenuè publicanum fatetur, sedentem ad telonium, candidè refert, Petro, Iacobo & Iohanni

hunc honorem præ se habitum, ut transfigurationis Christi testes essent, suum æquè ac reliquorum discipulorum stuporem & torporem ad posteritatem omnem testatur, quæ omnia testimonia evidentia sunt hominis ingenui, & nihil à veritate alieni narrantis, imò non sibi sed Deo soli scribentis, & eius solius instinctu. Character hic alius longè à charactere Scriptorum aliorum, qui suæ famæ summo studio velificantur, & cum Phidiâ umboni à se fabrefacto sui imaginem includere omni modo satagunt. Genius sacrorum Scriptorum diversus est, institutum diversum, contextura operis alia, quod cuivis obvium. 5. Adde, Matthæum, ut plerique fatentur, vel primum, vel inter primos Novi Testamenti Scriptores Evangelium suum contexuisse, adeoque illa adhuc ætate, ubi revinci facile poterat, si Historiam falsam à limine præscripsisset, præsertim cum Discipuli Christi tot hostes haberent, tot osores, qui & vi & fraudibus quibusvis in nomen Christianum passim grassabantur. 6. Adde, ne gravissimos quidem Christiani nominis hostes huius Historiæ veritatem in dubium vocasse, *Iulianum* ipsum sideris novi apparitionem fateri, etsi id aliò malignè detorqueat ad certum quoddam astrum post revolutionem quadringētorum annorum ordinariè apparens, quod & à Mathematicis confutatur, & experientiâ ipsa satis supérque revincitur.

II. Non itaque necessarium alios apparitionis sideris illius extraordinarij testes citare. Sunt tamen multi, qui arbitrantur ne in paganorum quidem monumentis nullam stellæ novæ circa illa tempora visæ mentionem occurrere. Quò referunt quod Poeta de novo Astro habet sub Augusti imperio, sub quo Christus natus, viso,

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum. &c.

quod ipse Poeta faustum fatetur & regium, etsi id per πόππυσμα aulicum ad Augustum detorqueat. Sic inquiunt *Plinium Secundum* etiam cometæ cujusdam extraordinarij meminisse Histor. natur. libro II. cap. XXV. cujus memoria Romæ colebatur & publicè quidem in templo, quippe qui non infaustus ut Cometæ plerique, sed admodùm faustus judicatus ab Augusto, & incipiente eo apparuit ludis quos faciebat Veneri genitrici. Eo sidere vulgus significari credidit, Cæsaris animam inter Deorum immortalium numina receptam: quo nomine id insigne

insigne simulacro capitis ejus, quod mox in foro consecratum, adjectum est. Hæc Augustus in publicum, interiore gaudio sibi illum natum, séque in eo nasci arbitratus est: & si verum fatemur, addit *Plinius*, salutare id terris fuit. Sed, salvâ aliorum authoritate, duo obstant quominus hunc *Plinii* locum ad sidus illud quod Magis præluxit applicandum existimem. 1. Quia signum illud dicitur apparuisse non multò post obitum Cæsaris, Christus verò natus longè seriùs, Augusto jam per aliquot annorum decadas imperante. 2. Quia sidus illud crinitum conspectum dicitur in regione cœli, quæ sub Septentrionibus est, non in plagâ Orientali. Potius huc referri posset, quod eodem capite Plinius memorat. *Fit & candidus Cometes, argenteo crine, ita refulgens, ut vix contueri liceat, speciéq. humanâ Dei effigiem in se ostendens*, modò constaret circa illa tempora talem apparuisse. Testimonium quod citatur ex *Chalcidij* Philosophi & interpretis Platonici Commentariis in Timæum magis appositum est, modo γνήσιον sit: *Sanè notanda est*, inquit ille, *alia sanctior & venerabilior Historia, quæ perhibet de ortu stellæ cujusdam, non morbos mortésque denuntiantis, sed descensum Dei venerabilis ad humanæ conversationis, rerumque mortalium gratiam, quam stellam cum nocturno itinere suspexissent Chaldæorum profectò sapientes viri & consideratione rerum cœlestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentis Dei ortum, repertáque illâ Maiestate puerili, venerati esse, & vota Deo tanto convenientia nuncupasse.* Sed cuicuimodi hoc sit, non ita arctanda sacrorum Scriptorum Majestas ob rationes ad Dubium VIII. allatas, ut à Scriptoribus paganis, & eorum relatione suspendi debeat illorum fides, quæ in Sacris Codicibus leguntur. Contradicant illi centies, sileant, divina humanis præsidiis nec nituntur, nec opus habent, & altiùs sacrorum Scriptorum authoritas animis nostris infixa esse debet, quàm ut ejusmodi rationibus ab authoritate humana negativè ductis solicitetur. *Æmylius Scaurus* olim, quum pro rostris à Vario accusaretur tantam sui fiduciam habuit, ut nulla alia apologiâ sibi utendum censeret, præterquam nudâ sui cum accusatore comparatione. *Varius Sucronensis*, inquiebat, Marcum Æmylium Scaurum regia mercede corruptum, imperium populi Romani prodidisse ait: *M. Æmylius Scaurus* huic se affinem culpæ esse negat. *Vtri creditis*? Sola virtutis & continentiæ rei, nequitiæ contra &

vilitatis accusatoris consideratio causam decidit. Annon potiori jure commisso Scriptore sacro cum quibusvis aliis profanis sufficit dicere apud bonos omnes & Spiritu Dei præditos, *Vtri creditis?* idque multò magis, quum nonnisi silentium Scriptorum aliorum hîc opponi possit. In ipso quin etiam jure & foro *testis affirmativus* præstat *testibus negativis*, ut notum, magis ergo audiendus ille cui nemo ex priscis Scriptoribus contradicit, & nemo nisi temerè contradicere potest.

DVBIVM XXXVI.

Quî concilianda Magorum vocatio cum verbis Domini *Matth.*XI.25.& *Luc.*X.21?

EXAMEN.

Conciliatio. Quid per σοφοὺς *&* συνετοὺς *intelligatur* Matth.XI. 25. *Quid per* νηπίους. *An vel virtus ibi notetur, vel præparatio, vel* meritum de congruo. *Rationes contrariæ. Conciliatio Apostoli. Duplex vocatio, & distinctio utriusque.*

I. ENANTIOΦANEΣ, sed levius, ex vocatione Magorum collatâ cum verbis Christi *Matth.* XI.25. & *Luc.*X.21. oritur, ubi Dominus docet salutarem sui cognitionem fuisse absconditam ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, à sapientibus & intelligentibus, & detectam infantibus. Atqui Magi σοφοὶ erant & συνετοὶ: quibus tamen illa retecta, & quidem communicatione miraculosa & extraordinaria prorsus. Sic *sapientibus* multis aliis revelata lux Evangelii, non abscondita.

II. Sed conciliatio facilis & obvia, verborum Christi, & praxeωs in speciem contrariæ. 1. Verba enim Christi *Matth.* XI.25. & *Luc.*X.21. non sunt *universalia*, sed *indefinita*, ut enim myste-

myſteria regni cœlorum non retecta omnibus νηπίοις, ſic nec illa tecta omnibus σοφοῖς & συνετοῖς. 2. Per σοφοὺς & συνετοὺς in locis illis non intelligit Chriſtus ὄντως tales, ſed φαινομένως tantùm & δοξαστῶς homines videlicet pomposos & ſuffarcinatos, qui aliis, qui ſibi maximè videbantur σοφοὶ & συνετοὶ, quales Paulus *Rom.* 11.19.20. &c. deſcribit, qui putabant ſe eſſe *duces cæcorum, lucem eorum qui in tenebris, eruditores inſipientium, Magiſtros infantium,* ſe habere τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ, quales erant Phariſæi, Scribæ, Doctores inter Iudæos. Scriptura enim, ut oſtenſum alibi, ſæpe loquitur & de rebus & de perſonis κατὰ τὸ φαίνεσθαι, κατὰ τὸ δοκεῖσθαι non tantùm κατὰ τὸ εἶναι. 3. Chriſtus ita loquitur, *Matth.* XI. & *Luc.* X. tum ad dejiciendum faſtum illum hominum turgidorum, & ſapientiæ ſuę opinione inflatorum, tum ad amoliendum ſcandalum, quod pauci tales nomen darent Evangelio qui *clavem ſcientiæ* ſibi vendicabant. Et ſanè ex *antitheſi* patet quid Chriſtus ibi intelligat per σοφοὺς καὶ συνετοὺς, nimirum illos qui opponuntur τοῖς νηπίοις, qui ſunt ἄκακοι, ἀκέραιοι, פתיים ſimplicitate illâ columbinâ præditi, quam Chriſtus exigit in Apoſtolis, νήπιος enim apud LXX. non reſpondet tantùm vocibus עולל יונק, טף quæ *ætatis* ſunt, ſed & transfertur ad *animum* & reſpondet voci פתי quæ ἄκακον notat & opponitur τῷ ערום πανούργῳ. Sic νήπιος צעיר *qui in ſtatu tenui & abiecto.* Hi dicũtur τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου, τὰ ἐξουθενημένα. 1. *Cor.* 1.27.28. Vnde non putandum, hîc virtutẽ intelligi præparatoriã ad vocationem, vel meritoriam ejus ex *congruo.* Nam 1. repugnat & etymon vocis, & uſus ejus in Scripturâ. 2. Sic homo Deum eligeret, non Deus hominem. 3. Quæſtio redit, cur hi magis νήπιοι aliis, hac virtute præditi quàm alii? 4. Fruſtrà Chriſtus adjiceret, *etiam Pater, quia ita placuit tibi.* Vbi enim cauſa vel ratio diſcriminis in ſubjectis, fruſtrà allegatur εὐδοκία Dei. 5. Nec mirum foret, humiles præferri ſuperbis in vocatione. Chriſtus verò de re loquitur, quæ mira videbatur hominibus carnalibus & mira adhuc videtur, & ſuper quâ Chriſtus ut mirâ exultat Spiritu. 4. Sic oſtenſum etiam à Domino, ſapientiam carnalem, quæ eſt τοῦ κόσμου τούτου, τοῦ αἰῶνος τούτου, nec præparationem eſſe ad Regnum cœlorum, nec cauſam cur huic potius annuntietur, quàm alii. Imò tales ut plurimùm, quia omnia ad ratiocinia ſua exigunt, volunt eſſe menſura rerum,

nec revelationem audiunt, sed rationem tantùm, & se opponunt maximè Evangelio, his σοφία Dei μωρία est ut docet Apostolus. 1. *Cor.* 1.23. 5. Notandum etiam, conciliari vocationem Magorum & aliorum sapientum cum verbis Christi *Matt.* XI. *Luc.* X. ab Apostolo 1. *Cor.* 1.26. *Videtis vocationem vestram, fratres,* ὅτι ὀ πολλοὶ σοφοὶ κτ͂ σάρκα, h.e. ex vobis *non multos sapientes secundùm carnem vocatos.* Vocati ergo sapientes interdum, sed non multi συγκριτικῶς. Interdum etiam vocati sapientes, Pharisæi, Doctores Legis, alii id genus, sed *vocatione externâ,* non *internâ, legali* non *Evangelica,* invitante, non trahente, exigente obsequium, non dante, suadente, non persuadente, patefaciente veritatem, non imprimente, offerente gratiam, non conferente. Quorum tamen numerus collatus ad homines plebejos & idiotas exiguus semper fuit.

DUBIUM XXXVII.

Quomodo Herodes dicatur congregasse πάντας τοὺς ἀρχιερεῖς, *Omnes principes Sacerdotum, Matth.* II. 4. cùm unus tantùm fuerit ἀρχιερεύς?

EXAMEN.

Rationes dubitandi ab institutione, praxi & etymo. Loci oppositi. Nomen ἀρχιερέων *ambiguum. Unus tantùm, & simul plures sine contradictione. Quale genus* ἀρχιερατικόν. *Loci* Act. IV. 6. XIX. 14. *illustrati. Vicarius summi Sacerdotis quando electus, & cur.* P. Cunæus *laudatus. Solutio alia. Confusio summi Sacerdotij Romanorum & Iudæorum culpâ. Vestis & ornatus sacri custodia mutata.* Ἀρχιερωσύνη *confusa Christo exhibito.*

Summum

Summum Sacerdotium peßimè habitum. Herodis & Archelai licentia: Præfectorum item Syriæ, & præsidum Iudææ. Vltimus Iudæorum Pontifex qualis. Numerus summorum Sacerdotum ab Aarone.

I. RATIONES dubitandi sunt 1. *Ab institutione* summi Sacerdotii, quod ab uno tantùm obiri debebat. 2. *A praxi* Iudæorum in Veteri Testamento, ubi ab uno tantùm munus illud administratum. 3. *A praxi* Iudæorum in Novo Testamento, ubi eadem institutio adhuc observata videtur, unus enim tantùm *Cajaphas* Pontifex maximus tempore captivitatis & passionis Christi describitur, *Matth.* XXVI. 3. 51. 57. &c. *Marc.* XIV. 47. 53. 54. 60. *Luc.* XXII. 54. *Iohan.* XI. 49. XVIII. 10. *Act.* IV. 6. V. 17. & alibi plurimis in locis. 4. Ab *etymo vocis*, si enim plures sint ejusdem dignitatis & ordinis, nemo erit ἀρχιερεύς.

Interim tamen innumeri loci occurrunt tum in Evangeliis, tum in Actis Apostolorum, ubi æquè ac hoc loco fit mentio plurium ἀρχιερέων eodem tempore coactorum. Quæritur ergo quomodo unus fuerit duntaxat Sacerdos summus, & tamen simul plures?

II. Anxiâ opinionum variarum allegatione prætermissâ, duplici distinctione nodus ille incidi potest, & solidè satis pro natura argumenti. 1. Observandum cum Doctissimo Interprete, nomen τοῦ ἀρχιερέως ambiguum esse, & interdum *strictè* sumi, interdum *latè*: *strictè* designat summum sacerdotem ἐξαιρέτως talem, qualis fuit Aaron, & qui ei successêre in sacro hoc munere, quorum vocatio, unctio, vestitus, ministerium, authoritas peculiaris erat, & cum ὑπεροχῇ singulari, de quo vide caput XXIX. *Exodi*, & *Car. Sigonium* lib. V. de Rep. Hebr. cap. II. ubi ejus consecrationem, ornatum, conditiones, munia, catalogum prolixè recenset ex sacris litteris, & Iosepho. Huic concredita erat ἡ τῶν ἄλλων ἱερέων ἡγεμονία, ut habet *Iosephus* libro II. Contra Apionem. Vocatur ille in Scriptura הכהן הגדול ἱερεὺς

ὁ μέγας II. *Reg.* XXIII. 4. item הכהן הראש. In *Targum* כהנא רבא & רב כהנא cui contradiſtinguuntur illi qui vocantur כהני המשנה LXX. ἱερεῖς δευτερεύοντες. Sic itaque intellectâ voce ἀρχιερέως, unus tantùm eſſe debebat ſecundùm Legem, typus ἀρχιερέως illius myſtici exhibendi κατὰ τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου. Interdum verò *latè* ſumitur nomenclatio τῶν ἀρχιερέων, & illi vocantur ἀρχιερεῖς, qui erant ראשי האבות *capita familiarum ſacerdotalium* ראשי כהנים *capita ſacerdotum*, & ראשים *capita* ſimpliciter, item שרי קדש שרי המקדש ἄρχοντες τῶν ἁγίων, qui etiam dicuntur שרי האלהים LXX. ἄρχοντες τοῦ Θεοῦ. Hi Sacerdotes quia erant ראשי vel שרי הכהנים *capita* vel *principes ſacerdotum* ἀρχιερεῖς vocantur duabus vocibus Hebræis in unam contractis de quibus vide I. *Paral.*XV. 4.5.6. XXIV. 6. II. *Paral.*XXXVI. 14. & Diatribam antehac propoſitam ſuper ephemeriâ Zachariæ. Inſtitutio horum ἀρχιερέων orta à Davide legitur I.*Paral.*XXIII.XXIV. ut & numerus reſpondens numero XXIV. familiarum, quarum ſedecim ab Eleazaro, octo ab Ithamaro propagatæ, qui per vices obibant ſacra miniſteria. Et ſic hoc ſenſu plurium ἀρχιερέων fit mentio II. *Paral.*XXXVI. 14. Qui in hoc ordine erant dicebantur eſſe ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ *ex genere Pontificio: Syrus* מן שרבתא דרבי כהנא *ex genere ſummorum ſacerdotum*, quales illi qui coacti *Act.* IV. 6. & hi erant ex ſenatu τῆς γερουσίας τῶν. Vocantur interdum laxiori voce ἁπλῶς ἄρχοντες. Talis erat Sceva ille qui vocatur ἀρχιερεὺς *princeps Sacerdotum*, *Act.*XIX.14. h.e. unus ex illis principibus XXIV. familiarum. Ex hoc ordine primorum Sacerdotum deligebatur ſummo Sacerdoti κατ᾽ ἐξαίρετον ſic dicto Vicarius quidam סגן Hebræis dictus, item משנה, qui ſacris operaretur illius loco, ſiquidem ante diem ſolennem feſti expiationis ipſum cõtingeret cõtaminari בקרי לילה vel במקרה ἐξονειρωγμοῦ vel aliâ aliquâ pollutione legali, quę eum inhabilem redderet ad ſolenne illud ſacrum obeundum. Vnde bene obſervat Eruditiſſimus *Cunæus* ex Maimonide, ſummum Sacerdotem quo tempore hoc feſtum inſtabat, ſeptem continuos dies cuſtoditum magnâ curâ fuiſſe, ne quicquam eum fortuitò contaminaret, adeóque prohiberet ſolenni ſacro.

Ex his liquet, quomodo & unus tantùm fuerit ſummus Sacerdos, & tamen ſimul plures, unus videlicet ἐξόχως & ἁπλῶς talis

talis in ordine ad ſacerdotes omnes, alii κατά τι & συγκελτικῶς tales in ordine ad ſacerdotes inferiores ſuæ claſſis. Ab Herode ergo cum ſummo Sacerdote coacti dubio procul ἀρχιερεῖς illi, capita familiarum, non plebs ſacerdotum, ſed qui eminebant, & erant ex ſummo Senatu Sanhedrin, qui ut authoritate ſic ſapientiâ aliis præſtare videbantur. Inter quos fortè etiam erant illi qui vocantur ἀρχισυνάγωγοι, רבי כנושתא *principes* vel *præfecti* potius *ſynagogæ*, qualis Iairus *Marc.* v. 22. quorum erat ſingula in Synagogis moderari, οἱ προεςῶτες, οἱ προεςάμενοι. Horum enim omnium videbatur eſſe præ aliis interpretari Scripturas Propheticas.

III. Alia etiam ſolutio non incommodè peti poteſt *à praxi Iudæorum*, quam indicarunt jam olim *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*, *Euthymius*. Quanvis enim *de jure* & ex inſtitutione divinâ unus tantùm eſſe debebat ſummus Sacerdos, Romanorum tamen avaritiâ & Sacerdotum ambitione eò ſumma illa dignitas illâ temporum iniquitate redacta erat, ut quæ ex lege ad dies vitæ uni Sacerdoti propria eſſe debebat, & typica antitypi aliquando exhibendi, fœdâ nundinatione ad plures rediret, & ferè annua redderetur. Vnde eôdẽ tempore plures erant ἀρχιερεῖς Sacerdotes ſummi, omnes nimirum qui dignitatem illam geſſerant, ut apud Romanos Viri Conſulares dicebantur qui conſulatu erant functi. Et tales etiam dici poſſunt coacti fuiſſe ab Herode, & ſæpe commemorari in Scripturâ Novi Teſtamenti, quippe qui etiam dignitate & authoritate eminebant præ reliquis. Nec video cur hęc ſolutio rejiciatur à Doctiſſimo Interprete, modò cum priore, quam probat, conjungatur. Hanc conſuetudinem invaluiſſe inter Iudæos inde à ſubactâ à Romanis Iudæâ, & à redactâ ſacrâ veſte & omni ornatu Pontificis ſummi in eorum poteſtatem quidam arbitrantur. *Ioſephus* tamen docet libro XVIII. Antiqu. cap. VI. τὴν ςολὴν τοῦ ἀρχιερέως ϗ τὸν πάντα αὐτοῦ κόσμον penes Sacerdotes fuiſſe, uſque dum Herodes in turri Antonia in Antonij gratiam ſic dictâ illam aſſervaret, & poſt illum Archelaus filius, donec hujus ditione in provinciam redactâ, Romani eam in ſuam poteſtatem redegêre, quæ tamen à Vitellio ad placandam gentem Iudaicam φρουράρχῳ erepta Sacerdotibus poſtliminiò reſtituta fuit. Interim ibidem notat *Ioſephus* Vitellium poteſtatem Sacerdotij trans-

ferendi ſibi arrogaſſe, & exauctorato Ioſepho Cajaphâ ſubſtituiſſe Ionatham Anani Pontificis filium. Stolam verò Pontificiam à Vitellio Tiberii indultu Iudæis reſtitutam penes Iudæos manſiſſe ad mortem uſque Agrippæ Regis teſtatur *Ioſephus*, lib.xv. Antiqu. cap.xiv. à quo tempore denuò à Caſſio Longino Syriæ præſide, & Cuſpio Fado Iudææ procuratore in Romanorum poteſtatem redacta & in Antoniam repoſita fuit, reſtituta tamen poſtmodùm à Claudio Cæſare Agrippæ juniori. Notat ibidem Ioſephus, illam antehac ſigillo ſummi Pontificis & τῶν γαζοφυλάκων obſignari ſolitam fuiſſe, & pridie feſti ſolennis ab arcis præfecto, ſed recognito prius ſigillo, petitam, feſto verò exacto in conſpectu ejuſdem præfecti, ſed obſignatam denuò, in eandem arcem relatam. Mutati vero ſæpe Pontificatus & redacti ferè in Magiſtratum annuum author indubius & πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων eſt *Iohannes*, qui *cap*.xi.51. id diſertè docet, loquens enim de Cajapha prophetante addit, illum fuiſſe ἀρχιερέα τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, *Pontificem maximum anni illius*. Sic *Euſebius* ex Ioſepho docet lib.1.Hiſt.Eccl. cap.vi. ſceptro à Iudâ amoto τὴν ἀρχιερωσύνην quoque fuiſſe confuſam, Herodem enim in Regno à Romanis confirmatum non amplius cõſtituiſſe Pontifices τοὺς ἐξ ἀρχαίου γένους, ſed dignitatem illam hominibus obſcuris & plebeiis impertiiſſe. Vide *Ioſephum* Antiqu.lib.xx.cap.viii. Idem περὶ τῆς καταστάσεως τῶν ἱερέων factum ab Archelao filio, & à Romanis. Et ſanè Ioſephus multis in locis docet, ſanctiſſimum illud munus peſſimè illis temporibus habitum fuiſſe, ſummo ſacerdotio ab Herode pro arbitrio in Ananelum quendam hominem è plebe Sacerdotum primò tranſlato, mox in Alexandræ ſocrus & Mariamnes conjugis gratiam in Ariſtobulum ejus fratrem xvi. annorum adoleſcentem, huic nefariè in aquis oppreſſo ſubſtitutum denuò ab Herode Ananelum, huic Ieſum Phœbeti filium, poſt Simonem ſocerum, & hoc Sacerdotio pulſo Matthiam, inde Ioazarum Simonis fratrem conjugis patruum. Eâdem licentiâ graſſatus Archelaus Ioazaro abrogavit Pontificatum, dignitate tranſlatâ in Eleazarum fratrem, poſt in Ieſum quendam, & denuò in Ioazarum. Peſſimâ hac conſuetudine ſenſim introductâ, dici ſatis non poteſt, quàm licentioſè à Præfectis Syriæ, & à Præſidibus Iudææ Pontifices ſummi modò inſtituti fuerint, modò deſti-

destituti, quam sortem etiam expertus Cajaphas, qui à Vitellio sacerdotio excussus Ionatham quendam Anani filium successorem habuit. Claudium quin etiam jus eligendorum summorum Sacerdotum in Herodem Agrippam Chalcidensium regulum transtulisse legimus. Et eò tandem deventum, ut nón tantùm fierent Pontifices κληρωτοὶ, sortitò delecti, sed & per sortem Pontificatus incideret in Phanniam quendam hominem plebejum & rusticum nescium etiam quid esset ἀρχιερωσύνη δι᾽ ἀγροικίαν. Et disertè notat *Iosephus* lib. IV. de bello Iudaico capite XII. per summum ludibrium hominem illum à zelotis invitum etiam rure avulsum, & velut histrionem aliquem personatum in scenam protractum, & sacrâ veste indutum coactum fuisse dignitatem illam sustinere, cui infantis instar pædagogi in horas admoti à quibus moneretur, quid facto opus esset, vel quomodo theatro serviendum esset, & schema illud tuendum. Addit ibidem Iosephus, hominibus scelestis fuisse χλεύην & παιδιὰν τὸ τηλικοῦτον ἀσέβημα. Qui itaque talia ad animum revocaverit, non mirabitur plures ἀρχιερεῖς circa illa tempora fuisse. *Iosephus* sanè lib. XX. Antiqu. cap. VIII. ubi numerum init summorum Sacerdotum, observat in universum LXXXIII. ab Aarone ad Phanniam, quem ibi Phanasum vocat, fuisse, è quibus ab Herodis principatu ad urbis & templi excidium numerati XXVIII. qui intervallo centum & septem annorum pontificatum vel sub Herode, vel sub Archelao, vel sub Romanis præsidibus sustinuêre. Ita sacrum illud munus pila redditum & ludus, singulari Dei providentiâ, ex quo summo Pontifice Iesu Christo exhibito translatio facta fuit τῆς ἀρχιερωσύνης. Hæc & alia id genus in compendium redacta ex Iosepho videri possunt in compendio Historiæ Iudaicæ *Ludovici Cappelli* Viri Clarissimi.

IV. Nihil ergo obstat, quominus ad solutionem nodi propositi utraque responsio conjungatur, & per ἀρχιερεῖς intelligantur vel capita familiarum sacerdotalium, vel colluvies illa Sacerdotum per ambitum & largitiones & summum scelus ad Pontificatum grassantium, qui non per portam, sed per posticum ingressi decus illud ad se raptare consueverant, non à Deo Aaronis instar vocati, *Heb.* v. 4. sed à prædonibus & hominibus aliis flagitiosis in tantum munus intrusi.

DVBIA XXXVIII. XXXIX. XL.

XXXVIII. Qui fuerint *Scribæ* illi, & *Scribæ populi* de quibus *Matth*.II.4? XXXIX. An distinguantur γραμματεῖς & νομικοὶ, ex *Luc.* XI. 45? XL. De sensu loci *Act*.XXIII.9.

EXAMEN.

Qui γραμματεῖς *apud* LXX. *Latitudo vocis* סופר *Hebrææ & Chaldææ* ספרא in Targum. Eliæ Levitæ *observationes cum examine*. *Qui* סופרים *apud Iudæos. Quid verbum* ספר *apud* LXX. *Quot Scribarum genera.* סופר *ambiguum ut* כהן. *Scribæ vel* Ecclesiastici, *vel* Politici. *Hi vel* regii *vel* privati. *Quid* γραμματεὺς Suidæ, & γραμματοκύφων. *Scribæ* Ecclesiastici *qui, & quod eorum munus. Locus* 1.Cor.*1.20.illustratus.* Ios.Scaliger *laudatus. Quot Sapientum & Doctorum genera inter Iudæos. An distinguantur* γραμματεῖς & νομικοὶ? Epiphanii *opinio. Opinio aliorum. Distinctio* τῶν νομικῶν & νομοδιδασκάλων *apud* Scaligerum. *Examen.* Cameronis *opinio.* Ἐπίκρισις. *Locus* Luc. XI. 45. *excussus. An distinguantur* γραμματεῖς τοῦ νόμου, & γραμματεῖς τοῦ λαοῦ. *Examen opinionis summi Viri. Distinctiones probabiles* γραμματέων & νομικῶν. *Quid* γραμματεῖς Epiphanio, & *an distincti* ἀπὸ τῶν νομικῶν. *Quæ authoritas*

thoritas Scribarum. Quis habitus *apud* Epiphanium. Cl. Salmasius *laudatus. De Origine Scribarum. Opiniones variæ. An* מחקק *idem quod Scriba. An Scribæ & Pharisæi descendant à* Sammai *&* Hillel. *Pharisæorum institutum antiquius.* Pseudevangelium Nazaræorum *explosum.* Scribæ *anteriores Pharisæis. Qui* Viri magnæ Synagogæ. *Origo Sectarum Iudaicarum & tempus.* P. Cunæus *laudatus. Lites inter Hillel & Sammai & illorum sequaces. An Scribæ quidam huius, alij alius Sectæ. Locus* Act. xxiii. 9. *expositus & vindicatus.* Genebrardi *observatio apposita. Cur hîc Scribæ vocati* γραμματεῖς τοῦ λαοῦ. *Eadem phrasis in Targum quæ hîc apud Matthæum. Herodis institutum & scopus.*

I. NIHIL frequentius in Novo Testamento *Scribarum* nomenclatione occurrit. Dispiciendum ergo qui fuerint Scribæ illi, & unde sic dicti, quod eorum munus, quot genera, vel classes potius & ordines hominum qui hoc nomen olim sustinuerunt inter Iudæos.

II. Vis verò & significatio hujus vocis non à græcâ origine petenda, quæ stricta nimis & angusta, sed ab usu vocis cognatæ quem habet apud Interpretes Veteris Testamenti, à quibus Scriptores Novi Testamenti & hanc vocem & innumeras alias sunt mutuati. Si LXX. *Interpretes* consulamus observabimus, illos non tantùm vocem סופר vertere γραμματέα *Scribam*, sed & voces laxiores שוטר h.e. ῥαβδοῦχος, interdum *præfectus*, interdum *apparitor*, & עשה מלאכה *faciens opus.* Sic שטרים illis γραμματεῖς I. *Paral.* XXIII. 4. & γραμματοεισα-

γωγεῖς *Deut.* I.15. XVI.18. qui & שפטים κϱιταὶ. Sic iisdem vocibus respondent verba γϱαμματεύειν & διακϱίνειν I. *Par.* XXVI.29. Sic nomen verbale abstractum שטר *Syro* χειϱόγϱαφον notat, vel instrumentum obligatorium *Coloss.* II.14.

III. Si Paraphrasten Chaldæum etiam consulamus, animadvertemus in *Targum* hanc vocem frequenter respondere voci Hebrææ נביא *prophetæ*: הנביאים Chaldęo sunt ספרין & ספריא quod observat *Elias Levita* in suo *Meturgeman*, in quo voces Chaldaicas explicat per Hebræas. Interdum vocabulum סופרים redditur à Chaldæo per לבלרין ut *Esth.* III. 12. VIII. 9. quæ vox, ut & aliæ quędam voces Chaldaicę & Syriacæ, latinam originem habet, & respondet *libellario*, *librario*, A ספר enim *liber* סופרים dicuntur quasi *libellarij* vel *libelliones* illi qui tractant ordinariè libros & scripta quævis in genere. In Glossario aliàs *Liberarius*, melius librarius, γϱαφεὺς, quod *pictorem* propriè designat, sic γϱαφεὺς *Suidæ*, ζωγϱάφος, γϱαφεῖον *penicillus*. Notat verò etiam *Elias Levita* נביא verti per ספר vel ספרא, præterquam vbi sermo de illis quos vocat הידועים לנביאים, qui nobiles maximè & illustres inter Prophetas, qualis Nathan, Ieremias, Habacuc & alii illis similes, quando enim de illis sermo, retineri eandem vocem in *Targumim*, nimirum נביא, quando de aliis, substitui vocem ספרא vel ספריא. Quæ observatio levior videtur, nam multi Prophetæ alii æquè eximii, imò illustriores, qui tamen vocantur ספריא γϱαμματεῖς. Melior longè annotatio *Valentini Schindleri* Viri Doctissimi, qui observat in Targumim נביא reddi per סופר quando in genere ponitur, nec certum aliquem Prophetam denotat. Quanvis nec hoc sit perpetuum. Verum cæteroquin quod notat *Elias Levita* in voce נבא: על הרוב כל נביא ונביאים שבמקרא מתורגמים בלשנא ספר או בלשבא מלף ut plurimum voces Prophetæ & Prophetarum, quę in Bibliis, verti per voces Scribę, vel Doctoris. Est ergo סופר interdũ נביא *propheta*, interdum מלף pro מאלף per syncopen *Doctor*. Sic *Elias Levita* in suo *Thisbite* סופרים הם חכמים הנקראים גם הם רבנים *Scribæ* sunt sapientes, qui etiam vocantur Rabbanim Doctores vel Magistri. In *Talmud* per סופרים Scribas, intelligũtur sępè אנשי בנסת הגדולה

Viri

Viri Synagogæ magnæ: his Esdra præfuisse creditur cum Zorobabele & tribus Prophetis Haggæo, Zachariâ & Malachia, in quâ classe etiam Nehemia, Iosua filius Iozedec, aliique. Et crebra apud Iudæos mentio passim מקרא סופרים עטור סופרים, תקון סופרים *lectionis Scribarum, discessionis vel ablationis Scribarum, & correctionis eorundem*, quando voces vel literæ aliter scriptæ, aliter lectę vel legendæ, vel alię id genus criticę observationes & correctiones occurrũt. Sic בעלי המסורת *Masorethæ* vocantur סופרים, Doctores, & recensitores sacrorum voluminum, qui numerabant & in numerato habebant omnes versus, voces, litteras & omnes apices contextus sacri, veri Hebręorum Critici, de quorum origine, instituto, & diligentiâ, vide Commentarium Masorethicum eximium *Ioh. Buxdorffy*, summi harum litterarum Vindicis. Hinc patet vocem סופר latissimam esse, ut & verbum ספר quod reddunt LXX. generaliter per *ἀναγγέλλειν*, *ἐξαγγέλλειν*, *ἐξηγεῖσθαι*, *ἐκδιηγεῖσθαι*, per enuntiare, annuntiare, exponere & enarrare aliquid. Alia itaque latitudo verbi ספר, alia τοῦ *γράφειν*, nec vox *γραμματέως* intra angustias verbi græci coercenda, sed significatio eius arcessenda à latitudine vocis Hebrææ cui respondet.

IV. Sive ergo *originem* vocis spectemus, sive eius *usum* in Veteri Testamento, Scribarum nomen *πολύσημον* fuisse liquet, & *ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων*. Clarissimus *Beza* noster tria Scribarum genera in sacris litteris observat. 1. *Scribas regios*, qui Regibus apparebant. 2. *Scribas plebeios*, qui privatorum contractus & instrumenta describebant, & *Notarÿ* vocantur, quales Kinæi 1. *Chron.* 11. 55. 3. *Scribas sacros*, juris divini peritos. Sed nihil obstat quominus ad duas classes Scribarum latitudinem referamus, & dicamus alios fuisse *Politicos*, *Ecclesiasticos* alios. Et sic vox סופר æquè ac nomen כהן in duplici hoc significatu reperitur, quod interdum sacrum munus notat, & redditur per *ἱερέα*, interdum politicum, & vertitur per *αὐλάρχην* à LXX. & indefinitè designat המשמש ministrum Regis vel Principis, sed in honore constitutum. Quia enim principes familiarum antiquitus sacris operabantur & simul eminebant præ aliis, hinc factum ut utraque dignitas eodem nomine כהן designaretur.

V. Scribæ verò *politici* erant 1. *superiores* vel *regij*, qui vel Regibus erant à secretis, vel alioquin in munere aliquo constituti, & aliis præstituti. Sic שוטרים præfecti *Exod.* v. 6. à LXX. vertuntur γραμματεῖς, & conjunguntur cum illis qui dicuntur הנגשים ἐργοδιῶκται. Sic *Esdr.* IV. 8. ספרא γραμματεὺς dignitatis & muneris nomen est. Sic illi vocari poterant hoc nomine סופרים γραμματεῖς penes quos erant instrumenta & acta publica, & annalium, temporum, gestorum, censuum, redituum & aliorum id genus publica fides, qui etiam Regibus à consiliis erāt, & regiæ voluntatis expositores vel internuntij. 2. Aliud verò genus erat Scribarum *inferiorum* & *plebeiorum*, qui erant actuarij & notarii communes, à quibus privatorum instrumenta conscribebantur, contractus, pacta, conventiones & alia id genus, quæ inter privatos transigebantur. Hi propriè sunt *Libelliones* vel *Tabelliones*. Sic *Suidas* Γραμματεὺς ὁ Νοτάριος. Addit, τὸν τῶν ἀπορρήτων γραμματέα ἀσηκρῆτις vel potius ἀσηκρήτοις καλοῦσι τὸ ἀξίωμα Ῥωμαῖοι. *Secretorum Scribam à Secretis vocant Romani. Glossarium* γραμματεὺς *Scriba, tesserarius.* Interdum διασυρτικῶς γραμματεὺς dicitur γραμματοκύφων, ut Demosthenes Æschinem per contumeliam vocat, quasi τὸν κεκυφότα ἐν τῷ γράφειν. In genere ita dici possunt litteris assiduè incumbentes. *Etymologicum magnum* Γραμματοκύφων ἀντὶ τοῦ γραμματεύς· ὅτι οἱ γραμματεῖς προσκεκυφότες γράφουσιν.

VI. *Alij* verò erant *Scribæ sacri* vel *Ecclesiastici*, qui pro origine, & pro latitudine vocis Hebrææ erant Prophetæ, Doctores, Interpretes & expositores legis, quorum erat sacras Scripturas meditari, exponere, vindicare à corruptelis, illas prælegere populo in Templo & Synagogis, & interpretationem obscurorū, ubi opus, adjicere, populum instituere, dubia ex Mose & Prophetis objecta solvere, perplexas quęstiones enodare, genealogias tribuum, Regiæ maximè stirpis asservare, & alia id genus munia sacra obire. Sic Sçaphan Scriba pręlegit librum Legis Iosię II. *Reg.* XXII. 10. Talis Scriba etiam erat Esdras qui legis peritus erat, & instituebat populum in Lege. Sic Christus dicitur docuisse cum ἐξουσίᾳ, *& non ut Scribæ. Matth.* VII. 29. Docebant ergo Scribæ populum. Sic *Matth.* XVII. 10. Scribæ dicuntur loquuti de adventu Eliæ. *Quid igitur Scribæ dicunt oportere ut Elias primùm veniat?* Sic *Scribæ* hoc sensu dicuntur cum Phari-

Pharisæis *sedere in Cathedrâ Mosis. Matth.* XXIII. 2. ubi etiam Christus utrisque tribuit, quod ligârint onera gravia & difficilia portatu, & imposuerint ea in humeros hominum, quod affectârint titulorũ pompam, ut vocarentur ab hominibus *Rabbi Rabbi*, ubi per antithesin addit Christus, *Vos autem ne vocemini Rabbi, unus enim est ὁ καθηγητὴς Doctor vester*, nempe *Christus*. Erant ergo καθηγηταὶ de quibus Apostolus. *Rom.* II. 17. 18. 19. &c. δοκιμάζοντες τὰ διαφέροντα, κατηχούμενοι ἐκ τοῦ νόμου, quanvis communiter homines turgidi & inflati opinione suæ sapientiæ, persuasi se esse ὁδηγοὺς τῶν τυφλῶν, φῶς τῶν ἐν σκότει & eruditores insipientium, magistros infantium, habentes τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ: qui titulorum horum ampullas consectabantur, & se præ aliis efferebant. Sic Christus *Matth.* XIII. 52. dicit Scribam esse μαθητευθέντα εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, & proferre è thesauro suo nova & vetera. Paulus I. *Cor.* I. 20. conjungit & simul distinguit *sapientem, scribam*, & συζητητὴν τοῦ αἰῶνος τούτου. Vir Illustris *Ios. Scaliger* in Elencho Trihæresii observat Paulum allusisse ibi ad tria Doctorum genera, quę inter Iudęos tunc tẽporis obtinebant, quorũ nomina חכם, סופר, דרשן *Sapiens, Scriba & Inquisitor.* Sic *Syro Interpreti* συζητητὴς ibidem דרושא h.e. *inquisitor, disputator.* Sic Christus distinguit *Matth.* XXIII. 34. *Prophetas, sapientes, Scribas.* Primum genus hominum חכמים *Sapientes* inter Iudæos vocabantur illi qui erant בעלי משנה vel בעלי תלמוד δευτερωταὶ: versati in lege non solũ שנכתבה vel שבכתב quę *scripta*, sed & in lege שבעל פה *ore traditâ*, continente scriptæ interpretationem ex ore Dei ad Mosẽ, ab hoc ad seniores propagatam, donec in *Talmud*, ut nugantur Iudęi, relata fuit. Scribæ verò dicebantur בעלי מקרא quasi *lectionarij* vel *scripturarij*. Illi qui δευτερώσεις Majorum adjiciebant Legi, & spontaneum cultum observabant, ut bene notat *Scaliger* ibidem, dicebantur המתנדבים בתורה ἐκουσιαζόμενοι τῷ νόμῳ qui non tantùm observabant חיוב *debitum* Legis, sed & adjiciebant נדבות spontanea רבית לתורה ἐπίμετρον τῷ νόμῳ, *auctariũ Legi.* Scribę verò erant עושקים בתורה *studentes Legi.* Ob id iidem vocabantur νομικοὶ, legis studiosi, vel periti, & ejus Doctores νομοδιδάσκαλοι quasi ἐξόχως מורים *doctores* qui תורה legem callebant & docebant. Et hinc etiam nomen τῶν γραμματέων meritò illis hæsit, eò quod describerent

& exponerent volumina ſacra, verſarent aſſiduè Legem & Prophetas, unde præſumebantur verſatiſſimi in legis æquè ac Prophetarum ſenſu eruendo.

VII. Quæritur verò etiam utrum γραμματεῖς & νομικοὶ ejuſdem ſint ordinis an diverſorum. Deciſio hujus *Dubii* facilis, ſi conferamus Scripturas. Liquet enim ex collatione loci *Matt.* XXII.35. cum *Marc.* XII.28. hæc nomina promiſcuè ſumi, qui enim vocatur à Matthæo νομικὸς, à Marco dicitur fuiſſe εἷς τῶν γραμματέων. Sunt tamen multi Viri magni *Forſterus*, *Scaliger*, *Druſius*, *Chemnitius*, *Camero*, aliique, qui diſtinguunt τοὺς νομικοὺς & τοὺς γραμματεῖς, authoritate loci *Luc.* XI. 45. ubi quum Chriſtus graviter invectus fuiſſet in Scribas & Phariſęos, dicitur quidam τῶν νομικῶν interceſſiſſe inquiens, *Magiſter, quum hæc dicis etiam nos afficis injuriâ*, reſpondit Chriſtus, καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς οὐαὶ. *Væ vobis quoque Legis Interpretibus.* Sic *Epiphanius* Hæreſi XV. & XVI. diſtinguere videtur Scribas & νομικοὺς, quanvis non diſtinguat γραμματεῖς & νομοδιδασκάλους. Vnde *Ioſ. Scaliger* nomina etiam illa diverſimodè interpretatur in Elencho Triheręſij, & contendit νομοδιδασκάλους dictos fuiſſe illos qui legem interpretabantur, νομικοὺς verò formulas juris præſcripſiſſe, & actiones civiles docuiſſe, & forenſia magis tractaſſe, & ob id vocatos γραμματεῖς, quia hoc proprium τῶν γραμματέων. Sed vix videtur hæc diſtinctio ex ſacris poſſe probari, 1. Quia certum νομικὸν & γραμματέα quandoque promiſcuè ſumi in Scripturâ, & νομικὸν à Syro etiam verti per ספרא *Scribam*, non quidem ſemper, ut habet Vir Illuſtris, ſed aliquando, redditur enim etiam quandoque per דידע נמוסא qui *intelligit legem* vel *peritus eſt Legis*, ut *Matth.* XXII.35. & alibi. 2. Quia prædicatum idem quod τοῖς νομικοῖς impingit Chriſtus attribuit etiam Scribis. De νομικοῖς dicit *Luc.* XI. 46. *quod onerent homines oneribus difficilibus portatu, ſed ipſi uno ex digitis ſuis ea non attingant*, & verſu 52. *quod ſuſtulerint clavem cognitionis, quod ipſi non introiverint, & eos qui introibant prohibuerint.* *Scribis* eadem tribuuntur *Matt.* XXII. 4. *Ligant onera gravia difficiliáque portatu, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere.* Sic *verſu* 13. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quoniam clauditis regnum cœlorum coram hominibus, vos enim non introitis, nec introeuntes ſinitis introire.*

VIII. Do-

VIII. Doctissimus *Camero* in Notis in caput XXII. Matthęi aliter distinguit νομικοὺς & γραμματεῖς, & putat Scribas fuisse Legis Interpretes, sed qui publicè in Synagogis Legem interpretabantur, & fungebantur munere Ecclesiastico; Νομικοὺς verò fuisse illos quos Hebræi חכמים *sapientes* vocant, qui Legem quidem interpretabantur, sed in scholis privatim: quod colligit ex verbis Christi vers. 12. *Væ vobis Legisperitis, quia sustulistis clavem scientiæ.* Insigne enim Doctoratus olim fuisse apud Iudæos clavem cum pugillaribus. Sed nec hęc distinctio videtur in Scripturâ observari, & *clavis scientiæ* Scribis etiam adscribitur *Matth.* XXIII. 13. Adde מפרים esse propriè Interpretes expositores scilicet Legis, siue publicè in Synagogis, sive privatim in scholis, adeoque eo ipso חכמים *Sapientes* & מורים *Doctores.* Locum verò Lucæ quod attinet, qui occasionem dedit huic distinctioni, videtur illa sine necessitate inde colligi: quin potius iidem ibi γραμματεῖς & νομικοὶ, etsi primâ fronte distingui videantur. Potest verò hoc erui ex ἀλληλουχίᾳ verborum Lucæ. *Versu* 37. introducitur Pharisæus rogans Christum, ut pranderet apud se. Annuit Christus. Miratur Pharisæus Christum non prius ablutum fuisse antequam discumberet. Christus inde occasionem sumit perstringendi hypocrisin & alia flagitia Pharisæorum ad *versum* 44. *Versu* 44. Christus incipit conjungere Scribas cum Pharisæis, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ,* &c. Ad hoc verbum dicitur excepisse quidam ex νομικοῖς legis interpretibus, *Magister quum hoc dicis etiam nos afficis injuriâ.* Subjicit Christus, *Væ vobis quoque Legis interpretibus,* quoniam, &c. Si hæc accuratè expendantur, tantùm abest vt pro diversis ibi sumantur γραμματεῖς & νομικοὶ, ut contra manifestè iidem sint νομικοὶ & γραμματεῖς. Cur enim, quando Christus inquit καὶ ὑμῖν γραμματεῖς &c. nullâ factâ mentione τῶν νομικῶν, νομικὸς invadit in Christum, & suo ordini hoc applicat, nisi νομικοὶ fuerint γραμματεῖς & contrà. Vnde & Interpres Syrus unâ eâdemque voce singula illa reddit, & νομικοὺς æque ac γραμματεῖς interpretatur ספרא, etsi alibi, ut dictum, νομικὸν interdum vertat דידע נמוסא *qui peritus* est *Legis.*

IX. *Iosephus Scaliger* Vir Illustris duplicem etiam constituit classem Scribarũ, & distinguit γραμματέως τοῦ λαοῦ & γραμματέας

τοῦ νόμου, & illos dicit fuiſſe actuarios politicos, hos interpretes Legis. Sed, ſalvâ Summi Viri authoritate, vix videtur hoc diſcrimen poſſe probari. 1. Quia Scriptura nuſquam meminit diſtinctè τῶν γραμματέων τοῦ νόμου, ſed vel γραμματέων tantùm, vel γραμματέων τοῦ λαοῦ. 2. Quia hi ipſi γραμματεῖς τοῦ λαοῦ fuêre סופרים *Expoſitores* Legis, מורי נבוכים *Doctores perplexorum*, quæ in Lege occurrebant. Vnde hîc coguntur ab Herode, velut periti Legis, & conſuluntur non ſuper negotio forenſi, ſed in re ſacrâ, & à legis tantùm & Prophetarum gnaris petenda, ubinam Chriſtus naſciturus foret. At ſi tantùm fuiſſent homines politici & in actu rerum verſati, talis quæſtio illis minimè propoſita fuiſſet. 3. Adde, ut iidem vocantur quandoque ſimpliciter πρεσβύτεροι, & quandoque πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ, *ſeniores, & ſeniores populi*, ſic iidem interdum *Scribæ*, interdum *Scribæ populi* vocantur. Tales verò dicuntur non ex ſignificatione Græcâ, ſed Hebręâ vocis, סופרים, quaſi Præcones vel Interpretes Legis, διδάσκαλοι vel καθηγηταὶ τοῦ λαοῦ, Doctores populi.

X. Sin omninò diſtinctio aliqua ſit quærenda τῶν νομικῶν & τῶν γραμματέων, & omnes quidem νομικοὶ fuerint Scribæ, non tamen omnes Scribæ νομικοὶ, 1. Dici poteſt *Scribas* fuiſſe homines θεωρητικοὺς contemplationi Legis & quæſtionibus theoreticis potiſſimùm vacantes, νομικοὺς verò, quæſtionibus practicis & actui rerum deditos fuiſſe. Vnde γραμματεῖς hîc ab Herode interrogantur de loco naſcituri Chriſti, non νομικοὶ. Et γραμματεῖς de Eliæ adventu diſſeruiſſe leguntur *Matth.* XVII. 10. 2. Poteſt etiã dici νομικοὺς dictos fuiſſe illos Scribas qui tantùm affixi erant Legi, nec curabant δευτερώσεις maiorum, unde νομικὸς ille vocatur *Matth.* XXII. 36. qui quærit quod ſit magnum mandatum in Lege *Luc.* X. 26. & à Chriſto ad Legem remittitur, quia videlicet hoc ipſius ἔργον erat. *In lege quid Scriptum eſt, quomodo legis?* Sic *Luc.* XIV. 3. τοῖς νομικοῖς proponit Chriſtus quæſtionem legalem de Sabbatho. Et ſanè *Epiphanius* Hæreſi XV. docet Scribas fuiſſe non tantùm δευτερωτὰς τοῦ νόμου, ſic dictos, ὡς γραμματικὴν τινὰ ἐπιστήμην ὑφηγουμένους, ſed & addit quæ illa ὑφήγησις fuerit, illos videlicet introduxiſſe περιττὴν τινὰ σοφιστικὴν, οὐ κατὰ νόμον μόνον βιοῦντας,

ἀλλὰ

ἀλλὰ περισσότερον. Notat etiam ibidem *Epiphanius*, quatuor apud eos fuisse genera δευτερώσεων, Mosaicum unum, reliqua inania planè, & humanæ ac sublestę fidei, imò plena ἀσοφίας. Multi Viri eruditi ob ambiguitatem pronominis σχετικοῦ putant Epiphanium distinguere ibi apertè τοὺς νομικοὺς ἀπὸ τῶν νομοδιδασκάλων καὶ τῶν γραμματέων. Sed contrarium evidens ex lectione Epiphanii, ut rectè observavit *Petavius*, qui utrosque conjungit, velut unum τάγμα constituentes, nec enim τὸ αὐτοῖς ad remotius referendum, h.e. ad Pharisæos, sed ad id quod immediatè antecedit, ad γραμματέας nimirum καὶ νομοδιδασκάλους, quibus συνῆσαν δὲ οἱ νομικοὶ, quibus conjuncti sive accensiti etiam dicuntur fuisse οἱ νομικοὶ, ne qui interdum distinctis nominibus in Scripturâ efferuntur, ad aliud τάγμα, ad aliam classem pertinere censerentur. Et sic reddit rationem Epiphanius cur interpretetur γραμματέας νομοδιδασκάλους, quia illis scilicet Scribis accensebantur οἱ νομικοὶ. Idem ergo significatur sæpe per γραμματέας, νομικοὺς & νομοδιδασκάλους. Etsi τῶν γραμματέων nomenclatio latior sit nomine τῶν νομικῶν, quia illi sæpe, ut dictum, munere politico fungebantur, isti sacro tantùm, legis expositioni & iis quæ ab eâ pendebant in solidum vacantes. Omnes ergo νομικοὶ Scribæ, sed non contrà. Vnde optimè Syrus interpres *Luc.* XI. 45. quia Christus de Scribis sacris loquebatur, & illis exprobrabat hypocrisin, νομικὸν qui intercessit vocat ספרא, etsi alibi eandem vocem, ut dictum, aliter vertat, quia Scribæ nomen latius erat.

XI. Magnam verò fuisse Scribarum authoritatem, imò etiam aliquam potestatem judiciariam ex eo colligi potest, quod *Matth.* XX. 18. Christus se tradendum prædicit τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ γραμματεῦσι, *principibus Sacerdotum ac Scribis*, quia dubio procul præstantiores vel seniores ex illis in Senatum Sanhedrin cooptabantur. Fuisse verò Scribas dispersos per totá Iudæam, in omnibus saltem locis, ubi erant Synagogæ, liquet ex *Matth.* XV. I. ubi dicuntur accessisse ad Christum οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων γραμματεῖς. Eadem distinctio *Marc.* III. 22. Habitum *Scribarum* veterum inter Iudæos describit Epiphanius Hæresi XV. & inquit illos gestasse στολὰς, vel ἀμπεχόνας, pallia quædam τέσσαρα πτερύγια quatuor angulos habentia, ex quibus pendebant ῥοΐσκοι corymbi vel potius globuli punicorum malorum specie,

& pro veste illos vsos dalmaticis, sive tunicis manuleatis, vel colobiis sive tunicis sine manicis, purpura clavatis, quales postmodum sub birro presbyteri inter Christianos gestare cœperunt, de quibus multa eruditè notat in Tertullianum de Pallio *Claudius Salmasius*, Vir Summus.

XII. *Originem* verò & institutionem primam *Scribarum* quod attinet, de eâ ambigitur inter viros eruditos. 1. *Alij* eorum initium arcessunt à promulgatione Legis, quâ traditâ Scribis opus fuerit, legem & describentibus & prælegentibus & interpretantibus. At verò id Sacerdotum erat tunc temporis, nec apud Mosen Scribarum mentio occurrit, τὸ מחקק enim, quod aliqui huc trahunt, etsi quoad originem vocis videatur Scribam designare, tamen prout adhibetur in Sacris non tam Doctorem Legis notat vel interpretem, quàm νομοθέτην qui leges vel jura condit, & dat populo חקים. *Targum* quidem reddit vocem illam ספרא, sed, ut ostensum, vox illa latissima est. LXX. melius vertunt ἡγούμενον, ἄρχοντα, βασιλέα. 2. *Alii* eorum originem referunt ad tempora Davidis, quippe qui cultum Dei instaurasse, & multa circa ministeria sacra constituisse legitur, qui & quo ordine sacris operari deberent, 1. *Paral.* XXIII. & XXIV. 3. *Alii* ad *Iosephatum* descendunt, qui Sacerdotes & Levitas per omnes civitates ad docendum populum misisse legitur II. *Paral.* XVII. 7.8.9. Sed nec *Davidis*, nec *Iosaphati* tempore mentio Scribarum occurrit. 4. *Alii* relationem *Hieronymi* in caput VIII. Iesaiæ secuti non multo ante adventum Christi ortos fuisse Scribas contendunt æquè ac Pharisæos, & utrosque quidem introductos à Sammai & Hillel, Sectarum & πολιτειῶν ductoribus inter Iudæos. Observarunt verò jam pridem Viri eruditi 1. opinionem illam derivatam ex *Pseudevangelio Nazaræorum*, scripto apocrypho & πονηροῦ κόμματος. 2. Iosephum docere, ex ἀρχαίου, imò ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου & jam circa Macchabæorum tempora obtinuisse inter Iudæos Pharisæorum Sectam cum aliis, quibus tamen antiquiores longè Scribæ fuêre, quippe quorum crebra mentio in libris Veteris Testamenti. Meritò ergo *Epiphanij* opinionem rejicit Eruditissimus *Casaubonus* statuentis Scribas eodem tempore cepisse cum Sadducæis.

XIII. *Alij* Scribas post captivitatem Babylonicam demum

ortos

ortos contendunt, ſub templo ſecundo, & circa illa tempora, quando Prophetiæ donum in Malachiâ exſpiravit, & Sacerdotes cœpêre plus negotiis politicis & gubernationi civili vacare quàm meditationi legis, vel inſtitutioni plebis. Hanc itaque ſacri miniſterii partem reſervatam fuiſſe certo hominum generi, qui dicebantur סופרים h.e. expoſitores & interpretes Legis. Antiquiſſimum ſanè Scribarum nomen fuiſſe, certum eſt ex Scripturâ, imò jam conſtitutum ſuperſtitibus adhuc Prophetis ultimis poſt captivitatem vaticinantibus. Eſdras enim ὁμόχρονος Zachariæ, Haggæo & Malachiæ diſertè ſæpe vocatur סופר & cum ἐπιτάσει סופר מהיר *Scriba velox* exercitatus in lege. *Eſdr.* VII.6. idem dicitur *verſu* 10. *comparaſſe animum ſuum ad quærendum legem Iehovæ, & ad præſtandum eam, & ad docendum Iſraelem ſtatuta ac iudicia.* Idem vocatur *verſu* 11. *Sacerdos & legis peritus, peritus rerum quas præcepit Iehova & ſtatutorum eius in Iſraele.* Et qui in libro Canonico Eſdræ vocatur סופר γραμματεὺς, in libro Apocrypho *tertio*, cui Eſdræ nomen præſcribitur, vocatur ordinariè ἀναγνώστης τοῦ νόμου cap.VIII.9.10.21.& IX.39.42. Antiquior ergo Scribarum origo, & dubio procul ab Eſdræ temporibus. Quum enim ille cum Viris aliis eximiis, qui communiter vocantur אנשי כנסת הגדולה *Viri magnæ Synagogæ*, ſummam operam poſuiſſet in voluminibus ſacris deſcribendis, excutiendis, adornandis, interpretandis, adeò ut dicatur à Iudæis reſtituiſſe את בדק התורה *rupturam legis*, hinc & ille vocatus fuit סופר, & omnes illi qui ejus diligentiam hac in parte imitati ſequentibus ſeculis fuêre. Cui anxia opera ab illis adiecta in numerandis ſcrupuloſè omnibus litteris & apicibus Legis, quo nomine etiam meritò vocari poterant ἐξόχως הסופרים. Hi etiam erant interpretes ordinarij Legis & Prophetarum, & de his loquitur Apoſtolus, quando inquit *Act.* XV.21. Moſen habuiſſe in ſingulis ciuitatibus ἐκ γενεῶν ἀρχαίων qui ipſum prædicarent, quoties in Synagogis per ſingula Sabbatha legebatur. Et hi dicebantur מרביצי התורה quaſi qui ſuâ operâ ſuâ diligentiâ efficerent ut lex inter illos recubaret. Et ut homines illi ſubtiles viderentur & ingenioſi in Lege interpretanda, prout pruritus ingenii humani nova ſemper & inanem ex iis laudem affectat, myſticos ſenſus innumeros in ſacram Scripturam invexerunt, imò ſenſum litteralem

& apertum præ nugis illis ſpreverunt, & ſenſum litteralem quem vocant משמע & פשוט cœperunt vocare דבר קטון *rem parvam*, myſticum verò, quem מדרש vocant appellârunt דבר גדול *rem magnam*. Hinc factum vt homines illi ſenſim in devia abrepti innumeris interpretamentis Cabbaliſticis verbum Dei corruperint & conſpurcarint.

XIV. Recentius verò fuit Sectarum Iudaicarum inſtitutum origine & inſtituto Scribarum, & poſt illos demum introductum, quum Prophetę planè deſiêre, tunc enim poſtquam Iudæi omnem idololatriam, captiuitatis Babylonicæ memores, excuſsêre, in partes abire cœpêre, & lites non neceſſarias de religione, partibus doctrinæ, & cultu externo ſerere, cùm nullus ſupereſſet Propheta litibus illis decidendis, & cuius auctoritate continerentur & coercerentur homines pervicaces & litigioſi. Hinc natæ diſputationes ceſſantibus vaticiniis, hinc ortæ ſententiæ contrariæ, & cum pertinacia accederet & ambitio, ſectæ & hæreſes, quod bene obſervat Eruditiſſimus *Cunæus*. Quæ diviſio in familias abiit, & duces habuit cum tempore famoſos inter alios *Hillel* & *Sammai*, inter quos & eorum ſequaces de octodecim rebus contentionem fuiſſe tradunt Iudæorum Magiſtri, quas ne Elias quidem vel conciliare vel expedire poſſet. Et hinc *Phariſæorum*, *Sadducæorum*, & *Eſſæorum* familiæ & propagines, qui omnes in חלקים partes & factiones abiêre, ſectas introduxêre, & *πολιτείας μείζοις*, ut loquitur *Epiphanius*, & tantâ quidem cum animi exacerbatione, ut Phariſæi in Actis *cap.* XXIII. à Pauli potius, hominis ſummè ſibi exoſi, quàm à Sadducæorum partibus ſtare mallent.

XV. Scribarum verò nomen ordinis erat, vel gradus, non ſectę, & ſic vocabantur in genere poſtmodum homines litterati & docti, non ex Leviticâ tantùm, vel Simeonis tribu, ut quidam volunt, ſed è qualibet oriundi, qui legis erant periti, & vacabant toti vel meditationi Legis & Prophetarum, vel eorundem expoſitioni, quorum alij Phariſæorum inſtitutum, alii Sadducæorum, Eſſæorum alii *πολιτείαν* probaſſe putantur, quod multi colligunt ex loco citato *Act.* XXIII. 9. quia ibi fit mentio *τῶν γραμματέων τοῦ μέρους τῶν φαρισαίων*, Scribarum ſtantium à partibus Phariſæorum. Nihil verò obſtat quo minus cum *Syro* Interprete aliter accipiamus verba illa, & per *γραμματεῖς;*

τεῖς;

τοὺς τοῦ *μέρους τῶν φαρισαίων* intelligamus illos inter Pharisæos qui erãt homines doctiores & in maiori authoritate cõstituti, & quorú erat prę aliis verba facere אנשי ספרא מן גבא דפרישא *homines Scribas ex selectis Pharisæorum*, h. e. מאלפים vel אלופים *doctores* vel *ductores* inter illos, habebant enim & illi suos ordines in suis Sectis, ut hodiéque in Ecclesiâ Romanâ, & *Genebrardus* appositè & ominosè planè Theologos suos confert cum Pharisæis, *Scribas* cum Canonistis. Illi ergo, de quibus ibi Spiritus Sanctus loquutus, non tam Scribę fuerunt distincti à Pharisæis quàm Doctores inter Pharisęos, qui putabãtur habere clavem scientiæ, & in maiore erant ὑπεροχῇ. Sic nihil obstat quominus hîc per γραμματεῖς τοῦ λαοῦ intelligamus Doctores populi, vel Interpretes, expositores legis apud populum, סופרים destinatos להורות את העם ad instituendum & docendum populum. Huc etiam inclinare videtur *Franc. Lucas*, ut γραμματεῖς sint homines litterati, sed cum σχέσει, qui se Doctores plebi præstabant. Sic hodiéque *Rabbinis* סופרים sapientes, item discipuli sapientum filij Prophetarum.

XVI. Notandum verò etiam in Veteri Testamento quandoque apud Paraphrasten Chaldæum eandem locutionem occurrere, quæ hîc occurrit apud *Matthæum*, quando enim in Hebræo conjunguntur הכהנים והנביאים *Sacerdotes & Prophetæ*, *Targum* habet כהניא וספריא *Sacerdotes & Scribæ*. Sic hîc conjunguntur ἀρχιερεῖς καὶ γραμματεῖς, *Principes Sacerdotum & Scribæ.* Herodes ergo audito nuntio de Rege Iudæorum nato, & ob id dira multa animo versans, ut locum natalis Christi è Scripturâ propheticâ certò erueret, non paucos nec ex plebe Sacerdotum vel Doctorum adhibuit, sed omnes illos quorum munus aliquod in Ecclesiâ Iudaicâ, vel qui peritiâ Legis & Prophetarum aliis præstare videbantur, ut non privatam unius vel alterius opinionem, sed omnium & singulorum commune judicium experiretur, adeoque Rege noviter nato & latitante facilius deprehenso, eoque in cunis oppresso rumorem ab exteris sparsum & omnes Iudæorum spes unâ operâ oppressum iret & eversum, quò sic suæ securitati cautum esset & prospectum.

DUBIUM XLI.

De causis discrepantiæ quæ reperitur inter verba *Michææ* v.2. & eorundem citationem apud *Matthæum* II.6.

EXAMEN.

Matthæi consuetudo. Causa. Diversitas in citatione dictorum propheticorum. Responsio quorundam explosa. An lapsus memoriæ admittendus in sacris Scriptoribus. Loci II. Petri I.20. *&* Galat. IV. 22. *illustrati. Solutiones duæ. Dupliciter aliquid scriptum. An Scribæ hîc perstringendi.* Franc. Iunius *laudatus.*

I. MATTHAEO Evangelistæ familiare præ aliis Novi Testamenti Scriptoribus, oraculis Propheticis fidem facere illis, quæ pertinent sive ad *personam* Messiæ, sive ad eius *officium*, sive ad ea quæ *à Messiâ* gesta, sive ad ea quæ *circa illum* gesta. Quod ipsum harmoniæ Veteris ac Novi Testamenti illustrandæ simul & comprobandæ facit. Sic duorum Cherubinorum seipsos mutuò aspectantium, & *propitiatorium* unum idemque amplectentium typus impletus. Sic ostensum, quod & in transfiguratione Christi olim factum, Mosi & Eliæ optimè cum Messiâ nostro convenire, & utrumque gloriæ illius testem esse. Sic probatum, viginti quatuor Seniorum & quatuor animalium vocem eandem esse, scopum eundem, institutum idem, & Iesum illum Nazarenum esse centrum unum Legis, Prophetarum & Scriptorum Novi Testamenti.

II. Quandoquidem tamen in citationibus oraculorum Propheticorum, ut hoc loco, magna sæpe apparet sive verborum, sive structuræ sermonis, sive sensus & scopi diversitas, & idipsum

idipsum non tantùm Lectori attento crucem figere potest, verùm etiam ab aduersariis nominis Christiani in occasionem calumniæ raptatur, meritò de commodâ ratione tum Evangelistam Matthæum vindicandi à cavillis, tum Lectorem pium à scrupulis variis liberandi anquiritur. De *thesi* latiùs alibi, Deo dante, disputabimus: hîc in *hypothesi* tantùm de diversitate quę inter Michæam Prophetam & Matthæum Evangelistam intercedit agemus, sed compendiò & *διὰ βραχέων*.

III. Responsum jam olim à quibusdam, quod refert *Hieronymus* in cap. v. *Mich.* in hunc locum, Evangelistas & Apostolos interdum memoriâ lapsos citasse testimonia ex Veteri Testamento, non prout extabant in libris sacris, sed prout memoriæ scribentium se offerebant, quæ nonnunquam falli solet. Hinc interdum in verbis, interdum in ordine, interdum in sensu mutationem occurrere. Sed hæc responsio admitti nequit, quin sacrarum litterarum tum veritas tum authoritas labefactetur. Hac rimâ semel datâ, ut bene *Augustinus* ad Hieronymum, continuò ruet tota Scripturæ authoritas, & nihil occurret apud Scriptores sacros, quod non in dubium vocari possit, falsitatis enim mater oblivio vel incuria, æquè ac studium fallendi. Adde id ipsum & à *Paulo* revinci II. *Tim.* III. 16. qui πᾶσαν γραφὴν docet esse θεόπνευστον, & à *Petro* II. *Epist.* I. 20. qui docet nullam prophetiam Scripturæ esse ἰδίας ἐπιλύσεως, sive enim ibi legamus ἐπηλύσεως, pro ἐπελεύσεως quod Viri Docti iam olim sunt suspicati, *proprij afflatus*, sive retineamus nomen ἐπιλύσεως, sensus hujus loci est, ut bene observavit Eruditissimus *Camero*, S. Scripturam non esse *propriæ interpretationis*, quatenus Prophetæ non suæ mentis sed divinæ interpretes egêre, nec proprio instinctu sed divino tantùm scripsêre, quod ulteriùs explicat Petrus, dum addit, non libidine hominis allatam esse olim prophetiam, sed actos à Spiritu S. loquutos fuisse sanctos Dei homines. Et certum est sive nexum, sive verba respiciamus, non de interpretatione prophetiæ jam datę, sed de revelatione ipsâ prophetiæ, sive de ortu ipso vel origine Scripturæ propheticę ibi agi, eam videlicet nec hominum instinctu allatam, nec illorum inventioni vel ingenio deberi, sed spiritui Sancto per prophetas loquenti. *Scholiastes* apud *Suidam* alioquin ἐπήλυσιν interpretatur ἄφιξιν, ἐπέλευσιν, ἔκπεμψιν, *Suidas*

reddit ἐπιδερμίω, ἐπίλυσιν verò per jota interpretatur ἔφοδον, quæ eodem recidunt. Quod verò Petrus de Scripturâ propheticâ dicit, idem analogicè ad Scripturam Evangelicam & Apostolicam referri debet. Nullum ergo ἁμάρτημα μνημονικὸν in Scriptoribus θεοπνεύστοις & in scribendo æquè ac loquẽdo ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερομένοις admittendum. Nec tale quid illis impingi potest quin impingatur Spiritui Sãcto, cujus auspiciis & impulsu & scripsêre sacri Scriptores & talia scripsêre, non alia, & hoc modo, non alio.

IV. Duæ itaque solutiones restant Matthęo conciliando cum Michæâ. *Vna*, nec Evangelistas, nec Apostolos se adstringere anxiè ad verba Scriptorum Veteris Testamenti quæ citant, sed sæpe satis habere sensum referre, sæpe LXX. versionem sequi, sępe illa tantùm verba exprimere quę ad institutum illorum faciebant. Si verò nobis licet Authorum sententias sępe citare nostris verbis, cur Scriptoribus θεοπνεύστοις vitio vertatur, siquidem illi non strictè verbis Propheticis semper adhęrescant, præsertim cùm illi fuerint αὐτόπτοι & αὐτηκόοι, adeoque illis licuerit hîc singulari etiam libertate uti. Nec excipi debet, *Matthæum* dicere, *sic scriptum esse per Prophetam, versu* 5. interdum enim aliquid scriptum intelligitur αὐτολεξεὶ, *totidem verbis*, interdum κατ' ἰσοδυναμίαν, *per æquipollentiam*, interdum κατὰ λέξιν, interdum κατὰ πρᾶγμα. Sic v.g. *Galat.* IV. 22. dicit Apostolus *Scriptum esse*, *Abrahamum duos filios habuisse*, quod tamen αὐτολεξεὶ nullibi reperitur. Posteriori hoc modo quod Matthæus refert apud Prophetam reverâ scriptum reperitur. Nec inter nos cuiquam vitio vertendum, si quis sensum sacri cujusdam Scriptoris sincerè referat, tametsi verba ipsa non semper pręcisè enarret. An verò minus licuit Matthæo imò Spiritui Sancto, cujus ille amanuensis? *Dubio* verò sequenti ostendetur, optimè convenire Matthæo cum Michæa, nec dissensum illum in verbis quibusdam obstare, quominus vtrobique idem occurrat sensus, & substantia dictorum eadem.

V. *Altera* solutio eaque peculiaris huic loco est, quam *Hieronymus* Commentario in caput v. Michææ jam pridem observavit, & quam sequuntur multi ex Interpretibus, Evangelistam hîc Historicum agere, & non tam Prophetę verba quàm Sacerdo-

Sacerdotum & Scribarum referre, & eo ipso illorum sive oscitantiam sive ignorantiam notare, quod *Hieronymo* jam olim etiam placuit. Sed quicquid ejus sit, vix videntur Scribæ & Sacerdotes hîc iustæ censuræ patere, cum substantia oraculi prophetici satis superque ab ipsis referatur, ut ostendetur in sequẽtibus, illud verò illorum laudi cedat, tum quod de natali Messię sententiam rogati ad Scripturas propheticas confugiant, tum quod testimonium rei de quâ quærebatur designandæ aptissimum deligant, tum quod suis verbis lucẽ inferant oraculo prophetico, ut patebit ex sequentibus. Nec sanè ignorantiæ verborum sed rerum tantùm Scripturæ rei peraguntur à Christo. Verba itaque illis nota erant & comperta. Certum ergo eos sic voluisse non recensere tantùm, sed & exponere oraculum illud Propheticum Herodi. Adde, sive Matthæo illa verba tribuantur, sive Sacerdotibus & Scribis, vix oscitantiæ vel ignorantiæ culpam hîc locum habere, quid enim facilius fuisset vel magis proclive, quàm ex codice aliquo ipsa Prophetæ verba describere, si de eo fuisset solicitus Matthæus, vel id spectassent Scribæ? Nec illorum solutio probanda, qui putant Sacerdotes & Scribas ex versione quâdam Syriacâ, quæ tunc plerisque præ manibus fuerit, & hæc ipsa verba expresserit, oraculum illud retulisse. Præterquam enim quod hoc ipsum precarium prorsus & sine fundamento, versionem ejusmodi prophetarum extitisse nullâ vel authoritate vel ratione doceri potest. Nec verò necessarium, ut tale quid comminiscamur, solutiones enim superiores huic nodo in *genere* incidendo abundè sufficiunt. *Hieronymus* meminit versionis LXX. quæ eodem modo exprimit oraculum propheticum, quo Evangelista noster. Quæ si hodieque exstaret tota lis facile componi posset, & dici, Matthæum versionem illam ad verbum expressisse. De causis cæteroquin mutationum quæ occurrunt apud Scriptores sacros, vide eruditè differentem *Franc. Iunium* parallelorum sacrorum libro primo in hunc locum. Ἐναντιοφανῆ *in specie* quod attinet, quæ inter Michæam & Matthæum intercedunt, illorum conciliationem expediemus *Dubio* sequenti.

DVBIA XLII. XLIII. XLIV.

De ratione conciliationis *Michææ* cum *Matthæo*, *in specie*, quomodo sint solvendæ ἀντιλογίαι apparentes, quæ reperiuntur. *Mich.* v. 2. & *Matth.* II. 6? XLII. de *Mutatis* à Matthæo. XLIII. de *Omißis*. XLIV. de *Additis*.

EXAMEN.

Cavilla Iudæorum I. *de* mutatis, II. *de* omissis, III. *de* additis *à Matthæo. Cur Bethleem dicta* Ephrata. *Cur* terra Iuda, *& quo sensu. Quæ* περίφρασις superlativi *apud Hebræos. Cur Matthæus substituat* ἐν ἡγεμόσιν *pro* ἐν χιλιάσιν. Riberæ *opinio.* Maldonati *hallucinatio. Distinctio vocum* אלף *&* אלוף. *Observatio* Piscatoris. *Solutio probabilis. Quid* מלכא *Syris,* מלך *Chaldæis & LXX. & nomina inde ducta. Quid* משל *apud LXX.* Riberæ *error. Qualis dominatio Meßiæ.* Theophylacti *observatio. Quale debeat esse Imperium Regum. Vulgatus Interpres notatus,* Maldonatus *confutatus. Pleonasmus in pronominibus. Opinio quorundam ex Veteribus rejecta. Scribæ defensi.*

I. VAMVIS in Examine *Dubij* superioris satis veritati cautum fuerit, & harmoniæ necessariæ inter Prophetam & Evangelistam: tamen quia eximium hoc oraculum non tantùm Iudæorum cavillis vexatur, verùm etiam ex se habet vnde

vnde Lectorem attentum exerceat, si collatio instituatur accurata dictorum à Michæâ cum verbis Matthæi, sive *citationem* ipsorum verborum spectemus, sive *applicationem*: ἀντιλογίας apparentes sigillatim excutiemus, Evangelistæ Matthæi integritati vindicandæ, Iudæorum cavillis abstergendis, ostendendæ harmoniæ Veteris & Noui Testamenti, & confirmandæ fidei Lectoris Christiani.

II. *Citationem* itaque quod attinet & collationem verborum Prophetæ & Evangelistæ, quam hoc *Dubio* exequemur, cavillantur Iudæi peccatum fuisse à Matthæo, I. ἀλλοιώσει sive *mutatione* dictorum à Prophetâ, II. ἐκλείψει sive *omissione* dictorum, III. προσθέσει sive *additione* non dictorum.

Ἀλλοιώσει, 1. Quia *Michæas* vocat Bethleem אפרתה, *Ephrata: Matthæus* Bethleem γῆ Ἰούδα, *terram Iuda.* 2. *Michæas* vocat Bethleem in positivo צעיר *parvam: Matthæus* utitur superlatino. 3. *Michæas* loquitur *affirmativè*, & dicit Bethleem Ephrata parvulam esse: *Matthæus* loquitur *negativè*, & negat Bethleem parvulam esse, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ: 4. *Michæas* habet באלפי יהודה *in millibus Iuda*: *Matthæus*, ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα, *inter Duces Iuda.* 5. *Michæas* habet יצא להיות מושל *egredietur ut sit Dominator: Matthæus*, ἡγούμενος ὅστις ποιμανεῖ, *dux qui pascet.*

Ἐκλείψει quinetiam peccatum videtur. 1. *Propheta* habet ממך לי יצא *ex te mihi egredietur: Matthæus* pronomen relativum emphaticum prætermittit, & dicit tantùm, ἐκ σοῦ ἐξελεύσεται, *ex te exibit.* 2. *Propheta* addit ומוצאתיו מקדם מימי עולם, *& egressus eius ab initio, à diebus seculi: Matthæus* hæc prorsus prætermittit etsi connexa cum superioribus, & ad eiusdem subiecti descriptionem pertinentia.

Προσθέσει etiam peccatum videtur. 1. *Matthæus* addit particulam αἰτιολογικὴν, (γὰρ) ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται, quam *Michæas* non habet. 2. *Matthæus* addit prædicatum τὸν λαόν μου *populum meum*, quod non reperitur apud Prophetam.

III. Difficultas etiam eo ipso augeri videtur, quod non dici possit hoc loco Matthæum sequutum fuisse Versionem LXX. Interpretum, quia illa diversissima à Matthæi verbis. Sic enim habet, καὶ σὺ οἶκος τοῦ Βηθλεὲμ τοῦ Εὐφραθά, ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα. Ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα ἐν τῷ Ἰσραήλ,

καὶ αἱ ἔξοδοι αὐτοῦ ἀπ' ἀρχῆς ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος. h. e. *Et tu domus Bethleem (filij) Ephrata, parvula es ut sis in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israele, & egressus eius ab initio, à diebus seculi.* Interpres quin etiam *Chaldæus* hîc in alia omnia it, qui sic habet : ואת בית לחם אפרתה כזער הויתא לאתמנאה באלפיא דבית יהודה מנך קדמי יפוק משיחא למהוי עביד שולטן על ישראל די שמיה אמיר מלקדמין מיומי עלמא : h.e. *Et tu Bethleem Ephrata quasi parva fuisti ut numerareris inter millia domus Iudæ, ex te coram me prodibit Messias ut sit exercens dominationem super Israelem, cuius nomen dictum est ab æternitate, à diebus seculi.*

IV. Solutiones *generales* præmissæ fuêre *Dubio* pręcedente, vel Matthæum non se adstrinxisse anxiè verbis Prophetæ, sed satis habuisse sensum referre: vel Scribas interpretes egisse loci prophetici, & Matthæum Historicâ fide non tam Prophetæ quàm illorum verba retulisse. Restat ut in *specie* ostendatur ratio conciliationis singulorum, & harmonia Prophetæ & Evangelistæ in fundamento, uno *Dubio* excepto, quod peculiarem disquisitionem meretur ob difficultatem singularem quam implicat, quatenus Matthæus videtur planè invertere verba Prophetę, & ex oratione affirmativa negativam efficere, de cujus ἀντιλογίας solutione agemus *Dubio* sequente.

V. *Primò* itaque objicitur, Michæam vocare *Bethleem Ephrata*, Matthęum, *Bethleem terram Iuda.* Sed conciliatio facilis. Verba enim diversa sunt, sensus idem, nam eadem Bethleem & *Ephrata* dicta, & *terra Iuda*: *Ephrata* vel à singulari suâ fertilitate, à פרה Hebræorum, geminatâ terminatione fœmininâ ad notandam ἐπίτασιν, quippe quę non tantùm ubere glebę futura esset fertilis, sed cumprimis Messiæ partu: vel à conditore suo à quo olim exstructa, cui id nomen hęsit, quod docetur 1. *Paral.* IV. 4. *hi filij Churis primogeniti Ephratæ patris Bethleemitarum.* Idem nomen habuit una ex uxoribus Calebi. 1. *Paral.* II. 19. Et sanè LXX. ad conditorem illum respexisse videntur dum vertunt, καὶ σὺ οἶκος τοῦ Βηθλεὲμ τοῦ Ἐφραθά. Obtinuit verò tractus ille id nomen jam antiquitùs. Sic *Gen.* XXXV. 16. 19. Mortua Rachel dicitur propè *Ephratam*, & *sepulta in viâ Ephratæ, quæ Bethleem*, quod repetitur *Gen.* XLVIII. 7. Meritò verò sive à

ve à Matthæo, sive à Scribis vocatur illa ipsa Bethleem *terra Iuda*, 1. Quia revera erat sita in portione tribus Iuda. 2. *διαχειριστικῶς* ad distinctionem ejus ab aliâ urbe cognomine, quæ erat in portione tribus Zabulon, & sita in Galilæâ ut liquet ex *Iosuæ* cap.xix.15. Sic distinguitur etiam Bethleem *Ioh.* VII. 42. adiectâ limitatione expressâ, *Nonne Scriptura dicit, ex semine David,* & ex vico Bethleem, ὅπου ἦν Δαβὶδ, *ubi erat David, venturum Christum.* 3. Vt eo ipso ostenderetur Messiam nasciturum in illâ ipsâ Bethleem, in quâ olim habitavit Isai, 1. *Sam.* XVII. in quâ natus David, quę & ob id vocatur *civitas David. Luc.*II.4. Et hoc innuit Evangelista, *versu* 1. quando dicit cum epitheto, natum esse Iesum ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας, *in Bethleem Iudææ*, non communiter sic dictę pro toto tractu quem incolebant Israelitæ, sed specialiter pro tractu, qui obtigerat sortitò tribui Iudæ. Respondent etiam sic egregiè sibi prędictio de loco natali Messiæ, *versu* 5. & complementum ejus in Iesu Bethleemi nato *versu* 1. ubi secundùm Michææ vaticinium nasci debuit. 4. Eo ipso subinnuitur Messiam & nasci debuisse è tribu Iudâ, & reverâ ex eâ natum fuisse, & sic conjunctim & patria & tribus Messię notatur, idque studio dictum quidam arbitrantur ad vehementius commovendum tyrânum, Iudę nomine auribus eius admoto. 5. Sic etiã ἐξηγητικῶς à Scribis Herodi homini parum versato in scriptis propheticis explicatũ de quâ Bethleem Propheta loquatur, de illa nimirum quę erat vicina Hierosolymę, & in portione Iuda, quia ut *Lyranus* notat, fortè ignorabat illam Bethleem olim dictam Ephrata, quum nomina locorum sæpe mutentur, & id nomen tunc temporis potuerit esse obsoletum. 6. Respexêre etiam dubio procul Scribę ad versum 5. ad responsum quod dederant Herodi, Christum nasciturum *in Bethleem Iudææ*, quia ergo allegant locum propheticum ad confirmationem sui dicti, ne Propheta videatur loqui de aliâ Bethleem, loco אפרתה substituunt γῆ Ἰούδα. 7. Hoc optimè etiam convenit cum eo quod additur à Prophetâ, illam esse parvulam באלפי יהודה *in millibus Iuda*, & eo ipso innuitur illam fuisse *in terrâ Iuda.* Notum verò, Bethleem vocari hîc γῆ Ἰούδα, vel synecdochicè per *synecdochen integri* pro portione terræ Iuda, vel cum ellipsi præpositionis, h.e. quæ es in terra Iuda, vel terræ Iuda,

ut Syrus habet אף אנתי ביתלחם דיהודה *etiam tu Bethleem quæ es Iudæ.*

VI. *Secundò* mutationem positivi in superlativum quod attinet, illa levis est. 1. Notum enim Hebręos superlativo carere, & illud exprimere interdum per nomen adjectivum cum genitivo plurali conjunctum, interdum per adjectivum regens ablativum cum præpositione ב ut hoc loco &c. צעיר באלפי *parvus in millibus*, id est, *minimus millium*, sic v.g. יפה בנשים *Cant.* 1. 8. id est, *pulcherrima inter fœminas.* קטון בגוים *Ier.* XLIX. 15. id est, *minimus inter gentes.* 2. Adde, sensum eundem manere, ut ex sequentibus patebit, quamcunque lectionem sequamur sive Prophetæ, sive Evangelistæ. *Tertiam* difficultatem quę potissima, de mutatione enũtiationis propheticę, seorsim excutiemus.

VII. *Quarta* difficultas est, *Michæam* habere באלפי יהודה *in millibus Iuda: Matthæum* ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα, *inter duces Iuda.* 1. Respondent quidam Matthæum pro אלפי legisse אלופי, frequentem enim esse ellipsin τοῦ vau. Sed parum probabile Scriptorem à Spiritu Sancto actum lecturum fuisse nomen unum pro alio, nisi id vel promiscuum fuisset, vel magis emphaticum & appositum ad suum institutum. 2. *Ribera* inquit, *millia* in Scripturâ poni pro magno numero, vel pro multitudine. Quia ergo Propheta multitudinis meminerat, nec cujus rei esset illa multitudo indicaverat, Evangelistam id nominis exposuisse, sermonem videlicet illi esse *de principibus Iuda*, h.e. urbibus nobilioribus Iudęæ, de quibus ut de hominibus loquatur: Hunc itaque sensum esse, *ô Bethleem Ephrata* parvuláne es urbs ut numereris inter tam multas urbes quæ sunt in tribu Iuda? Non sanè, sed omnium maxima & nobilissima es. Et sic hoc sensu μείωσις esset in verbis Evangelistæ, *non minima es*, id est, maxima es. Probabile quidem est per אלפי יהודה Prophetam intelligere urbes tribus Iuda, in quibus chiliades hominum multæ reperiebantur, voce etiam ἡγεμόσιν non homines sed civitates magis eminentes designari ab Evangelista, sed tamen ἔκθεσις hoc sensu obscurior foret ipsis Prophetę verbis. Melius verò flueret sensus, si ita formaretur, Evangelistam velle, Bethleem non tantùm non esse minimam inter chiliadas Iuda, h.e. urbes promiscuas, sed ne inter præcipuas quidem, sensum

ſenſum reſpiciendo, & exaltando Bethleem ut patriam Meſſiæ. 3. Commodè videtur hic nodus multis incîdi poſſe obſervatione ambiguitatis vocis Hebrææ אלף & אלפים, illam enim deſignare interdum *mille*, interdum *duces* ſive principes, quod *Maldonatus* & multi alij ſatagunt. Sed tamen hæc reverâ diſtincta ſunt apud Hebræos, & אלף quidem nomen ſex punctorum chiliadem notat, אלוף vero ducem, principem, ductorem. Et quando Scriptura de ducibus chiliadum loquitur, vocat eos diſtinctè שרי אלפים. Vnde & LXX. Interpretes diuerſimodè reddunt voces illas: אלף illis *χίλιοι*, *χίλιαι*, *μύριοι*, אלוף *ἡγούμενος*, *ἡγεμών*, *Χιλίαρχος*. 4. Obſervat *Piſcator* 1.*Sam*.X. ex collatione verſus 19. cum 21. משפחות familias & אלפים *ἰσοδύναμα* eſſe, cui loco geminus ille qui habetur. *Iud*.VI. 15. Hoc ſenſu quæ urbs inter chiliadas ſive familias Iudæ eſt minima, vel non eſt, talis etiam eſt vel non eſt inter *ἡγεμόνας* vel principes familiarum. 5. Commodiſſima reſponſio videtur, ſenſum eodem recidere, ſive legamus *ἐν χιλιάσιν*, ſive *ἐν ἡγεμόσιν*, eadem enim civitas quæ parvula eſt vel non eſt inter chiliadas Iuda, ſive civitates in quibus chiliades hominum, eſt etiam parvula vel non eſt inter principes vel præcipuas civitates Iuda. Illæ enim urbes *principes* quæ amplę vel populoſæ, in quibus multæ chiliades hominum. Populus enim Iudaicus, ut notum, diſtributus erat in decurias, centurias, chiliadas, quibus præfecti erant Decuriones, Centuriones, Chiliarchæ, *Exod*.XVIII.21. *Iud*.VI.15. 1.*Sam*.X.19. Vbi ergo magnus hominum numerus ibi plures centuriones, chiliarchæ. 5. Sic dici poteſt Prophetam *collectivè* loqui de chiliadibus, Matthæum *δεικτικῶς* de ducibus chiliadum, vel chiliarchis, quæ omnia *σχετικὰ* ſunt & ſe mutuò ponunt & tollunt, & idem eſt dicere, tu minor es quàm ut poſſis chiliadem ſufficere, & minor es quàm ut poſſis præfecturam millenariam in Iuda implere. Et ſanè Bethleem ob exiguitatem ſuam non recenſetur apud Ioſuam inter civitates, quæ ſortitò obtigêre tribui Iuda. 7. Dubio procul etiam Evangeliſta his verbis unâ eademque operâ voluit innuere, Bethleem in producendis principibus vel ducibus non fuiſſe minimam, quippe quæ produxerit jam olim *ἡγεμόνα* eximium, Dauidem nimirum, & poſtmodum *ἡγεμόνα* alterum, nimirum Meſſiam, cùm enim quælibet

tribus & civitas suos habuerit principes, utique Bethleemo oriundi longè præstabant aliis.

VIII. Observandum cæteroquin, Syrum Interpretem hîc ἡγεμόνα & ἡγούμενον vertere מלכא, quod nomen non *specificum* tantùm, & regem designat, sed & *genericum* est, & illos promiscuè denotat, qui consulunt, vel consulendo regunt à מלך in *Kal* & *Pahel*, quod *Chaldæis* est consulere, consilium dare. Hinc concretum מליך & מליכא *consiliarius*, abstractum מלך & מלכא *consilium.* Sic LXX. verbum מלך reddunt non tantùm per βασιλεύειν sed & per κρατεῖν genericè & βουλεύεσθαι. Sic nomen מלך illis ἄρχων, ἡγούμενος & βουλὴ quandoque, quod Principes non pro libidine sed consilio regere debeant populos sibi subjectos. LXX. ממלכה reddunt νόμον *Iesa.* XIX.2. Sic quibusdam *regere* est *rem agere* non suam, sed quæ cuique commissa, vel illorum, quorum regimen susceptum. מלכא ergo Syri Interpretis & ἡγεμὼν Matthæi sibi bene respondent, quoad vim vocum, ἡγεμόνος enim est consulere, & consilio regere. Etsi quoad sensum, hîc potius sermo sit de vrbibus eminentibus præ aliis in tribu Iuda, ut dictum, quàm de hominibus.

IX. Quæritur etiam *quinto* loco, cur pro verbis Prophetæ יצא להיות מושל *egredietur ut sit dominator*, Mattheus habeat ἡγούμενος ὅστις ποιμανεῖ, *dux qui pascet.* Sensus utrobique unus idémque, etsi verba diversa. Subjectum enim egrediens quod in Hebræo reticeri videtur satis exprimitur per vocem sequentem מושל. Quæ vox etiam optimè vertitur per ἡγούμενον à Matthæo, pro quo LXX. habent ἄρχοντα eodem sensu. Et verbum משל LXX. promiscuè vertunt per ἄρχειν, δεσπόζειν, κυριεύειν, κρατεῖν, ἐξουσιάζειν, δυναστεύειν. Sic abstractum ממשל & ממשלה per ἀρχὴν, ἐξουσίαν, βασιλείαν. Sic participium מושל illis ἄρχων interdum, interdum ἡγούμενος, interdum δυνάστης, βασιλεύς. *Franciscus Ribera* contendit in caput V. *Mich.* LXX. vertisse מושל ἄρχοντα, ut regiam Christi potestatem exprimerent, Evangelistam dixisse *Ducem* quod principatus nomen sit. At hæ voces omnes sunt genericæ & æquipollentes. Nec minus regia Christi potestas expressa fuisset si LXX. pro voce ἄρχων substituissent ἡγούμενος. Addit verò apposite Matthæus per ἐπεξήγησιν, ὅστις ποιμανεῖ, ut ostendat, de

quali

quali dominatione loquatur Propheta, quam ſit exerciturus Meſſias, de dominatione nimirum non politicâ, ſed paſtorali, non violenta, ſed ſuavi utili illis quibus eſſet imperaturus, Meſſiam videlicet regimen paſtorale inſtituturum, & paſcendo regnaturum, h.e. omnia præſtiturum circa populum ſuum quæ boni paſtoris ſunt, illum non tantùm regendo, ſed & alendo, gubernando, defendendo, & populum quidem opus habentem ejuſmodi regimine inſtar gregis ovium inepti ad ſui gubernationem vel tutelam. Vbi ſimul innuitur miſtura egregia muneris prophetici & regii. *Theophylactus*, Ποιμανεῖ εἶπεν ἀλλ' οὐ τυραννήσει, ἢ καταφάγεται, οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι βασιλεῖς κ) ποιμένες, ἀλλὰ λύκοι, ὁ δὲ Χριστὸς ποιμήν. Talem etiam revera ſe proponit Meſſias *Ioh.* x. & reipſa ubique præſtitit. Adde, Meſſiam à Prophetis promiſcuè vocari Ducem, principem, paſtorem, Regem. *Ieſ.* XL.II. *Ier.* XXIII.5. *Ezech.* XXXIII.23. *Dan.* IX.25. quia omnes dignitates diviſas in poſteris David in ſe ſummè unire debebat, quippe qui omni illo ordine hominum jam olim erat deſignatus. Sic notum Reges ipſos vocatos ποιμένας λαῶν à gentilibus, quo ipſo oſtenſum, populos non eſſe propter Reges, ſed Reges propter populos, & imperium illorum debere eſſe πολιτικὸν potius & πατρικὸν quàm δεσποτικὸν, *directivum* non *coactivum*, amore potius quàm metu ſtabilitum. Et quia τὸ ποιμαίνειν omnimodam curam includit, à Scriptoribus ſacris ad munus Eccleſiaſticum paſſim transfertur. Sic etiam ſive ab Evangeliſtis, ſive à Scribis oſtenſum, Meſſiam eſſe illum paſtorem κατ' ἐξοχὴν ſic dictum de quo *Ezech.* XXXIV.23. *Excitabo eis paſtorem unum qui paſcat eas* (pecudes) *ſervum meum Davidem, ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis paſtor.* Quod frequens etiam alibi apud Prophetas à quibus Deus ipſe paſtori frequenter confertur ut *Pſal.* XXIII. & LXXVII.21. *Vulgatus* Interpres hìc habet *reget*, quod quidem ſenſum exprimit, ſed non emphaſin illam directionis Meſſiæ, qualis illa futura eſſet, ſuavis nimirum & paſtoralis. Vnde fruſtrà à *Maldonato* excuſatur ut magis cohærens cum voce ἡγούμενος. Nec enim cohærentiam illam ignoravit Matthæus, vel ſine causâ verbo ποιμανεῖ uſus fuit. Interpretibus verò humanis non tantùm ſenſus exprimendus, ſed & verba, ubi de verſione agitur.

X. *Secundam claſſem* quod attinet eorum, in quibus ἔλλειψις

apud Matthæum occurrere videtur, illa facile conciliari posſunt & vindicari. Nam 1. Codices quidam pronomen illud habent, quod in Hebræo, quorum meminit *Iansenius*, ἐκ σοῦ γάρ μοι ἐξελεύσεται &c. 2. In hoc parum ſitum, quia Evangeliſta, vel Scribæ non ſe adſtringunt hîc anxiè verbis, ſed ſenſum ſequuntur, & ſive pronomen illud exprimatur, ſive omittatur, eodem res redit, & Meſſiæ nativitas civitati Bethleem aſſeritur. 3. Adde, apud Prophetam Deum patrem velut loquentem introduci: hîc ſive Scribas, ſive Matthæum. Meritò ergo illud לי ponitur à Prophetâ, omittitur à Matthæo, quia eo Deus deſignare voluit, Meſſiam *filium ſuum* futurum, & ſibi naſciturum, quod de parentibus filiorum reſpectu à ſacris ſimul & profanis Scriptoribus dici ſolet: vel dominatorem illum ex Bethleem proditurum ſuâ voluntate, ſuo conſilio, imò ad gloriæ ſuæ propagationem: quia verò quæſtio propoſita erat tantùm de loco natali Meſſiæ, poterant illę circunſtantiæ non quidem negari, prætermitti tamen, ut nos ſæpe ex Authorum Scriptis illa tantùm edecumamus, quæ ad inſtitutum de quo agimus pertinent. 4. Adde illud לי ut & pronomina alia id genus per pleonaſmum ſæpe inſeri, & ſive omittantur, ſive non, ſenſum eundem manere.

XI. Ἔλλειψιν cæteroquin verborum ſequentium quod attinet, *& egreſſus eius ab initio, à diebus ſeculi*, eam facile excuſare poſſumus. Leve eſt quod notant quidam ex veteribus, Scribas fuiſſe in causâ ſtragis Bethleemiticæ, eò quod ab iis verba illa fuerint prætermiſſa, Herodem enim, ſi compertum habuiſſet, dies Meſſiæ eſſe à diebus ſeculi, nunquam in ſtragem Bethleemiticam erupturum fuiſſe. Quaſi verò tyranni rabies repreſſa fuiſſet verbis, vel illa ſive intellecta, ſive credita ab homine profano! Nec hîc Scribæ iuſtæ cenſuræ patere videntur, tametſi prætermiſſionis illius cauſam in illos referamus, nec enim verba prophetica unquam ab illis negata quoad litteram, ſed tantùm depravata quoad ſenſum, nec quicquam cauſæ erat cur hæc reticerent, niſi quia non videbantur neceſſaria ad inſtitutum. Omiſſionis itaque illius cauſa, 1. Vel quia Evangeliſta Scribarum potius verba expreſſit, quàm ſua. 2. Vel quia Evangeliſta illa ex Propheta citare ſategit, quæ facerent ad ſolutionem quæſtionis propoſitæ ab Herode de loco natali Meſ-

ſiæ.

siæ. 3. Adde, aliud esse negare aliquid ad Messiam pertinere, aliud id prætermittere, ut minus necessarium ad argumentum præsens de quo agebatur.

XII. *Tertiam classem* quod attinet eorum quæ à Matthæo *addita* videntur, facile nos inde expediemus, ubi observaverimus, illa non tantùm sensum non mutare, sed & explicare. 1. Particula αἰτιολογικὴ (γὰρ) apud Matthæum connexionem ostendit, cur Bethleem non sit censenda minima, quòd nimirum ex eâ proditurus esset & prodierit actu Messias. 2. Apud Michæam subaudienda particula vel αἰτιολογικὴ vel *adversativa* כי אם vel similis alia illi quoad sensum respondens. Ejusmodi particulæ alibi etiam sæpe subaudiuntur, v.g. *Psal.* CXIX. 143. 157. Prædicatum adiectum (τὸν λαόν μου) & optimè subiecto convenit, & passim apud Prophetas reperitur, & appositè referri potest ad Israelem utrumque tum typicum tum mysticum, ut sic ostenderetur dominatorem proditurum ex Iudâ, imperaturum non tantùm Iudæ vel Israeli strictè sic dicto, sed omni Israeli, qui populus Dei futurus esset, quod ad majorem & Bethleemi & Messiæ commendationem facit. Adde, id tacitam antithesin continere ad tribum Iudâ ex quâ oriturus erat Messias: λαὸν δὲ Ἰσραὴλ λέγει, inquit *Theophylactus*, καὶ τοὺς ἐξ Ἑβραίων πιστεύσαντας, καὶ τοὺς ἐξ ἐθνῶν, Ἰσραὴλ γὰρ ἑρμηνεύεται ὁρῶν Θεόν, ὥστε πάντες οἱ Θεὸν ὁρῶντες Ἰσραηλῖται εἰσι, κἂν ἐξ ἐθνῶν ὦσιν. 3. Nec mirum, addi tale quid, quod implicitè in subiecto continetur, ab iis qui non verba spectant, sed sensum. 4. Nec est quod vel LXX. interpretationem moremur, vel paraphrasin Chaldaicam, ubi communiter longè magis disceditur à textu Hebræo. Et hæc sufficiunt triplici illi classi ἐναντιοφανῶν discutiendæ & vindicandæ, & harmoniæ Propheticæ & Evangelicæ demonstrandæ. *Dubium* de mutatione enunciationis propheticæ ex affirmativâ in negativam gravius est, & peculiarem disquisitionem meretur, quam seorsim instituemus.

DUBIUM XLV.

Cur Matthæus *enuntiationem* Prophetæ *affirmativam* convertat in *negativam*, *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es inter duces Iuda?* Et quomodo utraque poſſit conciliari?

EXAMEN.

Difficultas Dubij *propoſiti.* *Solutio* prima. *Examen illius.* Secunda *ſolutio.* *Illius examen.* *Citationes* Patrum *diverſa.* Tertia *ſolutio* Oſiandri. *Obſervationes illius Grammaticæ, & rationes. Formulæ loquendi & Hebraicæ & Græcæ.* *Examen ſolutionis* Oſiandri. Ribera *notatus.* *Quæ ſignificatio & latitudo* τῶ צעיר *apud Hebræos.* *Exceptio* Riberæ *confutata.* Quarta *Conciliatio enuntiationum Michææ & Matthæi. Examen illius.* Quinta & ſexta *conciliatio.* *Utraque commoda.* Ἔρασις *cum ſolutione.* *Adverſativæ ſæpe prætermiſſæ.* Septima *ſolutio facillima. Eius* ἔκθεσις. *An locutio Prophetæ ironica. Gloſſa* Eraſmi. Salmeronis ἔκθεσις *allegorica rejecta.*

I. HOC *Dubium* Lectori etiam attento arduum videri poteſt & grave, cùm id diſertè negare videatur Evangeliſta, quod affirmavit Propheta, adeoque enuntiationes illæ non ἐναντιοφανεῖς appareant, ſed ἀντιφατικαὶ prorſus, utpote idem affirmantes & negantes. Obſervatum & tentatum ſimul hoc *Dubium*

Dubium ab Interpretibus plerísque, infeliciter à quibuſdam, felicius ab aliis. Nos I. Conciliationes falſas vel parum veriſimiles paucis examinabimus. II. Veriores vel veriſimiliores ſaltem ſubjiciemus. Nec otiosè falſæ ſententiæ recenſentur, & examinantur, quia alioquin multis ſæpe imponunt, quæ ſpecioſa quidem primo intuitu videntur, parum tamen ſolida à tergo deprehenduntur, nec examen accuratum ſuſtinere poſſunt. Non itaque ſatis veritati cavetur, niſi illa tribu moveantur quæ ejus poſſeſſionem & nomen invadunt.

II. *Quidam* putarunt jam olim, *hyperbolen* eſſe in verbis Matthæi, quaſi dixerit ὐδαμῶς ἐλαχίςη εἶ, hoc ſenſu, adeò quidem es צְעִיר parva exigua, & *extenſivè* & *intenſivè*, ſive ambitus ſpectetur, ſive civium numerus, ſive civitatis opes, ſive fama tui nominis, ut ne minima quidem vocari propemodum poſſis inter principes Iuda. Sed huic expoſitioni quæ ſubtilior quàm ſolidior repugnant 1. *Verba* Evãgeliſtę. 2. *Scopus*. *Verba*, quia τὸ (γὰρ) particula αἰτιολογικὴ ſic non cohæret cum membro præcedenti, *ne minima quidem es* &c. *ex te enim exibit dux*, &c. Ratio hæc nullis fidiculis connecti poteſt cum antecedente. *Scopus* etiam alius fuit ſive Scribarum ſive Evangeliſtæ, non deprimere, vel contemnere, ſed commendare potius & extollere Bethleemum, quod ex illa prodituruѕ eſſet eximius ille dux, & paſtor populi.

III. *Alij* Hieronymum ſequuti exiſtimant, exſtitiſſe olim verſionem LXX. Interpretum totidem verbis exprimentem verba Prophetæ, quam ſequutus fuerit Matthæus. Hieronymus ſanè meminit Codicum in quibus enuntiatio negativa reperitur, qualis apud Matthæum, ὐκ ὀλιγοςὸς εἶ *non es minima*, quod reſpondet prorſus verbis Matthæi, ὐδαμῶς ἐλαχίςη εἶ, &c. Certum quidem, Patres multos Michææ locum ex verſione LXX. recitantes, illum negativè efferre æquè ac Matthæum. Vide *Origenem* libro I. contra Celſum, *Auguſtinum* lib. XVIII. de Civit. Dei cap. XXX. *Cyprianum* libro II. Teſtimoniorum aduerſus Iudæos, §.12. Vide etiam *Tertullianum* adverſus Iudæos. Sed tamen I. Verſio illa ſuſpecta νοθεύσεως, & dicta Patrum videntur inflexa potius ad Matthæi quàm ad Michææ ἔκθεσιν. Adde, alios Patres multos diuerſitatem agnoſcere inter enuntiationem Michææ & Matthæi. 2. Semper quęſtio manet quî ver-

ſionem ſequatur Matthęus quę contradicat diſertè Prophetæ. Interpretationem ſanè LXX. ſequuntur Scriptores ſacri, ſed ibi ubi ſenſus idem manet, non verò ubi planè diſceditur à mente Scriptorum ſacrorum.

IV. *Alÿ*, ut *Oſiander*, *Forſterus*, & multi cum illis putant obſeruatione grammaticâ nodum incidi poſſe: Ab Hebręis nomina adjectiua ſępe pro adverbiis poni, quando cum verbis conſtruuntur, eoſque, quia neutro genere carent, pro vocibus neutralibus uti nominibus fœmininis, quandoque etiam maſculinis, etſi rariùs, ut hoc loco, adeoque ſic vertenda verba Michęæ: Et tu Bethleem Ephrata צעיר להיות non, ut vulgò, *parva es*, *ut ſis* &c. ſed, *parum eſt ut ſis inter chiliadas Iuda.* Sic *Ieſa.* XLIX.6. נקל מהיותך לי עבד *leve eſt, ut ſis mihi ſervus*, h.e. nullomodo mihi eris ſeruus. Vbi LXX. *μέγα σοί ἐστι*, &c. Matthæum ergo liberius ſine adſtrictione verborum eodem tamen ſenſu reddidiſſe mentem Prophetę, idem enim eſſe, parum eſt ut ſis inter chiliadas Iuda, & nequaquam minima es inter principes Iuda. Qui enim inquit ſimpliciter aliquem eſſe in numero vel conditione horum aut illorum, non notat ὑπεροχὴν ſed *ἰσοτιμίαν*, ſed qui inquit parum eſſe aliquem numerari vel cenſeri in hoc vel illo ordine, videtur *ἐπιτατικῶς* & cum emphaſi ſingulari ὑπεροχὴν deſignare, aliquem principem locum, vel locum ex præcipuis in illo obtinere, ideóque non eſſe minimum. Pro eo quod Michęas inquit, parum eſt ut ſis inter principes vel chiliadas Iuda, vel leve & vile tibi eſt ut ſis, &c. Matthęum dicere, *nequaquam es minima*, eodem prorſus ſenſu. Sic uſitatum etiam eſſe Græcis Scriptoribus inquiunt, ita per *μείωσιν* loqui, & per loquutionem negatiuam indicare *ἐπίτασιν* contrarii. Sic *οὐχ ἥκιστα* & alia id genus ſæpe adhiberi pro *μάλιστα*. Sic *Dionyſium Halicarnaſſeum* Romanam Hiſtoriam vocare *οὐκ ἐλαχίστην τῶν ὑποθέσεων*, h.e. unam ex pręcipuis. Eadem interpretatio probari videtur tum ex verbis Prophetę, tum ex cohærentiâ. *Ex verbis*, quia Propheta utitur maſculino צעיר loco fœminini, pręterquam enim quod urbium nomina fœminina, ביתלחם ſubjectum antecedens fœmininum eſt, cui deberet ſubjungi צעירה non צעיר. Cùm verò hoc non fiat, videtur τὸ צעיר aduerbialiter ſumi. *Cohærentia* verborum idem docere videtur, quia alias non cohęrent inter ſe,

parvula

parvula es ut sis, &c. *ex te egredietur ut sit dominator*, quum enim posterius membrum sit ratio prioris, nullus hoc modo dabitur nexus. Sed & hoc subtilius videtur quàm solidius. 1. Quia repugnat *phrasis* linguę Hebraicæ. Hebræi enim hanc loquendi formam expressuri nunquã utũtur τῷ צעיר sed τῷ מעט. Melius diceretur, masculinũ poni pro neutro, quã pro adverbio, *exiguum est vt sis*, eodem sensu. 2. Repugnãt LXX. Interpretes, Paraphrasis Chaldaica, & pleriq; Interpretes siue Iudæi, siue Christiani. 3. Hæc interpretatio dura est & contorta, nec alio loco parallelo illustrari vel probari potest. Verba enim ex *Iesa.* XLIX. 6. sunt ἀπροσδιόνυσα, & aliter accipiuntur, tum à LXX. tum à Paraphraste Chaldæo; tum à plerisque Interpretibus. 4. Sensus longè commodiùs expediri potest, constructione ordinariâ retentâ. 5. Nec generis diversitas urgeri debet, quum frequens admodum sit generum æquè ac numerorum & temporum ἐναλλαγὴ apud Hebræos, ut notum. *Ribera* cæteroquin *Osiandri* interpretationem, quę subtilis satis & ingeniosa, etsi minus solida acerbè perstringit, Comment. in Mich. V. sed ratione parum firmâ, contendit enim ostendi non posse vbi צעיר aliud significet, quàm adolescentulum aut parvulum & minorem natu. Nec enim hoc ipso loco Bethleem ætate minor dicitur aliis urbibus Iuda, sed splendore, ambitu, numero hominum, & aliis id genus. Vnde צעיר opponitur simpliciter τῷ גדול, quod *intensivè* sumitur æquè ac *extensivè*, de magnitudine honoris, dignitatis, auctoritatis, diuitiarum, &c. Proinde à LXX. vertitur non tantùm μέγας, sed & δυνάςης, πλούσιος, εὐγενής. Sic צעיר ejus oppositum notat minoritatem siue ætatis, siue molis, siue conditionis, & sumitur sępe pro vili & abjecto, ut μικρὸς ἐλάχιςος apud Græcos, & sic vertitur quándoque à LXX. non νεώτερος tantùm. Nec validum, quod *Ribera* per ἀνθυποφορὰν subjicit, Scripturam loqui de urbibus ut de hominibus, ut ergo adolescentes parvuli mole sunt & honore, sic idem efferri de Bethleem. Id enim 1. particulare est, non universale. 2. Sine necessitate huc applicatur, & sine notâ vel causâ cur debeat applicari. 3. Ex aliis locis parallelis constat צעיר aliter etiam sumi, non opus ergo ut translatio illa hic fingatur. Nec interpretatio *Osiandri* ingeniosa si minus solida, & quæ multis aliis Interpretibus Pontificiis eruditis non displicuit

ita odiosè perſtringenda erat, ſed rationibus tantùm revincenda.

V. Dari verò poſſunt conciliationes aliæ complures, & commodiores quidem, contradictioni tollendę, ubi enim vera oppoſitio, ibi termini oppoſiti, ut notum eſt ex Logicis, ſumuntur κατὰ τὸ αὐτὸ, πρὸς τὸ αὐτὸ, & ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ. Vbi verò hę conditiones non reperiuntur, nulla datur oppoſitio. Vnde *in hypotheſi* facilis erit conciliatio enuntiationum *Michææ & Matthæi*. Prætermitto ſolutionem quæ adferri ſolet per χέσιν ad *diverſa tempora*, Michæam videlicet ſtatuere Bethleemum eſſe ex minimis urbibus inter chiliadas Iuda, ſuo videlicet tempore, quia erant tunc temporis urbes complures aliæ nobiles & claræ in tribu Iuda: Matthæum contrà negare Bethleemum eſſe vrbem ex minimis in tribu illâ, habitâ ratione ſtatus tribus Iuda, qualis erat ipſius ætate, urbibus aliis potioribus exciſis. Hæc ſolutio utut ſpecioſa minus probanda, 1. Quia dubium non eſt quin tēpore Matthæi multæ urbes adhuc in tribu Iuda fuerint longè præſtantiores vico illo Bethleemitano. 2. Quia Matthæus commendando Bethleemum non habet rationem vel ambitus, vel pomœriorum illius, vel aliorum id genus quæ oculos feriunt, ſed unius illius prętogatiuæ, quòd ex eâ eſſet proditurus Meſſias.

VI. Præferendæ ergo ſunt ſolutiones aliæ, quę Prophetę & Evangeliſtæ verba commodè admodum conciliant, v.g. ſi dicamus enuntiationes illas ſumendas κατ᾽ ἄλλο καὶ ἄλλο, & πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο, pro diversâ intentione Scriptorum ſacrorum. Sic diverſo ſenſu Bethleem ſine contradictione minima dicitur & non minima: minima ratione magnitudinis, ambitus, ornatus, ſplendoris, opulentiæ, deliciarum mundanarum, & aliorum id genus, hactenus enim omnium judicio contemptui obnoxia videbatur reſpectu urbium aliarum majorum & ſplendidiorum, ut quæ ne ad mille quidem urbes quę in tribu Iudâ accederet, vel quę minor foret, quàm ut inter illas urbes Iuda commemorari debere, ex quibus hominum chiliades educi poſſint. Opponit verò Propheta huic externo ſtatui Bethleemi ſtatum alium, & ὑπεροχὴν aliam , ob quam non tantùm à contemptu omni ſit vindicanda, ſed & magno honore afficienda, quod videlicet ex illâ ſit proditurus Meſſias. Sive ergo hęc verba Scri-

barum

barum ſcatuantur, ſive Matthęi, commodè ſatis hoc modo conciliari poſſunt cum verbis Prophetæ, uterque enim in laudem Bethleemi hęc dicit, quòd ex eâ ſit proditurus Meſſias, quod ut jam factum & reipsâ cum ſummo Bethleemi honore adimpletum Matthęus opponit externo hominum carnalium judicio, & illis bonis quę faſcino quodam inani oculos hominis animalis pręſtringunt. Notum enim, ex civibus claris ingens patrię decus accedere.

VII. Sic *Rupertus Tuitienſis*, libro I. in Matthæum, alio modo contradictionem tollit, enuntiationes illas referendo πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο. Et tu Bethleem *parvula es*, ſcilicet in oculis hominum, *nequaquam minima es* ſcilicet apud Deum & in oculis Dei. Sic Chriſtus *minimus* & *non minimus*. *Minimus* quoad ſtatum exinanitionis, ſic vocatur *vermis, non homo Pſal.* XXII. *Ieſ.* LIII. *Phil.* II. *non minimus* quoad ſtatum exaltationis, dum dicitur *ei Deus dediſſe nomen ſupra omne nomen*, &c.

VIII. Hæc in ſe vera & commoda ſatis. Nondum tamen videntur incidere nodum propoſitum, poſſet enim objici, ſic quidem Bethleem rectè vocari minimam, & non minimam, difficultatem tamen ſemper manere, quomodo dici poſſit ab Evangeliſtâ ſcriptum eſſe apud Prophetam, quod apud eum ſcriptum non reperitur? Reſpondendum tamen, explicitè & αὐτολεξεὶ ſanè enuntiationem Prophetæ negatiuam eſſe, Evangeliſtę affirmatiuam, interim ſi in membro poſteriore ſubintelligatur particula aduerſatiua כי אם vel ſimilis alia, ſenſum utrobique eundem eſſe, hoc modo, *Et tu Bethleem Iuda parva*, ſcilicet videris vel haberis, *ut ſis in millibus Iuda*, *ex te tamen egredietur mihi*, &c. h. e. minimè parva es quia ex te prodibit Meſſias. Exempla adverſativæ illius prætermiſſæ multa adduci poſſunt ex ſacris, quorum quædam à *Bezâ* notantur. *Pſal.* CXIX. 141. 151. *Ioh.* IX. 30. καὶ ἀνέῳξε &c. *& aperuit oculos meos*, pro & tamen aperuit oculos meos.

IX. Notandum verò, verba Prophetæ omninò retineri poſſe, ſine ullâ adjectione, & tamen ſenſum Matthæi elici, ſi dicamus Prophetam loquutum ἐρωτηματικῶς, ſive per *interrogationem negativam*, quam ſolutionem probavit jam olim *Iſidorus*, & *Ludovicus Vives* &c. in caput XXX. libri XVIII. de Civit. Dei, hoc ſenſu, *Et tu Bethleem Ephrata, num*

parva es in millibus Iuda? ut vulgò ſcilicet haberis, aut minor, quàm ut inter millia Iuda numereris. His προεπτάσεως loco præmiſſis, ſubjici ſequentia per ἀπόδοσιν & reſponſionem, *ex te mihi exibit*, &c. h.e. quia ex te exibit dominator ille, utique nequaquam minima es, adeoque optimè conſentire Matthæum cum Propheta, quia quod ille per interrogationem & obſcurius protulit, id Euangeliſtam per apertam negationem voluiſſe docere. *Ribera* hanc ſolutionem pręfert aliis, & propugnat pluribus in caput v. Michææ, ubi & Codices Gothicos Iſidori, & Biblia Gothica antiquiſſima citat, quę in Eccleſiâ Toletanâ habentur, in quibus legitur, *& tu Bethleem Ephrata nunquid parvula es?* Eandem ſolutionem probant *Cornelius Ianſenius*, Interpres eruditus, *Ioannes Druſius* & multi Viri Eruditi alii. Fatendum equidem, ſolutionem illam ingenioſam eſſe, & commodam admodum, quæ ſine ullâ mutatione Prophetam conciliat cum Evangeliſtâ. Tametſi enim aliter etiam interrogationes ſuas formare ſoleant Hebræi, latent tamen quandoque, & ex ſenſu tantùm ſunt eliciendæ.

X. Et hæc quidem ſolutio præferenda illorum etiam opinioni, qui verba Prophetę putant accipienda eſſe εἰρωνικῶς, tu quidem Bethleem parvula videris opinione hominum, omnium contumeliis & contemptui obnoxia, at revera maxima es. Prout Ironiæ exempla crebra alibi in Scripturâ reperiuntur, *Gen.* III. 22. *Ecce Adam ſicut unus ex nobis. Iobi* II. 9. *Benedic Deo & morere.* 1. *Reg.* XXII. 15. Michæas ad Achabum Pſeudoprophetarum ſermonē ironicè imitatus, *aſcende & vade proſperè.* Certum, exempla ironiæ ejuſmodi frequenter ſatis reperiri, incertum iſtud tale eſſe. Nec hîc ulla ejus nota, ulla neceſſitas.

XI. Quæcunque verò ex ſolutionibus illis probetur Lectori, certum eſt eandem eſſe Prophetæ mentem, quæ Evangeliſtæ, Bethleemo videlicet natales Meſſię aſſerere, & ob id ſummum decus, quod ei inde acceſſurum erat, prout revera poſtmodum in plenitudine temporis acceſſit, contra opinionem carnalem illorum qui Bethleemum ob exiguum pomœriorum ambitum & alia id genus abjecta in oculis hominum contemptim habebant. Huc redit *Eraſmi* gloſſa, annotat. in cap. II. Matthæi, Prophetam prædixiſſe Bethleem ejuſmodi partu etſi humilem prius, omnes felicitate ſuperaturam, Evangeliſtam

quod

quod à Prophetâ dictum tacuisse, quod intellectum, explicuisse, nō ad id tēpus respiciēdo, quo hæc scripsit Propheta, sed ad sua tempora quibus edito Iesu desiit esse minima Bethleem, & maxima cepit esse, perinde quasi dixisset, quod olim prædictum est à vate, fore vt ex omnium minimâ fieres omnium maxima, id jam contigit. Præter rem verò *Salmero* Tract. XI. Tom. III. verba Prophetæ ad litteram quidem de oppidulo Bethleem, præcipuè tamen & juxta spiritum de B. Virgine intelligenda arbitratur. Nihil tale spectatum hîc à Spiritu S. nec allegoricis ejusmodi expositionibus extra Scripturam vel indulgendum, vel luxuriandum.

DVBIVM XLVI.

An vaticinium Michææ in *thesi* ad Messiam, in *hypothesi* ad Iesum Nazarenum rectè fuerit à Matthæo applicatum? *Matth.* II. 6.

EXAMEN.

Iudæorum *pertinacia. Eorum objectiones. Applicatio vaticinij Iudaica ad Zorobabelem.* Authoritates *contrariæ* Paraphrastis Chaldæi, & Rabbinorum. Rationes. *Confutatio objectionum Iudaicarum.* Iosephi *de Christo testimonium. Quî Christus Deus & tamen Deum habere dicatur. An Iesus Nazarenus dominatus Iudæis, & quomodo. Rationes cur non sit referendum hoc vaticinium ad* Zorobabelem, *nec ad* Ezechiam, *nec ad* Davidem. *Intervallum inter Davidem & Michæam. Applicatio hujus vaticinii ad Messiam nostrum.* Demon-

ſtratio *Meſsiam jam olim exhibitum à deſtructione Bethleemi.*

I. VATICINIVM hoc eximium ſolis radio, imò Dei digito de Meſſiâ jam olim ſcriptum & promulgatum ita dilucidè Meſſiæ *patriam*, *perſonam*, *officium* nobis refert, ut ex præcipuis meritò habeatur, unde Meſſiæ characteres petantur. Tanta tamen *Iudæorum* protervia eſt, pertinacia tanta, ut non tantùm negent id applicandum eſſe *in hypotheſi* ad Ieſum Nazarenum, ſed & illius odio abrepti inficientur id ad Meſſiam ullomodo pertinere. Quorum cavilla retundenda, & veritas aſſerenda Lectori Chriſtiano confirmando, & genti pervicaci vel inſtruendæ, vel convincendæ ſaltem & confundendæ.

II. Objiciunt *Iudæi*, non eſſe hîc ſermonem de Meſſiâ, ſed de Duce vel Paſtore ejuſmodi 1. Qui liberaturus & vindicaturus eſſet Iſraelem ab Aſſyriis, & reducturus filios Iſrael ex captivitate Babylonica: Prophetam enim loqui de reditu diſperſorum inter nationes, Ieſum verò Nazarenum tale quid non præſtitiſſe. 2. De eo loqui Prophetam qui deberet paſcere Iſraelem in fortitudine Iehovæ, & in ſublimitate nominis Iehouæ Dei ſui. Hoc Ieſum Nazarenum non feciſſe. Imò pertendunt Iudæi hîc Chriſtianos graviſſimè implicari, ſive ſtatuant verba illa Prophetæ de Meſſiâ ſuo intelligenda eſſe, ſive non: ſi enim de eo ſint intelligenda, inde ſequi, Ieſum Nazarenum non fuiſſe Deum, cum de eo dicatur, illum debere paſcere *Iudæos in fortitudine Iehovæ, in ſublimitate nominis Iehovæ*, & quidem *διαχειτικῶς* אלהיו *Dei ſui*. Qui verò Deum habet, Deus cenſeri non debet. Sin de eo non ſint intelligenda, fruſtrà citari. 3. Prophetam loqui de eo qui eſſet futurus dominator in Iſraele, Ieſum verò Nazarenum non Iudæis fuiſſe dominatum, ſed potius Iudæos illi. 4. Contendunt quin etiam peccari à Chriſtianis *παρερμηνείᾳ*, dum voces מוצאותיו מקדם *egreſſus eius ab initio* interpretantur de æternâ generatione ſui Meſſiæ, cùm *egreſſus* hujus dominatoris dicantur tantùm eſſe *ab initio*, quia ab æterno fuit decretum apud Deum, regem illum

lum Iſraelis proditurum aliquando ex Bethleem, qui ſupra dicta eſſet præſtiturus, hoc eſt, eum oriturum è ſtirpe Davidicâ, cujus ſedes jam olim fuerit Bethleem. 1.*Sam.*XVII.12.

In Hypotheſi verò plerique ex Iudęorum Magiſtris hoc vaticinium referunt ad *Zorobabelem*, à quo filii Iſrael fuerint reducti è captivitate Babylonicâ, qui paverit in fortitudine Iehovæ populum Dei, qui revera Iſraeli fuerit dominatus, & prodierit è ſtirpe Davidis. Alij hoc referunt ad *Ezechiam*, ob originem ejus è domo Davidicâ, & felicem ejus principatum.

III. His *Iudæorum* commentis opponimus I. *Authoritates.* II. *Rationes.* III. *Confutationem objectionum* propoſitarum. *Authoritates* quibus Iudæi urgeri poſſunt debent eſſe *οἰκεῖαι*, illis enim fruſtra Matthæi narratio, & veterum Scribarum citatio, quę ab eodem commemoratur, objici ſolet. Opponimus nos Iudæis authoritatem. 1. *Ionathæ* Paraphraſtis Chaldæi, qui hoc vaticinium expreſsè ad Meſſiam refert, & loco מושל subſtituit משיחא *Meßiam*, מנך קדמי יפוק משיחא *ex te ante me egredietur Meßias.* 2. *Petrus Galatinus* de arcanis Catholicæ veritatis libro IV. capite XIII. præcipuos quoſdam ex priſcis Iudæorum Magiſtris citat, à quibus hoc vaticinium ad Meſſiam conſtanter relatum fuit, etſi verba quædam fuerint detorta interpretamentis pravis: Tales ſunt *Rabbi Salomo*, cujus gloſſa habet, *Ex te mihi egredietur Meßias filius David: David Kimhi* etſi in *hypotheſi* neget ſtrenuè, oraculum iſtud pertinere ad Ieſum Nazarenum, addit tamen, *& hic eſt rex Meßias, qui de ſemine David natus egreſſurus eſt.* Sic citat *Galatinus* Magiſtrum quem Iudæi *κατ' ἐξοχὴν* vocant רבינו הקדוש *magiſtrum noſtrum ſanctum*, & aliâs רבי יהודה הנשיא *Rabbi Iuda principem*, in libro celebri de *Occultorum detectione. Dicit Propheta egreſſus numero multitudinis, quia duo ſunt Meßiæ egreſſus, unus divinitatis, alter humanitatis,* &c.

IV. *Rationes* huic rei probandæ firmiſſimæ dari poſſunt. Ejuſmodi enim prædicata hic à Propheta congeruntur quę ad nullum aliud ſubjectum præterquá ad Meſſiam referri poſſunt. Talia ſunt 1. quod vocetur מושל בישראל *Dominator in Iſraele, κατ' ἐξοχὴν.* 2. Quod ejus ortu ingens decus acceſſurum eſſet Bethleemo, quale illi nec Davidis natalibus, nec ab illius temporibus ullius alîus principis nativitate contigiſſe le-

gitur. 3. Quod duplex ejus egressus commemoretur, temporarius unus ex Bethleem, æternus alter *ab initio à diebus seculi*. 4. Adde post illius exhibitionem prædici secuturam conversionem gentium, quam Propheta designat per conversionem יתר אחיו *residui fratrum eius*. Vbique verò Prophetæ ferè cum Messiæ mentione mentioné vocationis gentium conjungunt, & hæc inter se connectunt. 5. Regnum ejus ut pastorale, utile suave describitur *versu* 4. 6. Arma tantùm spiritualia, vires spirituales, gubernatio spiritualis & potens quidem illi adscribitur, quod omnia sit peracturus *in fortitudine Iehovæ, in sublimitate nominis Iehovæ*, verbo potenti, Evangelio æterno, quod *potentia Dei*. 7. *Magnificandus dicitur ad terminos terræ*. Cui verò ex Bethleem prodeunti id aptari potest præterquam Messiæ, & Messiæ nostro? cui respondet optimè quod *Psal*.11. *vbi Deus dicitur dedisse ei gentes hæreditatem, & pro possessione terminos terræ*. 8. Idem dicitur futurus *pax versu* 5. ἐξόχως, tum *obiectivè, tum subiectivè*, tum *efficienter*. Hæc & alia id genus prędicata οἰκεῖα Messiæ, quę conjuncta cumprimis nulli mortalium aptari possunt.

V. Objectiones *Iudæorum* leves sunt & futiles. 1. *Objic*. De eo sermonem esse qui vindicaturus esset Israelem ab Assyriis & reducturus populum ex captivitate. *Resp*.1. Omnem liberationem quæ Ecclesiæ unquam contigit, ei contigisse per Messiam, & propter Messiam. 2. Liberationem ab Assyriis mysticè potissimùm intelligi, h. e. vindicationem Ecclesię ab omnibus hostibus suis, prout solenne Prophetis, spiritualia Dei beneficia, spiritualia hominum officia, hostes populi spirituales, liberationes spirituales typicis & symbolicis verbis & figuris describere. 3. Adde, Israelem externũ, sive tribus decẽ nũquam reductas fuisse è captivitate Assyriâ, imò nec reducendas fuisse, utpote de quibus disertè dictũ, *Deum non additurum ultrà misereri domus Israel, Oseæ*1. II. *Objic*. De eo loqui Prophetá qui debebat pascere Israelẽ *in fortitudine Iehovæ, & in sublimitate nominis Iehovæ Dei sui*. Adeoq; vel de Iesu Nazareno non esse sermonem, vel illum non esse Deum. *Resp*. 1. Hoc per βίαιον retorqueri posse. Reverâ Iesus Nazarenus in fortitudine Iehovæ, in sublimitate nominis ejus pavit Israelem, in cujus doctrinâ, virtute, miraculis, actionibus, passionibus & gloriâ passionem consequutâ re-

verâ

verâ fortitudo Iehovę & sublimitas nominis ejus eminuit, quippe quę omnia divinâ virtute administrata fuêre, & tali quidem quæ ingentem stuporem etiam acerrimis hostibus illius incussit, ut *Iosephus* ipse ambigat libro XVIII. Antiquitatum Iudaicarum capite IV. an eum debeat vocare hominem, & fateatur, eum fuisse παραδόξων ἔργων ποιητὴν, & triduo à morte vivum suis apparuisse. 2. Peccari *fallacia* παρὰ τὸ ἑπόμενον, imò *Elencho oppositorum*, & Messias Deus est, & tamen *pavit populum in fortitudine Iehovæ, in sublimitate nominis Iehovæ Dei sui*, sive statum exinanitionis & *formam servi* quam assumpsit Christus cõsideremus, sive officium Mediatorium quod œconomicè suscepit, in quo omnia ad patris gloriam retulit, illum *Deum suum* ipse vocauit. *Ioh.* XX. 17. *Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum.* Non ergo pugnant Christum Deum esse, & Deum habere κατ' ἄλλο & ἄλλο. III. *Objic.* Iesum Nazarenum non fuisse dominatum Iudæis, sed Iudæos illi. *Resp.* I. Dominium *externum* aliud *& carnale*, aliud *internum* & *spirituale*, hoc modo Messias dominatus Iudęis, non illo, unde regnum ejus ut spirituale describunt Prophetę, & ipse Messias passim profitetur illud non esse de hoc mundo. 2. Adde, *non omnes qui sunt ex Israel esse Israelem Rom.* IX. 6. Alius Israel secundùm carnem, alius secundùm promissionem. Illi dominatus Messias & dominatur, dominio potentiæ, isti dominio gratiæ, illum Israelem coercet virgâ ferreâ, istum regit pedo pastorali. 3. Iudæi dominati Messiæ in speciem, sed tantùm quà homini, quà servi schemate induto, interim nullam in illum potestatem nisi desuper acceptam habuêre, nec vel Herodes vel Pilatus quicquam in eum statuêre prętérquam illa quæ manus Dei & consilium ejus prius definierat facienda. Ipse quà Deus plenarium in illos semper obtinuit dominium. 4. Dominii quin etiam sui documenta illustria satis dedit in ipso exinanitionis statu, dum ejus nativitas pręnuntiatur ab Angelo, annuntiatur ab alio, pędicatur à multitudine exercituum cœlestium, dum in cunis conturbat Herodem & totam Hierosolymam, dum ejicit vendentes & ementes è templo, dum mensas nummulariorum & cathedras mercatorum evertit, & suorũ hostium rabiem & tunc temporis, & alibi sæpe cõpescit, dum asinam ad se adduci cum imperio jubet, regis instar Hie-

rosolymam cum publico applausu, frendentibus etiam suis hostibus, ingreditur, dum turbam ad se capiendum emissam verbo prosternit, & ab illorum furore discipulos omnes immunes præstat, ut innumera id genus alia prætermittam, documenta certissima sui regni. 5. Annon jam dominatur potentissimè Iudæis, qui ubique terrarum Christianis sunt obnoxii? 6. Annon dominabitur etiam tandem Israeli, quando plenitudo gentium introierit, *& totus Israel servabitur*? Rom. XI. 25. 26. IV. *Objectionem* de interpretatione verborum מוֹצָאֹתָיו מִקֶּדֶם reservamus *Dubio* sequenti. Sufficit hîc notasse, falsum & absurdum esse glossema illud, Messiam tantùm dici hoc loco proditurum è Bethleem, quatenus è stirpe Davidicâ Bethleemi habitante foret oriundus Dux ille. Atqui utrumque significatur conjunctim, & ortus Messiæ è Bethleem, & ortus illius è stirpe Davidicâ, illud primò, istud secundariò hoc loco. Non ergo hæc sejungenda, sed cõjungenda. Et hinc evidens est, applicationem hujus vaticinii ad Zorobabelem inanem esse & futilem, 1. Cùm Zorobabel non in Iudæa, nedum Bethleemi natus fuerit, sed in captivitate Babylonicâ, unde & nomen multis traxisse videtur, dictus Zorobabel quasi *semen Babel*. Stolidum ergo, hominem Babylone egressum fingere egressum Bethleemo. 2. Adde, nec prędicata reliqua supra commemorata in Zorobabelem cadere, nec in mortalium ullum, dominatio enim Zorobabelis restricta valde fuit & exigua: Nec Bethleem, sed domus Davidica compellanda erat à Prophetâ ob illius nativitatem & dominium: Egressus etiam æternus nec Zorobabeli adscribi potest, nec ulli hominum: Conversio gentium nec Zorobabelis ætate nec aliquot post seculis sequuta. Nec magnificatus Zorobabel ad terminos terræ. Adde nunquam Bethleemum ob natalem Davidis Ducis longè præstantioris Zorobabele tantoperè collaudatam fuisse, quî ergo probabile ob Zorobabelis genus è familiâ Bethleemiticâ ductum Prophetam in verba illa emphatica erupturum fuisse? Eędem rationes obstant quominus ad *Ezechiam* vel debeat, vel possit referri vaticinium illud, qui nec Bethleemi natus legitur, nec populum asseruit ab Assyriis, nec vel duplicem egressum habuit, vel illam nominis claritatem ad fines terræ, & cui nihil illorum convenit, quę de Dominatore illo ita magnificè & singula-

gulariter prædicuntur à Prophetâ. Nec ad *Davidem* hîc confugere possunt Iudęi, cùm Propheta loquatur de eo quod futurum erat, & de Duce exituro, David verò ducentis sexaginta ad minimum annis Michęam præcesserit, quippe qui vaticinatus dicitur in diebus Iotham, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda, David verò mortuus circa annum mundi 2929. *periodi Iulianæ* 3693. Iotham autem regnare cœpit anno Mundi 3190. *periodi Iulianæ* 3954. Restat ergo ut eximium illud vaticinium ad Iesum Nazarenum applicemus, cui prædicata omnia supradicta conveniunt, & soli conveniunt. Opponit ergo Deus hunc vindicem globis & turmis hostilibus in populum Dei grassantibus, vel grassaturis. Nasci debuit Dux ille Bethleemi in domo panis, qui *panis* vitæ, in domo alienâ, qui non debuit habere ubi caput reclinaret, in loco exiguo, humili, cujus œconomia debebat esse humilis. De hoc bene dici potest quod *Psal.* CXXXII. 6. *Ecce audiuimus eum in Ephrata*. Sic ostensum, Dei esse erigere humilia, ex parvis educere magna: Christi esse nasci in loco & corde humili & abjecto. Sic demonstratum, Civitatum decus non esse latifundia, opes, molem, & quicquid hominum oculis & judicio carnali se ingerit, sed Christi cunas. Sic duæ Christi naturæ duplici egressu egregiè denuntiatæ, temporario uno ex Bethleem, æterno altero ab initio, à diebus seculi. Vna tamen eademque persona & è Bethleem egredi debuit, & habere egressum æternum. Sic officium Christi eximiis characteribus præfiguratum, quod debuerit esse *dominator*, idque ἐξόχως talis, sed & *pastor*, ἀρχιποιμὴν nimirum ille 1. *Pet.* V. 4. qui debuit animam suam ponere pro ovibus suis. Qualia debebant esse ejus arma, quis apparatus, quę basis, quæ virtus, quæ auspicia? *fortitudo Iehovæ & sublimitas nominis eius*. Et sanè ita potens Dei manus se in illius adventu exeruit, ut nomen ejus inclaruerit & exaltatum fuerit & exaltetur hodieque ad terminos terrę. Quia verò vicus ille Bethleemitanus jam à multis seculis excisus fuit, & tamen Dux ille ex eo prodire debuit, *parvo* quidem & abjecto in oculis hominum, tali tamen, qui nomē adhuc suum obtineret, necdum eversus esset, hinc apodicticè concludimus, Messiam jam olim exhibitum, & pervicacem Iudæorum gentem quæ patriâ Messiæ excisâ, tribu Iuda confusâ cum aliis, familiâ Davidicâ vel prorsus extinctâ, vel ignotâ saltem

ipſorum Iudæorum confeſſione, alium Meſſiam ſibi pollicetur, ingentis pertinaciæ ream, ἀναπολόγητον prorſus eſſe, & πώρωσιν inexpugnabilem verum ſuæ maledictionis characterem circumferre.

DVBIVM XLVII.

An ex verbis Michææ, *Et egreſsus eius ab initio, à diebus ſeculi*, ſolide probari poſſit æterna filij Dei generatio, adeoque eius æternitas & divinitas?

EXAMEN.

Cavilla Iudæorum *&* Arianorum *circa voces* מימי עולם מקדם, αἰών, ἀπ' αἰῶνος, *&c. & circa ſenſum oraculi Prophetici. Crimen* Calvino *intentatum.* Riberæ *gloſſa. Gloſſa* Hieronymi. *Confutatio cavillorum Iudaicorum. Ambiguitas vocis* קדם. *Significatio phraſεως* מקדם. *Emphaſis illius hoc loco. Ambiguitas vocis* עולם. *Emphaſis phraſεως* מימי עולם. *Obſervatio* Iudæorum. Hieronymi *conjectura rejecta. Vis & origo vocum* αἰῶνος, πρὸ τῶν αἰώνων, ἀπ' αἰῶνος *&c. Gloſſa* R. David Kimhi *confutata.* Calvinus *vindicatus. Author* Calvini Iudaizantis *notatus.* Pareus *laudatus.* Ribera, Munſterus, Tremellius, Iunius, *&* Hieronymus *excuſantur.* Rationes *cur voces &c.* מוצאות מקדם *de æternâ generatione Meſsiæ ſint exponendæ. Cur Propheta utatur numero plurali. Quæ ratio generatio-*

nis

nis filij Dei. Arianorum & Iudæorum πρῶτον ψεῦδος. *Confutatio generalis sophismatum oppositorum generationi Filij Dei. Sobrietas tenenda circa hoc mysterium. An oraculum Michææ à Iudæis corruptum.*

I. HOc *Dubium* tum *Iudæorum* pertinaciâ, tum *Arianorum* ac aliorum Divinitatis Messiæ nostri hostium protervià motum & vexatum nobis quoque discutiendum est ad plenam ἐξήγησιν & ἐκδίκησιν vaticinij huius eximij. Contendunt utrique Prophetam nec de æternâ Messiæ generatione nec de divinitate ejus loqui. Argumenta illorum vel *verbalia* sunt, vel *realia*. *Verbalia*, quibus circa voces sophisticantur, sunt, I. Loqutionem מקדם non significare æternitatem verè & propriè sic dictam, sed antiquitatem tantùm, vel durationem præteritam, eamque de rebus creatis etiam sępe efferri. Paradisum dici plantatum à Deo מקדם *Gen.* II.8. at non ab æterno. Sic *Nehem.* XII. 46. tempora Davidis & Asaphi vocari מקדם. *Psal.* LXXIV.12. Ecclesiam dicere Deum esse regem suum מקדם *ab antiquo*, ex eo videlicet ex quo esse cœpit. *Psal.* LXXVII.6. dies מקדם esse tempora prisca. 2. Addunt & *Iudæi*, & *Ariani*, ימי עולם non designare æternitatem absolutam, vel *dies æternitatis*, sed *dies seculi*, durationem diuturnam quidem sive *à parte ante*, sive *à parte post*, ut loquuntur Scholastici, talem tamen quę competat etiam rebus creatis. Exempla passim obvia in Scripturâ Veteris Testamenti. 3. Addunt *Ariani* in Novo Testamento vocem αἰῶνος respondentem voci עולם non æternitatem designare, sed antiquitatem, tempora prisca, imò seculum præsens, sic Prophetas Dei dici fuisse ἀπ' αἰῶνος, *Luc.* I.70. *Act.* III.21. *Ioh.* IX.32. Non est auditum ἐκ τοῦ αἰῶνος, aliquem *aperuisse oculos eius qui cæcus natus fuerit.* Τὰ τέλη τῶν αἰώνων commemorantur à Paulo I.*Cor.* X.11. Sic Scriptura meminit χρόνων αἰωνίων, *Rom.* XVI.25. II.*Tim.* I.9. *Tit.* I.2. λυτρώσεως αἰωνίου *Hebr.* IX.12. εὐαγγελίου αἰωνίου, *Apoc.* XIV.6. 4. Addit R. *David Kimhi*, Deum esse ante seculum, non à seculo tantùm, Mi-

chæam verò non dicere, Messiam ante seculum fuisse, sed tantùm à diebus seculi.

II. Argumentum *reale* etiam habent Iudæi, quo satagunt nobis eripere locum Michææ, egressus nimirum Messiæ dici fuisse ab initio, quia ab æterno fuerit decretum apud Deum, Ducem illum, de quo ibi sermo, aliquando ex stirpe Davidicâ proditurum. Sic dicunt egressus *paradisi* & *legis* esse æternos. Et hoc videtur innuere *Paraphrastes Chaldæus*, די שמה אמיר מלקדמין *cujus nomen dictum est ab initio.* Et hîc quidem Interpretes multi Christiani in partes trahuntur, qui videntur hîc favere Iudæis. Sic *Ægidius Hunnius* Calvinum nostrum ut impietati Iudaicæ vel faventem, vel fundamenta substernentem, in *Calvino Iudaizante* immanis criminis reum peragit, quòd per *egressus à diebus seculi* non intelligat æternam Christi generationem à Patre, sed tantùm æternum Dei decretum, de Christo aliquando exhibendo ut esset caput Ecclesiæ, Christum ab eo dici habere egressus æternos, h.e. non repente proditurum ex Bethleem, quasi nihil de eo olim statuisset Deus, sed egressus ejus esse ab initio, à longâ vetustate, quia Deus jam olim Messiam destinârit in caput & regem perpetuum suæ Ecclesiæ. Adde *Franciscum Riberam* in caput v. Michææ, qui aliter etiam accipit vocem מוצאתיו & inquit *egressus eius* dici posse *opera ejus* per quæ egrediebatur jam olim, & in cognitionem hominum se dabat: Sic Deum dici egredi quando opere aliquo mirabili ostendit suam potentiam, quasi dicat Propheta, ab initio mundi, & à diebus primis operatur is qui nascetur in Bethleem. Et in hanc sententiam quoque videtur propendere *Hieronymus*, qui inquit, *Egressus ejus* ab initio æternitatis, sive ab initio sęculi, quia semper ipse loquutus est per Prophetas, & sermo Dei factus est in manu eorum.

III. Meritò verò cum Interpretibus & veteribus & recentioribus plerisque hîc in alia omnia imus, & æternam filij Dei generationem adeoque eius divinitatem per egressus ejus מקדם מימי עולם intelligimus. Nec argumenta allata à *Iudæis* & *Arianis* tanti sunt, vt hunc nobis locum extorqueant. Quæ 1. retorquenda sunt. 2. Argumenta firmissima opponenda æternæ Messiæ nostri generationi ex verbis Prophetæ comprobandæ. *Objic.* 1. τὸ מקדם *non significare æternitatem propriè*

propriè sic dictam, sed antiquitatem, & de rebus creatis etiam efferri, &c. *Resp.* 1. Peccari *Elencho* ἀπὸ τῆς ἐν μέρει, aliquando מקדם non significat æternitatem, ergo nunquam. Hoc enim sensu *Prov.* VIII. 22. 23. sumuntur loquutiones *parallelæ* מקדמי ארץ מראש מעולם קדם מפעליו. 2. *Elencho divisionis*, nec enim argumentum ex loquutione מקדם tantùm ducendũ, sed ex vocibus illis conjunctis מקדם מימי עולם, quę geminatio summam notat ἐπίτασιν. 3. *Fallaciâ homonymiæ* in voce קדם, quæ refertur interdum ad *locum*, & significat *Orientem*, vel plagam Orientalem, quasi anteriorem; interdum refertur ad *tempus*, & designat antiquitatem, initium, sic LXX. קדם vertunt quandoque ἀνατολὴν, quandoque ἀρχὴν, ἀρχαῖον, & adverbialiter interdum ἀρχῆθεν. Vnde inepta est ἔνστασις de Paradiso, dicitur enim ille plantatus מקדם significatu τοπικῶς non χρονικῶς h.e. in plagâ Orientali habitâ ratione situs Iudęæ. Et sanè tractum dictum *Eden* situm fuisse in Oriente liquet ex *Gen.* IV. 17. 4. Demus etiam, τὸ מקדם significare quandoque tempora prisca, idem verò huc trahi nequit, *talia enim sunt prædicata, qualia permittuntur esse à suis subiectis.* Hic, vt supra ostensum, agitur de Dominatore ἐξόχως sic dicto, cui adscribitur vocatio gentium, regnum pastorale, fortitudo Iehovæ, gloria extendenda ad terminos & fines terræ, & alia id genus quę in hominem mortalem cadere nequeunt. 5. מקדם hîc non tantùm *ab initio, ab antiquitate*, interpretari possumus, sed & *ante initium, ante antiquitatem*, pro לפני קדם; ante initium verò nihil fuit nisi æternitas. Sic ipse *Kimhi* fatetur τὸ מעולם sæpe significare, *ante seculum*, ut quando de Deo sermo est, & Scriptura dicit Deum esse מעולם phrases ergo istæ diversimodè sunt accipiendæ pro naturâ subjectorum de quibus efferuntur: מקדם itaque idem quod ἀπ᾽ ἀρχῆς II. *Thessal.* II. 23. quod idem ibi ac alibi πρὸ καταβολῆς κόσμου, πρὸ χρόνων αἰωνίων.

IV. *Objic.* VI. ימי עולם *non significare æternitatem, sed durationem longam.* *Resp.* 1. Fatendum τὸ עולם ambiguum admodum esse, & diversas significationes habere pro diversitate subjectorum, de quibus effertur. Interdum designat durationem longam ἁπλῶς: ut II. *Sam.* XII. 10. interdum durationem longam finiendam insigni aliquâ rerum conversione, ut I. *Sam.*

XIII. 13. Sic Iudæi : עולם לויים חמשים שנה *seculum Levitarum sunt quinquaginta anni* : Sic observatio ceremoniarum Iudaicarum præcipitur לעולם ad tempora nimirum διορθώσεως. Interdum æternitatem ἁπλῶς, sive *à parte post* tantùm ut *Dan.* XII. I. sive à *parte ante*, & à *parte post*, quomodo sæpe de Deo effertur. Habenda ergo ratio subiectorum, unde argumentũ hîc ducunt Iudęi *ἐκ τῶ ἐν μέρει, & argumentantur affirmativè à genere ad speciem*. 2. Nostra interpretatio ęternitatẽ absolutã intelligendam esse probatur ex geminatione, & conjunctione phrasium illarum מקדם מימי עולם. Vt ergo Iudæorum Magistri docent τὸ עולם significare durationem restrictam, ubi solum ponitur, vbi verò conjungitur cum vocibus aliis סלה vel עד vel נצח ibi significare æternitatem propriè sic dictam, sic hoc loco eadem significatio ob geminationem illam, quæ ἐπίτασιν notat, locum habere debet. 3. Ipsi Iudæi phrasin illam de perpetuitate interpretantur, quoties dogmata sua vrgent v. g. circuncisionem esse datam לברית עולם esse חקת עולם. 4. Prætermitto observationem, quam notat *Hieronymus*, in Epistolam ad Galatas quæ exigui commatis, עולם *cùm scribitur sine litterâ vau, significare annum Iubilei, id est, quinquagesimum, cum habet litteram* ו *significare æternitatem*. Quæ observatio innumeris exemplis convelli potest. Sufficiat notasse, Iudæos non posse ostendere exemplum ullum ubi voces illę geminatæ מקדם מימי עולם vel æquipollentes aliæ id genus de rebus creatis efferantur.

V. *Obiect.* III. *Vocem αἰῶνος non designare æternitatem sed antiquitatem, tempora prisca. Resp.* I. Peccari *ignoratione Elenchi*, nec concludi institutum. 2. Peccari *Elencho τῶ ἐν μέρει*, quia αἰὼν interdum etiam notat æternitatem absolutam, sive ratione *originis suæ*, ducitur enim probabiliter ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἶναι, quasi *seculum quod semper est*, sive ratione usus. Nihil frequentius in Novo Testamento phrasi εἰς τὸν αἰῶνα *Ioh.* IV. 14. V. 35. VI. 58. & alibi passim. Phrasis ergo מימי עולם hîc æquipollet phrasibus usitatis in Novo Testamento πρὸ τῶν αἰώνων, I. *Cor.* II. 7. ἀπ᾽ αἰῶνος, *Act.* XV. 18. Nota sunt Deo omnia opera sua, ἀπ᾽ αἰῶνος. Sic ἀπὸ τῶν αἰώνων *Col.* I. 26. Sic & nomen concretum inde ductum αἰώνιος æternum passim significat. *Obiectio* IV. *Kimhi* Deum, esse *ante seculum* non *à seculo* tantùm, levis est, I. Quia voces מקדם מימי

מימי עולם æquè ita verti possunt. 2. Quia τὸ מעולם ita sæpe vertitur à Iudæis & alia id genus.

VI. Argumentum ejusdem *Kimhi* leve est & evanidum, egressus Messiæ dici fuisse ab æterno quatenus ab æterno fuerit decretum apud Deum Messiam aliquando è stirpe Davidis proditurum. Nam 1. interpretatio illa precaria est & gratis conficta. 2. Inanis, nam sic omnium rerum egressus dicendi essent æterni, quia nihil in tempore evenit, quod non fuerit decretum ab æterno. 3. Quia Propheta non loquitur de decreto Messiæ aliquando exhibendi, sed de actuali ejus egressu.

VII. Nequicquam verò sanctissimę memoriæ Vir *Ioannes Calvinus* in societatem impietatis Iudaicæ hoc loco vocatur, qui eam stylo acerrimo passim confodit, & eruditissimis observationibus confecit. Candorem hic meritò desideramus & charitatem Christianam in Authore *Calvini Iudaizantis*, qui atrocissimas criminationes in summum Virum sine causâ congessit, quòd hoc etiam loco discesserit à communi interpretatione. Sed *Calvini* innocentiam eruditè & solidè vindicavit *David Pareus* Theologus eximius in *Calvino Orthodoxo* libro II. cap. XLII. Vnde non est quod actum hîc agamus. Absit verò à nobis, ut abstergamus convitia convitiis. Nos non ita didicimus Christum. Quod sapienter olim Abrahamus Loto, nos illis qui inter Evangelicos nomen habent, & tamen atrocem stylum in nos stringunt etsi idem fundamentum constantissimè profitentes. *Ne quæso sit contentio inter me & te, aut inter pastores meos & pastores tuos, nam viri fratres sumus.* Sit nobis quęso cordi divinum Pauli pręceptum, τὸ ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ. Satis turbarum datum, satis irarum & bilis effusum, satis etiã castigationum divinarum attractum, quæ tandem aliquando mutuâ & Christianâ concordiâ vel sistendæ, vel mitigandæ saltem. An quæso vel Iudaicę vel Arianę impietati favere censendi sunt tot eximij Doctores inter Veteres, qui in locis quibusdam Biblicis explicandis in alia omnia ivêre? An non Luthero magno Dei organo, & aliis partium illius Theologis multa talia aliter intellecta, exposita? Annon *Calvinus* eruditissimis & solidissimis laboribus suis sive exegeticis sive polemicis impietatem tum Iudaicam tum Arianam passim jugulavit, & orthodo-

xam de S.Trinitate, de æternâ filij Dei generatione, constantissimè asseruit & vindicavit? Aliud verò est dogmata quædam ex his vel illis locis non educere, aliud dogmata illa negare, vel impugnare, vel illis evertendis fundamenta substernere. Imò illi de veritate non parum merentur, qui dicta obnoxia cavillis Adversariorum, & quę in Disputatione accuratâ vix defendi solidè possunt, ad dogmatum verissimorum cęteroquin probationem non adhibent, ne latus aperiant hostibus veritatis, sed satis habent paucis & solidioribus vel clarioribus saltem niti. Adde, *Calvinum* Commentario in Michęam satis fassum, eximium hoc oraculum ad Messiam pertinere, & Christi divinitatem ibi nobis probari. Idem Iudæorum commentum ibidem de creatione Messiæ ante creationem mundi explodit, & interpretamentum eorundem, egressus Christi dici æternos, quatenus tantùm perpetua Dei ordinatione egressus Christi fuerint ab initio, vel ab omnibus seculis. Imò, inquit *Calvinus*, duo ibi notanda esse, 1. Christum, qui manifestatus fuit in carne ut Ecclesiam Dei redimeret, fuisse *sermonem æternum* per quem creatus est mundus. 2. Fuisse destinatum æterno Dei consilio ut esset primogenitus omnis creaturæ, Ecclesiæ caput &c. An quæso hîc locus vel occasio in manes sanctissimi Viri, & integerrimi Orthodoxæ de Deitate Christi doctrinæ vindicis invadendi? Non diffiteor intereà, me communiorem interpretationem quæ egressus illos מקדם מימי עולם de æternâ filii Dei generatione exponit solidiorem & veriorem judicare, & illi ex animo subscribere.

VIII. *Fr. Riberam* etiam hîc excusare possumus, tametsi enim *egressus* exponat per *opera*, & perperam quidem ac sine justâ causâ, adeóque vim faciat verbis & instituto Prophetæ, tamen quia conclusio ipsius orthodoxa est, & ex geminata loquutione æternitatem Dominatoris nasciturі in Bethleem asserit, causæ nihil est cur impietati Iudaicæ hîc favisse judicetur. Adde, egressum Messiæ per opera quæ initio fecisse dicitur arguere virtutem infinitam, adeoque & subjectum dignitatis infinitæ, unde eodem res redit. Candidè agendum inter eruditos, & sine partium studio sua cuiq; laus relinquenda, & præstat longè in pręconia & vindicias proniorē esse Interpretem, quàm in cavilla & vituperia. Non minor modestiæ laus debetur,

quàm

quàm eruditioni vel acumini. Sic *Munsterus* voces illas etiam retulit ad promissiones factas de Messiâ inde à Mundi initio : *Tremellius* & *Iunius* ad lucem verbi & virtutem operum , quibus omnibus inde à principio se patefecit. Nec tamen de æternâ filij Dei generatione à Viris illis eximiis dubitatum. Interpretationem cæteroquin cuius meminit *Hieronymus* vindicat *Ribera* , dum ait Hieronymo morem fuisse, tacitis sæpe Authorum nominibus opiniones referre quæ apertum continent errorem, quas nec refutet, nec improbet , eius rei causam edisseri ab ipso Hieronymo lib.1. Apolog. aduersus Ruffinum , *Expositoris officium esse, ut referat sententias veterum, nec judicium de illis ferat, sed lectoribus optionem relinquat , ut id probent quod verius esse judicaverint.* Quicquid eius sit , satis constat Hieronymum constantem divinitatis Filij Dei vindicem fuisse. Proinde in talibus non paratragædiandum , quum præsertim Hieronymus ibidem loci disertè divinam Christi Majestatem asserat,& nativitatem ejus ante omnia sæcula.

IX. Concludimus ergo per מוצאתיו מקדם מימי עולם intelligi cum *Athanasio* & Patribus aliis Orthodoxis προαιώνιον Messiæ γέννησιν ἐκ τοῦ πατρός. 1. Quia τὸ מוצאות nec ad decretum æternum, nec ad opera jam olim edita à Messiâ referri potest, ut ostensum , nec aliam significationem commodam habere. 2. Quia vox מוצא commodè admodum ad generationem Filij Dei referri potest , & alibi adhibetur de exortu solis,de exitu aquarum è scaturigine, de prolatione sermonis & aliis id genus , quibus aliquando appositè pro imbecillitatis nostræ ratione mysterium illud sanctissimum nobis adumbrari potest. Meritò ergo hæc à prophetâ adiecta , ne putaretur Messias è Bethleem proditurus esse tantum homo & nuda creatura , cum tempore tantùm exoritura , prout & alibi Prophetæ passim geminam Messiæ naturam indicare & inculcare consuevêre. 3. Quia geminatio vocum מימי עולם מקדם, non potest non summam ἐπίτασιν designare antiquitatis hujus Messiæ, adeoque æternitatem. 4. Quia hîc alia prædicata virtutẽ infinitam arguentia de hoc subjecto efferuntur. 5. Quia alia loca parallela idem docent, Messiam esse genitum *à Deo*, & simul *patrem æternitatis.* 6. Quia contradistinguitur hîc exitus exitui , generatio generationi , exitus nimirum è Bethleem

temporalis exitui æterno, generatio temporaria æternæ. Nec mirandum, Prophetam uti numero plurali מוצאות & *egressuum* meminisse, non *egressus*, factum id non, ut *Mariana* & alii volunt, ad nativitatem utramque Christi tum divinam tum humanam indicandam, nec enim verba sequentia id patiuntur, sed vel per enallagen numeri consuetam Hebræis, quando de re eximiâ loquuntur, vel quia mysterium æternæ generationis perenne est & ad nullam temporis differentiam arctari potest, ut ostenderetur, emanationem illam Filii Dei à Patre non esse actionem transeuntem, vel transitoriam, sed continuam & perpetuam quandam ἀπόῤῥοιαν, quâ ut Pater habet vitam in seipso, sic & filio dedit & dat habere vitam in seipso, vnde *in hodie* illo æternitatis genitus prædicatur Messias. Qui *egressus* tamen concipiendus sine imperfectione, sine separatione, sine mutatione, sine motu, sine multiplicatione essentiæ divinæ, & conditionibus id-genus aliis annexis generationibus physicis. Generatio physica activa simul est & passiua, est actio & passio transiens, quæ termino producto desinit, est transitus à non esse ad esse, est productio alicujus extra se, & in tempore, in eâ generati essentia diversa est ab essentia generantis, eâque posterior. Quæ omnia longissimè removenda sunt ab hoc mysterio. Gravissimè itaque impingunt *Antitrinitarij, Photiniani, Ariani, Iudæi*, & alii id genus hostes æternæ generationis Filii Dei, dum ex conditionibus generationi physicæ annexis metiuntur generationem, Filii Dei. Atqui hoc est *μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος*. An finiti & infiniti, temporarii & æterni eadem ratio? Annon oppositorum rationes oppositæ? An ex scientiis inferioribus metiendæ superiores? Ne in generatione quidem spirituali metaphysica conditiones illæ omnes reperiuntur, nedum in hyperphysicâ prorsus, quæ est actus purus, actus non transiens, sed permanens, & actus æternus, & infinitus, ergo præscindens ab omni initio, successione, imperfectione, alteratione, mutabilitate, divisibilitate, & aliis id genus appendicibus rerum finitarum & materialium. Quæ sufficiunt etiam subtilitatibus periculosis *Conradi Vorstij* super hoc argumento convellendis. Imò si ex conditionibus generationum physicarum argumentum duci posset ad generationem illam hyperphysicam, exæquarentur subjectum finitum & infinitum, & eadem utriusque

utriuſque ratio foret, adeóque implicaretur contradictio in adjecto, & ſtatueretur oppoſitum in appoſito. Optimè hîc *Nazianzenus* Θεοῦ γέννησις σιωπῇ τιμάσθω. Μέγα σοὶ τὸ μαθεῖν ὅτι γεγέννηται. Nos terræ filii noſtram generationem, imò vermis & muſcæ ignoramus, & ad decempedam noſtrorum ratiociniorum exigemus æternam filij Dei generationem. Atqui nos hîc in ſtatu viatorum non concipimus nec concipere poſſumus Deum, ſecundùm id quod eſt, ſed ſecundùm id quod ſumus. Si Leges etiam politicæ vetant ſervos diſputare de natalibus Dominorum, hanc reverentiam & pietas, & imbecillitatis noſtræ conſcientia, & conſideratio ſublimitatis myſterij illius æquè ac Majeſtatis filii Dei majori longè jure à nobis exigere poſſunt, & impetrare debent. Ex hoc ipſo verò loco patet vanam eſſe illorum opinionem, qui textum Hebraicum à Iudæis corruptum ſatagunt, eo quod ἀντιλογία quædam apparens inter Prophetam & Evangeliſtam reperiatur, præterquam enim quod de religioſâ Iudęorum reverentia in tuendâ Scripturæ litterâ ſatis conſtat, ſi quidem Iudæi manus admoviſſent oraculo Prophetico, utique ultima potius verba ab illis expuncta fuiſſent, quæ tamen æternæ Filii Dei generationi aſſerendæ, & genti pervicaci convincendæ ibidem hodieque uncialibus litteris leguntur.

DVBIA XLVIII. XLIX. L.

XLVIII. Quo genere adorationis Magi adorârint Chriſtum? *Matth.* 11.11. XLIX. An *Beata Virgo* à Magis adorata cum Domino, hodieque adorari debeat? L. An ex exemplo Magorum ſequatur, vel Euchariſtiam, vel Chriſtum in Euchariſtiâ adorandum?

EXAMEN.

Adoratio duplex. An civilis *Christo exhibita à Magis? An* religiosa? *Posterius probatur. Rationes. Glossemata* Salmeronis *de adoratione B. Virginis rejecta. Quis illi honor debeatur. Rationes opinionis prioris confutatæ. Qualis adoratio Christo in Evangelio delata.* Photinianorũ *exceptio explosa. Quæ Christi adoratio detur in Eucharistiâ. Sanctio* Tridentini Concilii *super hoc argumento. An ex præsentiâ Christi sequatur adoratio.* Bellarmini ἔνστασις *confutata.* Quomodo *Christus sit præsens in Eucharistia. Fidei natura. Error Pontificiorum in hoc argumento voluntarius. Quando errori excusatio.*

I. RRORI obviam eundum, quacunque specie se nobis commendet. Notum equidem verba προσκυνεῖν Græcorum, & השתחוה Hebræorum tum ratione *originis*, tum ratione *vsus* laxiora esse, & interdum designare *adorationem religiosam*, soli Deo debitam, interdum *cultum civilem*, qui iis defertur & debetur, quorum vel dignitas, vel virtus, vel potentia honorem singularem exigunt. Illa gradus non admittit, iste admittit, pro diversis enim gradibus ὑπεροχῆς, diversus debet esse cultus. Vtrumque in externo gestu convenire potest, at in interno sensu, judicio, intentione, affectu, fiduciâ nunquam convenire debet. Quum itaque ex vi verbi argumentum affirmativè non possit duci *à genere ad speciem*, quæsitum fuit ab Interpretibus, quo adorationis genere probabile sit Christum à Magis adoratum. Et hîc quidem in diversa itum.

II. Multi

II. Multi *civilem* duntaxat *cultum* Christo ab iis exhibitum contendêre: 1. Quia consuetum fuerit populis Orientalibus per προσκυνῶσιν civilem Reges & Magos venerari. 2. Quia parum verisimile sit, Magis compertum fuisse, puerum illum iacentem in cunis esse Deum. 3. Quia alibi in Evangelio Christus sæpe legatur adoratus à multis, à quibus tamen nec pro Deo, nec pro Dei Filio, sed pro homine & Prophetâ tantùm habitus. Et in hanc sententiam pedibus eunt *Photiniani*, & alij divinitatis Christi hostes, qui in ejus Majestatem invadunt.

III. Potior tamen videtur sententia illorum, qui Magorum cultum ad adorationem religiosam referunt, non tam ob plerosque ex præcipuis Interpretibus veteribus, qui in hanc sententiam propendent, quàm ob rationes ex ipso textu & circunstantiis illius petitas. Non vrgebo, cum quibusdam, vim verbi προσήνεγκαν, quod sequitur, quia τὸ προσφέρειν ut & הוציא Hebræorum genericum nimis & commune. Dantur rationes aliæ majoris ponderis. 1. Ἐπίτασις non vulgaris innuitur verbis Matthæi, quæ nec otiosa, nec inutilis, πεσόντες προσεκύνησαν αὐτῷ, *procidentes adoraverunt eum.* Non vulgaris ergo adorationis species designatur, sed demississima, quia aliâs communiter τὸ προσκυνεῖν includit participium prius, quod bene observauit *Beza.* 2. Nullum objectum cultus civilis vel Magis oblatum, vel ab illis Bethleemi repertum, sed infans in cunis, sub paupere tecto, si nõ in squalore, in paupertate saltem, sine mediocri apparatu etiam & satellitio. Quid ibi quod Magos ad cultum civilem alliceret, imò an ullum cultum exhibuissent infanti, nisi vis altior ipsorum pectora pertentasset? 3. Adde, causas adventus Magorum non humanas fuisse, sed divinas prorsus & cœlestes, stella extrinsecus in æthere accensa, stella alia accensa intus in mentibus & cordibus Magorum, novus stellæ exortus ab egressu eorũ ex urbe Hierosolymâ, vaticinium Prophetarum Hierosolymæ auditum de duplici Messiæ egressu, stellæ illius miraculosa apparitio & στάσις super domo, in quâ puer. Quibus dubio procul accessit radius quidam Majestatis fulgens in facie Domini, & vis vorticordia interna in animis Magorum, quâ ita potenter affecti fuêre, ut nec Iudæorum stupor, nec exinanitio Domini, & conditio illius abjecta illos à cultu & adoratione averterit, quod fieri non po-

tuit sine religiosâ ὑπεροχῆς cujusdam superioris cogitatione. 4. Annon etiam Herodes se adorationis socium futurum Magis profitetur versu 8? An verò probabile videri poterat Magis, Herodem regem terrenum alium, & Iudæorum quidem, adoraturum fuisse adoratione civili? 5. Quum etiam Magi ne Herodem quidem adorasse legantur adoratione civili, minus utique ita adoraturi erant puerum jacentem in cunis, & in re tenui constitutum. 6. Cui bono etiam Magi ex remoto Oriente oriundi Iudæorum Regem externum tantâ veneratione excepturi fuissent? quid illis negotii cum Rege tali? Et inanis exceptio, illos prævidisse, Regem illum Orientem subacturum, quæ enim veri species homines sapientes & dubio procul ætatis satis maturæ credidisse ab infante adhuc in cunis vagiente sibi periculum imminere, nisi altius quid de illius Majestate concepissent? 7. Adde, in Magis his primitias è gentibus Christum spiritualiter adoraturis nobis præstitui, adeoque illos etiam Christum ut Deum ut Messiam venerari debuisse. 8. Idem visum jam olim multis ex Patribus, *Irenæo, Hilario, Ambrosio,* &c. *Authori Operis Imperfecti*, aliisque, qui id ipsum etiam ex muneribus Magorum probare satagunt, quamvis argumento parum solido.

IV. Perperam verò *Salmero* Tract. XL. Tomo III. adorationem illam Magorum ad Mariam virginem suo modo extendit & illum statuit adorare matrem, qui adorat filium. Addit, Christum & Mariam fuisse duo in unâ carne, & sicut qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, ita qui non honorat matrem, illum filio detrahere. Hæc partim blasphema, partim absurda, facile in quovis argumento sic rhetoricari & ἀσύγκλωστα συγκλώθειν. Beatam enim Virginem à Magis adoratam, nec Matthæus docet, nec aliter quàm gratis & sine ullo fundamento doceri potest. Honorem cæteroquin illi deberi ultrò fatemur, sed honorem certis cancellis circunscriptum, & convenientem objecto honorando, qualis nec *hyperdulia* Pontificia, quæ Deo injuria, nec adoratio ulla religiosa, quæ illi indebita, nec cultus civilis, qui non cadit in objectum glorificatum: Sed 1. cogitatio, & commemoratio honorifica insignis illius honoris, quo illâ Deus præ omnibus creaturis pro gratiosâ suâ bonitate dignatus fuit, ut mater illius & esset & diceretur,

ceretur, qui omnium Pater eſt & Dominus. 2. Prædicatio virtutum ejus, quę nobis in S. litteris deſcribuntur, pietatis, charitatis, humilitatis, conſtantiæ, & aliarum id genus virtutum, quæ ſingulariter in eximio hoc Dei organo eminuêre, & omnibus in exemplum proponi debent. 3. Commendatio gloriæ & beatitudinis quâ fruitur in cœlis. Hæ honoris ſpecies B. Virgini debentur, & comprehenduntur ſub μακαρισμῷ, quo ſe afficiendam ipſa prædicit. *Luc.* 1. 48. non inquit, ecce ex hoc tempore προσκυνήσουσι, ſed μακαριοῦσί με πᾶσαι αἱ γενεαί. Sed honorem filio debitum & ſoli filio in matrem transferre, & eam in dignitatis incommunicabilis ſocietatem vocare, preces ad illam dirigere, ſtatuas ei erigere, feſtos dies dicare, cereos, lampades ἀναθήματα ſuſpendere, & ejuſmodi cultum illi reddere, qui Deo ſoli debetur, eſt in Dei Majeſtatem peccare, idololatriæ crimine ſe obſtringere, non honore, ſed contumeliâ B. Virginem afficere, vetera paganorum ſacra mutatis nominibus reſtituere, qui in honorem Februæ Matris Martis, & idolorum aliorum id genus gemina his patrabant, quorum luſtrationes à Sergio Papâ in honorem matris Domini converſas fuiſſe *Durandus* jam olim candidè profeſſus fuit Ration. Div. offic. lib. VII. cap. VII. quod etiam notat appoſitè ut alia multa Vir Clariſſimus *Carolus Drelincourtius* Eccleſiæ Pariſienſis Reformatæ Paſtor, in tractatu egregio quem ſcripſit ſuper hoc argumento, ubi de vero & falſo, licito ac illicito honore B. Virginis prolixè & ſolidè agit, & Eccleſiarum noſtrarum praxin à calumniâ omni ſatis ſuperque it vindicatum.

V. Argumenta pro opinione priore allata levia ſunt. I^um *Inconſequens*: προσκύνησις enim Orientalium duplex fuit, *religioſa* una, *civilis* altera, illa Regibus, iſta Diis tributa: illâ interveniſſe, non iſtam, rationibus probatum. II^um *precarium*, imò perquam veriſimile id myſterium illis innotuiſſe ob rationes ſupradictas. III^um habet τὸ ἐν ἀρχῇ, adoratio enim Chriſto à multis in Evangelio delata reverâ religioſa fuit, conjuncta quippe cum petitione rerum creaturæ impoſſibilium, cum agnitione potentiæ immenſæ, cum fiduciâ exauditionis, & aliis id genus, quæ non niſi Deo deferenda. Inane etiam χριστοφύγετον *Photinianorum*, in exceſſu à talibus potuiſſe peccari. Imò hîc nonniſi in defectu peccatur, & peccari poteſt. Adde,

Christum cultum illum admisisse, nec colentes reprehendisse, æqualitatem suam cum Patre docuisse, & eo ipso summum cultum sibi debitum esse satis superque testatum fecisse.

VI. *Tertiam* quæstionem quod attinet, cui Pontificiorum illationes ex Magorum adoratione occasionem præbent, peccatur 1. Elencho parium, & παρὰ τὸ ἑπόμενον, quid enim Magorum adoratio facit ad adorationem Pontificiam Eucharistiæ delatam? Vtique sanè si eâ ratione Christus nobis in sacramento Eucharistæ objiceretur, quâ objectus fuit Magis, nemo nõ illi adorationẽ ultrò deferret. 2. Peccatur πολυζητήσει, aliud enim est Eucharistiam adorandã, aliud, Christũ in Eucharistiâ adorandum, & aliud Christum adorandum in Eucharistiâ quà actionem sacram significat, aliud in Eucharistiâ quà designat elementum. Distinguendi hîc termini χρονικοὶ à τοπικοῖς, & cavenda confusio τοῦ ἅμα & τοῦ ὁμοῦ. Nemo dignè ad S.Cœnam accedit, quin Christum ibi h.e. in actione illâ adoret, animum suum ad eum in Cœlum erigendo, nemo tamen ibi Christum velut latentem sub speciebus hostiæ, ut loquuntur Sophistæ, vel latentem in pane adorare debet, minus Eucharistiam, h.e. signum, elementum, quod Creatura non Creator. Nec enim sine sacrilegio & Idololatriâ cultus ille supremus, qui uni Creatori debetur ad creaturam transferri potest, quæcunque illa sit, quod tamen imperatum in Concilio Tridentino Sess. XIII. cap. V. Sacramentum ipsum adorandum, & quidem cultu latriæ, quod *Bellarminus* etiam tueri satagit libro IV. de Sacram. Euchar. cap. XXIX. Idipsum sancitum sub gravi anathemate. At gravius longe quod fulminat Spiritus S. in illos, qui tali se crimine obstringunt. 1. Cor. VI. 9. Apoc. XXI. 8.

VII. Frustrà verò *instant* Pontificij, Christum adorandum ubicunq; præsens est: Ergo & in sacramento Eucharistiæ, quum ibi præsens ab omnibus credatur. *Resp.* 1. Falsum Antecedens, sic enim in omnibus Creaturis adorandus foret, quia præsentia ejus est omni pręsentia. Annon Deus vbique pręsens, an ergo res quibus Deus præsens, vel in quibus præsens ob id adorandæ? *Non longè abest ab vnoquoque nostrûm*, inquit Apostolus,

Act. XVII.

Act. XVII. 27. 28. Imò in ipso vivimus, movemur & sumus. Nec solutio *Bellarmini* cap. XXX. libri quarti de Eucharistiâ ullius ponderis, longè aliter Christum esse in Eucharistiâ, aliter Deum in aliis rebus, in Eucharistiâ unum tantùm suppositum esse, idque divinum, quod non precarium tantùm, sed falsum & πρῶτον ψεῦδος. Nec nisi absurdissimè species hostiæ, quas vocant, sive accidentia dici possunt constituere unum suppositum cum Christo, quod Bellarminus supponit. Cur verò etiam Christus non adoratur in Baptismo, vel Baptismus, in quo Deus æquè præsens est ac in sacramento Eucharistiæ? Nec adorationem exigit *peculiaris modus præsentiæ*, secundùm quem Dominus præsens esse creditur in sacramento Eucharistiæ, h. e. in actione illâ sacrâ, non in hostiâ vel pane, quia præsentia illa spiritualis est, unde corda *sursum*, non ad panem vertenda. Nec Christus præsens pani manducato, sed cordi vel fidei manducantis, & præsentia tali qualem fides exigit. Id verò fidei præsens quod fides apprehendit, prout manui quod apprehendit manus, auri, quod auris, oculo quod oculus apprehendit. Vt vero alia sphæra tactus, alia auditus, alia visus, & inde objectum audiri potest unde non potest tangi, inde videri unde non potest audiri, sic latior adhuc sphæra fidei: quippe quæ nullis nec temporum nec locorum terminis coercetur, sed utrosque transcendit, & in objectum suum distans etiam distantiâ corporeâ sive præteritum sive futurum promiscuè & ex æquo ferri potest, & id sibi præsens reddere. *Hebr.* XI. Et aliud est, objectum esse *distans*, aliud esse *absens*. Nec enim *distantia* opponitur *præsentiæ*, sed *absentia* tantùm. Et alius longè *contactus corporeus*, alius *contactus virtutis*, alia utriusque sphæra. Sic peculiari modo Spiritus Sanctus reperitur in cordibus fidelium, quæ sunt ipsius templum I. *Cor.* VI. 15. nec tamen ob id illi obiectum adorationis, vel in illis adorandus Spiritus Sanctus. Hinc Evangelici, qui à *Luthero* nomen vulgò habent, præsentiam quidem statuunt corporis Domini in Eucharistiâ, adorationem tamen haudquaquam pani deferendam censent. Quanvis fatendum sit, si corporaliter Christus reperiatur in pane, vel corporaliter adsit pani mystico, adorationem illi iure negari non posse. Nec opus hîc mandato speciali, generale enim sufficit. Sed illud πρῶτον ψεῦδος, Christum ita

præsentem esse in sacramento Eucharistiæ. 3. Nec Pontificii excusari possunt adorationis delatæ hostiæ in S. Eucharistiâ, tametsi credant hostiam Eucharisticam esse Dominum ipsum vestitum tantùm accidentibus hostiæ, quia error ille *juris* est, error voluntarius, revictus sensu, ratione, Dei verbo, imò conscientiis hanc doctrinam profitentium, inter quos vix millesimus reperitur, qui reverâ credat, quod profitetur, quod sacrificuli & Monachi innumeri, qui veritate agnitâ ad nos transeunt fateri coguntur. Idem plerorumque qui adhuc in communione Ecclesiæ Romanæ vivunt conscientia obsignat. Nullum hîc errori velum, nullus ignorantiæ prætextus, neque enim vel verbum Dei præit, vel ratio, vel sensus, & errori ac ignorantiæ tum demum aliquid datur, ubi obscuritas reperitur sive ex *parte objecti*, sive ex *parte medii*, aut *modi* illud cognoscendi, non verò ubi vitium in *subjecto* tantùm, idque voluntarium ac affectatum.

DVBIVM LI.

An ex Magorum adoratione sequatur adoratio Christi hominis, vel humanæ Christi naturæ?

EXAMEN.

Occasio quæstionis. Opinio quorundam. Examen Hypotheseως. *Examen* Theseως. *Distinctiones subjecti & prædicati. Rationes. Applicatio distinctionum. Quis honor carni Christi debitus. Quî adoratio feratur in Christum. Similitudines Veterum.* Ἔκθεσις *sanctionis* Synodi Ephesinæ. Patrum *quorundam verba vindicata. An adoratio proprietas Dei.*

I. EX actu adorationis Christo à Magis exhibito nova dubitandi materia exsurgit, Adoratio enim illa urgetur inter exempla alia à *Theologis* quibusdam Evangelicis *Thesi* illi probandæ, adorationem humanæ Christi naturæ deberi, adeoque essentiales Dei proprietates illi communicatas esse, sine quibus adorationis capax esse nequeat. Prætermissâ prolixâ de hoc arguměto dissertatione, satis habebimus hîc exemplum Magorum à prava illatione vindicare, & succinctè ostendere quid de adoratione Christi sit sentiendum.

II. *Hypothesin* quod attinet, fatemur Magos Christum hominem adorasse, h.e. personam quæ homo, sed negamus illos adorasse Christum quà hominem, vel naturam humanam Christi, quod supponitur, non probatur. In *Thesi* cæteroquin quando quæritur conjunctim, an Christus homo sit adorandus, vel humana Christi natura, termini quæstionis bene sunt distinguendi. Hîc enim *in subiecto* 1. peccatur πολυζητήσει: aliud enim est Christum hominem adoratum fuisse, vel adorandum esse, aliud, humanam Christi naturam, vel carnem ejus. Non confundendi ergo *termini abstracti* & *concreti*. 2. Aliud etiam, Christum hominem adoratum fuisse, & adorari debere, aliud, illum adoratum fuisse, & adorari debere *reduplicativè*, quà talem. *In prædicato* distinguenda *adoratio*, quatenus sumitur *pro cultu soli Deo debito*, & sic non fertur nisi in id quod Deus, & quatenus sumitur pro *honore debito personæ Mediatoris*, & sic prout utraque natura ad ἀποτελέσματα mediationis concurrit, utrique naturę honor debetur, distinctus tamen & cum σχέσει diversâ. Tametsi enim unâ eâdemque adoratione adoretur suppositum Christus Mediator, tamen in adoratione illâ diversa est σχέσις animæ fidelis ad naturas quæ constituunt suppositum, quæ ut nec per unionem nec per actiones θεανδρικὰς sunt confusæ, vel exæquatæ inter se, sic nec confundi debet, vel exæquari honor qui utrique debetur, sed ad unamquamque naturam referendum, quod illius est. Ita, qui preces ad Christum Mediatorem dirigit, ad totam personam illas dirigit, sed compellatione tribuente utrique naturæ quod illius est, & petente ut Christus Mediator in nostri gratiam agat utrâque naturâ, quod utriúsque est, humanâ intercedat pro

nobis, divinâ intercessioni addat vigorem. Nec ob id datur vel personarũ divisio, vel naturarum divulsio, sed distinctio tantùm illarum in personâ, & proprietatum utrique competentium. Etsi ergo adoratio, quatenus sumitur pro agnitione naturæ supremæ, omnipræsentis, omnipotentis, non possit deferri naturæ humanæ Christi, vel carni ejus, certum tamen, venerationem ejusmodi illi deberi, qualis nulli creaturæ debetur, quippe quæ caro arctissimè juncta est Deo, & caro Filij Dei, unde non quidem pro Deo, pro naturâ tamen personaliter unitâ Deo, adeoque pro optimâ, sanctissimâ, & supra omnes creaturas ad summum honoris fastigium evectâ haberi debet. Quia tamen nulla creatura adoranda adoratione soli Deo debitâ, & caro in unione etiam considerata creatura est, semper in cultu Christi Mediatoris *σχέσις* diversa distinguenda est. Hinc distinguunt alii gloriam *divinam*, *humanam*, & *mediatoriam* in Christi cultu.

III. Sed commodissimè tota quæstio expediri potest, si observetur 1. adorationis *objectum* constituendum esse non naturam, sed personam Christi, non carnem Christi, sed Christum incarnatum. Docet id tum *Scriptura Hebr.*1.6. Προσκυνησάτωσαν αὐτῷ (τῷ πρωτοτόκῳ nimirũ de quo immediatè ante sermo) *omnes Angeli Dei:* sic *Phil.*11.10.11. tum *exẽpla* sanctorum, à quibus tantùm adoratus legitur Christus, h.e. suppositum persona, nunquam alterutra naturarum, tum *ratio*, quia actiones & passiones sunt suppositorum, non partium, & terminantur ad supposita. Etsi ergo adoratio feratur *in totam* personam Christi, non tamen fertur eâdem *σχέσει in totum* personæ. v.g. si quis hominem aliquem laudet à prudentiâ, eruditione, totum hominem laudat, propriè tamen illa animi non corporis laus est: sic si quis laudet hominem à robore, formâ, totum hominem laudat, secundùm illam tamen partem cui illa laus competit. Si quis laudet Musicum, quà talem, secundùm utramque partem illum laudat, una laudatione, servata tamen diversâ *σχέσει* ad id quod in Musico ab animâ est, & in id quod in eo est ab organis corporeis. Sic diversa *σχέσις* concipi potest in adoratione. 2. Notandum etiam, etsi natura humana Christi non sit objectum adorationis illius quæ soli Deo debetur, eam tamen non separari ab objecto adorando, adoratur enim Deus manifestatus in carne, adeoque

adeoque non sine carne. Sed distinguendum *suppositum* quod adoratur, *causa propter quam* adoratur, quæ est natura divina, quæ adorabilis *in se*, & *per se*, & à quâ omnis ἀξία, virtus, efficacia officii Mediatorii, & tandem *id sine quo* non adoratur Christus, vel *quod cum eo* adoratur, quod est natura humana, quod quidem in Synodo Ephesinâ sancitum fuit, ut unâ adoratione cum Deitate caro Christi adoretur, unâ scilicet numero, quæ non excludit σχέσιν distinctam. Et hoc est quod veteres *Augustinus*, *Cyrillus*, *Damascenus* alij similitudine terrenâ expressum voluêre, inquientes Regem cum suo diademate, purpura, vestibus adorari, sic Christum cum natura sua humana. Quæ similitudo sobriè accepta, probanda, non vexanda tamen præter mentem Authorum, quasi non alia esset σχέσις naturę humanę ad personam Christi, quàm purpuræ, vel diadematis ad Regem. Imò quia vestis est quid adjacens tantùm, & accidentaliter personæ conjunctum, non pars personæ, natura verò humana pars personę Mediatoris est, filio Dei hypostaticè unita, honor longè alius debetur isti, quàm illi, naturæ enim humanæ Christi per se honor debetur, purpurę per accidens tantùm. Quando verò *Patres* quidam de adoratione carnis interdum loquuntur vel συνεκδοχικῶς loquuntur, intelligendo per carnem Deum incarnatum, vel innuunt Christum non sine carne sua adorari. Aliâs quia caro illa & secundùm se & in unione etiam considerata sẽper creatura est, incapax est cultus soli creatori debiti. De certo modo cõmunicationis proprietatũ essentialium Dei, quem supponunt in natura humana Christi, alibi à nobis Deo favente agetur. Sufficiat notasse, adorationem non esse proprietatem Dei essentialem, quod supponitur à multis 1. tum quia adoratio non est attributum Dei, sed actus hominis, reperitur in homine, exit ab homine, & terminatur ad Deum. Alia ratio proprietatum divinarum. 2 tum quia Deus ab æterno fuit sine adoratione, at non sine proprietate essentiali. Dicendum ergo potius adorabilitatem esse aliquid resultans ex natura divina, & consequens eam, & quidem perpetuum & æternum.

DVBIA LII. LIII. LIV.

LII. Cur munera oblata Christo à Magis? LIII. Cur tria, & aurum thus & myrrha potius quàm alia? *Matth.*II. II. LIV. An singula oblata à singulis?

EXAMEN.

Consuetudo Orientalium. Mandatum divinum. Expositiones allegoricæ inanes circa numerum & qualitatem munerum oblatorum. Salmeronis *argutiæ. Aliorum commenta. Allegoriæ & Tropologiæ an novi sensus. Myrrhæ qualitates. Cur* οἶνος ἐσμυρνισμένος *Christo propinatus?* Abulensis *observatio proba. Allegoriæ duorum generûm. Iudicium Authoris. Harmonia munerum Salomoni & Christo oblatorum.*

I. PRIMO *Dubio* expediendo sufficit *consideratio* gemina. 1. *Consuetudinis Orientalium*, qui non comparebant sine munere coram suis Regibus, & illis, quibus honorem vel debebant, vel habebant. Prius ostenditur exemplo filiorum Iacobi munera ad Iosephum deferentium: *Gen.*XLIII. Posterius exemplo Reginæ Sabæ muneribus Salomonem sibi conciliantis. I.*Reg.* X. 2. *Mandati divini*, non apparebis in conspectu meo vacuus. *Exod.* XXIII. 15. cujus ratio exponitur *Deut.* XVI. 17. *Quisque prout donatum est manui suæ pro benedictione Iehouæ, quâ donavit te afferto.* Quæ lex utut ignota Magis inter populos Orientales inualuerat usu solo & dictamine naturę, numen demerendum esse vel placandum potius muneribus. Hinc offerendi & sacrificandi ritus apud gentes omnes, barbaras etiam

& bru-

& brutas. Sive ergo Magi Christum habuerint pro Rege, sive pro Deo, quod suprà probatum, meritò muneribus ejus gratiam exambiunt. Et sanè gratitudo debebatur & vocanti & illi ad quem vocabantur, ob gratiam illam singularem, tum sideris in æthere, tum astri peculiaris in animis suis accensi.

II. In *secundi Dubij* solutione Interpretes & variè & prolixè partim rhetoricantur, partim philosophantur, luxuriando expositionibus allegoricis æquè ac tropologicis, quarũ pleræque argutæ potius sunt quàm solidæ, & de mente hominum curiosorum potius quàm vel Magorum offerentium, vel Spiritus S. illorum animos ad talia inclinantis. Talia sunt. 1. Frigida *Salmeronis* commenta, quoad *numerum* munerũ, tria munera oblata, quia ternarius sit primus numerus pluralis, binarium enim sive dualem esse infamem. Hunc numerum etiam convenientem esse mysterio S. Trinitatis, substantiæ triplici quę reperiatur in vna hypostasi Christi, item fidei, spei & charitati quibus obtulerint sua munera. Talia quædam *Augustinus* quoque habet. 2. Tria offerenda Deo, corpus, animam, bona: vel fidem, orationem, opera. 3. Tribus muneribus tres orbis partes designari, quod *Ruperto* placuit. 4. *Alii* lepidiùs, sic ostensas esse tres disciplinas Logicam, Physicam & Ethicam Christo subjiciendas. 5. *Alii* triplicem scripturæ sensum per tria munera designatum, Historicum, allegoricum, tropologicum. Atqui allegoria & tropologia veri sensus applicationes potius sunt & dilatationes quædam, quàm sensus diversi. Illa verò omnia tipulâ leviora proponere, confutare est.

III. Circa *qualitates* etiam munerum philosophatum. 1. Christo ut Regi fuisse oblatum aurum, thus vt Deo, myrrham ut homini morituro & resuscitando, adeoque Majestatem, divinitatem, & mortalitatem Domini pręfiguratam. Thus enim esse de libamentis sacrificii *Num.* v. thymiama de thure soli Deo reservatum. Humanitatem etiam Christi myrrhâ condiendam fuisse, ut passuram quidem, sed non obnoxiam futuram putredini, in myrrhâ enim esse amaritudinem & incorruptionem. Hæc Poetarum Christianorum *Prudentii*, *Iuvenci*, *Sedulii* aliorum notis & tritis carminibus celebrata, quæ hic recensere nihil attinet. 2. *Bernhardus* inde elicit morale, terrenæ substantię contemptum pro amore Christi oblatio-

ne auri designari, mortificationem membrorum, myrrhæ, elevationem cordium & supernorum desiderium thuris oblatione. In his consistere vitam Christianam. 3 *Glossa* confundi in thure *Arium*, qui soli Patri velit sacrificari, in myrrhâ *Manichæum* mortem Christi negantem, in auro utrumque. 4. *Alii*, aurum pellendæ paupertati, thus fœtori loci, myrrham consolidandis teneris infantis membris oblata. At quî illis in Oriente in mentem venit fœtor loci? vel cur confingitur Christum in ejusmodi loco adhuc sordido delituisse? quum turbâ censu exacto dilapsâ locus honestior dubio procul Mariæ & Iosepho patuerit? 4. *Alii* ad παιδείαν hæc applicant, *Aurum* offerendum Deo, h.e. eleemosynas *Hebr.* XIII. 16. *Beneficentiæ & communicationis ne obliviscimini. Thus* offerendum h. e. preces. *Statuatur oratio mea ut suffitus coram te, elatio manuum mearum, ut munus vespertinum. Psal.* CXLI. 2. *Myrrham* offerendam h.e. *Spiritum contritum Psal.* LI. 19. corpora nostra, hostiam vivam, &c. Hæ tropologiæ præferendæ allegoriis.

IV. Etsi verò nostrum non est Spiritui S. legem figere, & ejus sensum nostro pede metiri, & concedi potest Magorum animos arcana Dei motione ad hæc potius offerenda quàm alia pellectos fuisse, tamen parum verisimile, Magos de mysteriis illis cogitasse, v.g. de morte Domini, quæ vix discipulis ea de re sæpius à Christo monitis persuaderi potuit. Certum alioquin myrrham corpora à putredine servare, unde *Ioh.* XIX. 39. myrrham adfert Nicodemus ad condiendum Christi corpus. Hunc effectum *Levinus Lemnius* notat herb. Bibl. explicatione *cap.* XXII. *Myrrha quæ ex arbore destillat Terebintho assimili corpora à putredine asseruat.* Vide *Plinium* lib. XII. cap. XV. Sed cur non æquè dicemus per myrrham amaritudines ingentes fuisse designatas, quibus Christus in statu suæ exinanitionis obnoxius fuit, quum myrrha insigniter amara sit, unde non sine causa milites dicuntur exhibuisse Christo οἶνον ἐσμυρνισμένον *vinum myrrhatum. Marc.* XV. 23. Vnde & myrrha Hebræis מור à מרר ab amarore dicta. Sic allegoria duci posset ad insignem Christi fragrantiam ac suaveolentiam, myrrha enim, *Lemnio* teste, *mirè odorata*, etsi insigniter amara. Hinc *madentes myrrhâ crines* apud *Virgilium* Æn. XII. Vnde non tantùm adhibitum ad thymiama sacrum, *Exod.* XXX. 23. Sed & puellæ copulandæ

pulandæ Ahaſvero ſex ante menſibus ſe oleo myrrhino inunxiſſe leguntur. *Eſth.* II. 12. Sic myrrhâ ſponſi veſtimenta inuncta dicuntur *Pſal.*XLV.9. ob odorem fragrantiſſimum,qui non tantùm in Chriſto, ſed & ad omnes ſe diffunditqui illius. Eodem ſenſu myrrhæ mentio in Cantico Canticorum III.6. V.I. Hæc & alia id genus prolixè ex muneribus Chriſto oblatis duci poſſent. Sed obſervandum, quod bene monet *Abulenſis* quæſt. XLVI.non has vel alias id genus cauſasMagos ad offerenda munera illa moviſſe, ſed eſſe applicationes conſuetas Doctoribus. Diſtinguendæ ergo *allegoriæ* ἔμφυτοι à παρεισάκτοις, *innatæ* ab *illatis*. Certum quidem nihil temerè circa Chriſtum Dominum contigiſſe, ſed omnia ſingulari Dei providentiâ directa fuiſſe ad impletionem eorum,quæ prędicta fuerant deChriſto, vel ad deſignationem eorum, quæ ſive perſonam ejus ſive officium concernebant. An quæſo myſteria à nobis quæſita fuiſſent in deſcenſu Chriſti in Ægyptum, in habitatione ejus in Nazareth, in unguenti effuſione quo Chriſtus inunctus? Et tamen omnia illa μυστηριώδη fuêre, quamvis nec Ioſephus, nec Maria, nec mulier illa de his cogitârint. Quia tamen Scriptura S.illa ſic applicat,non iſta,allegorica interpretamenta hîc jucunda eſſe poſſunt, tropologica utilia, certa & ſolida non item,quia humana non divina.

V. Præſtat ergo ſimpliciter dicere, ut munera, ſic illa potius munera quàm alia Chriſto à Magis oblata, non ut ad litteram implerentur quæ *Pſal.*LXXII.15. *Ieſ.*LX. ſed ex conſuetudine gentis, quippe quæ pretioſiſſima & offerri ſolita Magnatibus ab indigenis: Sic Regina Sabæ præter aurum etiam aromata obtulit Salomoni I.*Reg.*X. II.*Paral.*IX. inter aromata verò etiam thus, ut patet ex inſpectione loci *Exod.* XXX. ubi inter aromata,ex quibus cõficiebatur thymiama ſacrum, etiam numeratur thus. Et apud Plutarchum Alexander M. multa myrrhæ talenta dediſſe legitur Leonidæ ne parcius faceret rem divinam. Sic illa etiam inter aromata referri poteſt quæ Salomoni oblata. Vnde datur harmonia egregia munerum typico & myſtico Salomoni exhibitorum. Optima verò offerri ſolita patet ex verbis Iacobi filios in Ægyptum mittentis,& dicentis,*Geneſ.* XLIII.11. *accipite de laudatiſſimis rebus huius regionis in vaſis veſtris, & deferte ad virum illum munus.* Non dubium etiam,quin mune-

rum illorum, auri cumprimis oblatione Deus proſpectum voluerit paupertati parentum Chriſti, ut hoc viatico inſtruerentur ad fugam in AEgyptum commodiùs ſuſcipiendam, prout Deus miraculosè ſuis urgente neceſſitate proſpicere ſolet, quod familiæ Iacobi, Eliæ & aliis id genus exemplis ſatis notum eſt & compertum. Sic etiam Deus Magos Doctores nobis proponit, Chriſto Domino pretioſiſſima quæque offerenda eſſe, imò quicquid in nobis ſpiritus, virium, bonorum.

VI. *Tertiam quæſtionem* quod attinet, oſtenſum *Dubio* XXI. ſatis ſuperque, commentum de tribus Magis nullo niti fundamento in Scripturâ, nec pro numero donorum cenſum capitum ineundum: Sic etiam parum veriſimile videtur, Magorum unum aurum obtuliſſe, alium myrrham, thus alium, dona tam inæqualia, imò exigua præ auro. Probabilius ergo coniunctim illa ab omnibus oblata, quàm ſeparatim à ſingulis. Sed in eo parum ſitum.

DVBIVM LV.

An Magi offerendo, parentes Chriſti accipiendo munera peccârint in legem quæ *Exod.* XXIII. 8. *Deut.* XVI. 19?

EXAMEN.

Δωροδοσία & δωροληψία duplex, licita *&* illicita. *Conditiones utriuſque.* Ἔκθεσις *locorum* Exod. XXIII. 8. Deut. XVI. 9. *& ſolutio quæſtionis.*

I. ITA quidem fanaticis quibuſdam viſum, ſed illatione ineptâ. Diſtinguenda hîc δωροδοσία & δωροληψία, æquè ac προσωποληψία, quædam enim *licita* eſt, quædam *illicita*. Δωροδοσία licita, cujus *principium* bonum, *finis* bonus, *circunſtan-*

cunstantiæ bonæ. *Principium*, debet esse vel amor, vel reverentia, vel gratitudo, ille erga parem, ista erga superiorem, hæc erga inferiorem. *Finis* debet esse vel testificatio sive honoris, sive amoris, vel beneficentia. *Circumstantiæ* possunt considerari tum *ratione subjecti*, persona dans debet esse sui juris, *tum ratione materiæ* sive rei quæ datur, quæ debet esse 1. dantis, non alius, 2. debet esse bona & utilis, tum ἁπλῶς, tum κατά τι respectu illius cui datur, tum *ratione temporis*, quo datur, quod debet esse alienum à suspicione corruptionis. Sic dare munera licitum, sic accipere. Δωροδοκία illicita est, 1. quando *principium* malum v.g. dolus. 2. Quando *finis* malus, v.g. studium corrumpendi alium & pervertendi jus. Huic suspicioni obnoxia tum persona *dans*, quæ litem intentat alii, vel cui lis intentatur, tum persona *accipiens*, quæ publica & Magistratum gerit, idque cumprimis *tempore* suspecto, lite adhuc pendente. Interdum etiam munera vel offeruntur vel dantur cum conditione iniquâ sive expressa, sive implicita, cum stipulatione mali, qualis erat promissio Diaboli. *Matth.* IV. 9. *Hæc omnia tibi dabo*, *si procidens adoraveris me.* Si hæc in *thesi* dicta applicentur ad *hypothesin* præsentem, satis liquebit, nec Magos peccasse munera offerendo, nec parentes Christi illa accipiendo. Nec hîc arietatum in leges allegatas, quæ propriè judicibus latæ, quod patet ex ratione adjecta, *quia munus excæcat videntes*, *& pervertit verba iustorum.* Sic *Deut.* XVI. 19. hæc conjunguntur, *Non inclinabis judicium, non agnosces personam, nec capies munus*, &c. Et ἐξήγησις additur. *Psal.* XV. 5. על נקי *contra innocentem*, quod Iudicibus Israelitarum impactum *Ezech.* XXII. 12. *Hoseæ* IV. 18. *Mich.* III. 11. VII. 3. & alibi passim. Vt ergo προσωποληψία sic δωροληψία distinguenda in licitam & illicitam, judicialem & extrajudicialem, causas legitimas habentem, & illis carentem, cum iniuria alterius conjunctam, vel immunem ab ea. Distinguendæ etiam personæ legibus adstrictæ, & dependentes ab eo qui nullam præter voluntatem suam legem habet, & est αὐτεξούσιος prorsus & independens.

DVBIA LVI. LVII. LVIII. LIX.

LVI. Quid ſit τὸ χρηματίζεσθαι, & quo ſenſu Magi dicantur χρηματισθέντες κατ᾽ ὄναρ *verſu 12?* LVII De variis apparitionum divinarum modis. LVIII. An eſſentia divina poſſit videri? LIX. Cur Deus voluerit ſe hominibus noctu & in ſomno revelare?

EXAMEN.

Vſus verborum χρηματίζειν *&* χρηματίζεσθαι *I. Apud* Scriptores profanos. II. *Apud* ſacros. *Latitudo verbi* χρηματίζειν. *Quid* χρηματίζεσθαι Authori Etymologici, Suidæ, Oecumenio. *Quid* χρηματισμός. *Quid* χρηματίζειν *apud* LXX. *Quid* χρηματίζεσθαι *&* χρηματίζειν *in Novo Teſtamento. Quid* χρηματισμός. *Quæ* ἔκθεσις Syri *Interpretis. Qualis fuerit Dei apparitio exhibita Magis. Varij modi revelationum cœleſtium. Quales apparitiones exhibitæ* vigilantibus I. *per ſigna* interna, *ſive* ſenſibilia, *eaque vel impreſſa, vel expreſſa & ordinata, ſive* intelligibilia. 2. *per* externa, muta, vocalia, miſta. Sortes *quotuplices, & quando adhibitæ. Illuſtratio revelationum* Ier. XIII. Ezech. I. III. IV. X. XL. *Motus corporei in Prophetis. Cur* μάντεις *ſic dicti. Raptus* Pauli *illuſtratus II.*

tus II. Cor. *XII. An Prophetæ omni motu privati. Essentia divina ἀθέατος prorsus & ἀκατάληπτος. Rationes. Objecta non intelligibilia duorum generum. Materia cognitioni adversa.* Cognitio *alia* apprehensiva, *alia* comprehensiva. *Qualis* Mosis *communicatio cum Deo. Quales apparitiones exhibitæ* dormientibus & somniantibus. Aristotelis *opinio rejecta. Cur talibus apparitiones exhibitæ. Rationes ambigendi. Rationes oppositæ* naturales, morales, mysticæ. *Locus* Iesa. VI. 2. *illustratus. Rationes superiores excussæ.*

I. VERBORUM χρηματίζειν & χρηματίζεσθαι vim & usum considerare possumus, vel apud Scriptores *profanos*, vel apud *sacros*. Prius Lexicographi satis superque docent, & inter alios potissimùm Eruditissimi Viri *Budæus* & *Stephanus*: Posterius è LXX. Versione & è Novi Testamenti Scriptoribus eruendum. A profanis Scriptoribus pro latitudine vocum χρῆμα & χρήματα τὸ χρηματίζειν etiam laxè sumitur & ambiguè, interdum pro πραγματεύεσθαι, πράγματα διοικεῖν, *negotiis vel actui rerum vacare*, interdum pro ὁμιλεῖν *conversari*, interdum pro διαλέγεσθαι *colloqui*, interdum pro ἀποκρίνεσθαι, ἀμείβεσθαι *respondere*, interdum pro ὀνομάζεσθαι *nuncupari*, quum vera nomina ab actu rerum quibus aliquis vacat peti debeant, interdum pro χρήματα συλλέγειν *pecunias colligere*. Sic χρηματίζεσθαι vox *media* sumitur interdum *activè* & significat κερδαίνειν, *quæstum facere*, *Suidas* χρήματα πράττεσθαι, χρήματα λαβεῖν, *pecunias parare*, *accipere*, item πλουτεῖν *divitem esse*: *Etymologicum magnum*, χρῆμα πρᾶγμα ἢ κτῆμα. χρηματισάμενοι, διαπραξάμενοι, χρηματίζεσθαι τὸ χρήματα πράττεσθαι. *Suidas* χρηματισάμενοι, πραγματευσάμενοι, χρηματίσαι μὲν ἐστι τὸ πρᾶξαι: interdum *passivè* χρηματίζεσθαι est

χρησμῳδεῖσθαι *oraculo admoneri*, vel *divinitus responsum accipere*; ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἀκούειν, ut vertit *Oecumenius*, *aliquid à Deo audire*. Sic χρηματισμὸς interdum χρημάτων συναγωγὴ vel συλλογὴ, *pecuniæ collectio*, interdum πορισμὸς *quæstus*, interdum τὸ χρησθὲν vel τὰ χρησθέντα *oraculum*, *responsum*, interdum διοίκησις latè, *administratio*, *Suidas* ποιήσασθαι τοὺς χρηματισμοὺς, τουτέστι τὰς διοικήσεις.

II. Apud *Scriptores sacros* reperiuntur etiam verba χρηματίζειν, χρηματίζεσθαι, & nomen χρηματισμὸς. LXX Interpretes τὸ דבר Hebræorum quod etiam διαλέγειν, συλλαλεῖν reddunt per χρηματίζειν *Ier.* XXVI.2. XXX.2. & alibi, item, τὸ הרשיע *Iob.* XL.3. item τὸ שאג quod aliâs ὠρύεσθαι, κράζειν, βοᾷν. *Ier.* XXV.30. Nomen etiam χρηματισμὸς reperitur II. *Macc.* II.4. & oraculum notat vel divinum responsum. In N. Testamento χρηματίζεσθαι 1. significatu à χρηματισμῷ deducto bis reperitur apud Matthæum II.12. & 22. & *Luc.* II.26. *Act.* X.22. sic *Hebr.* VIII.5. XI.7. 2. *Actorum* verò XI.26. χρηματίσαι est ὀνομάζεσθαι, ut & *Rom.* VII.3. *Hebr.* XII.25. χρηματίζειν est simpliciter λαλεῖν. Nomen χρηματισμὸς *Rom.* XI.4. divinum oraculum, vel responsum. *Syrus* vertit τὸ χρηματίζεσθαι per verba *in Ithpehal* אתאמר *dici*, אתחזי, *videri*, apparere, & אתקרי *vocari*. Sic nomen χρηματισμὸς *Syrus* reddit גליגא, quod ἀποκάλυψις *revelatio*, prout vertitur *Luc.* II.32.

III. Si quæratur jam *in hypothesi* quâ ratione Deus se communicaverit Magis, & quomodo illos fuerit allocutus, observandum S. Scripturam non definire expressè modum quî id factum fuerit, utrum *immediatè*, an *mediatè*, dici tamen probabiliter potest, nō tantùm restringi latitudinem χρηματισμοῦ illius per adjectas voces, quod contigerit κατ' ὄναρ, *in somnio*, sed & quod immediatâ potius Dei communicatione contigerit, quàm interventu Angeli cujusdam, ubi enim tale quid intercessit disertè exprimitur, ut *versu* 13. *Angelus Domini* apparuisse dicitur in somnio Iosepho.

IV. Vt verò communicationis hujus ratio, & causa meliùs nobis innotescant, & semel statuamus quæ fuerit natura revelationum cœlestium, observandum, Deum Patribus olim fuisse loquutum non tantùm πολυμερῶς, sed & πολυτρόπως, præcipuos tamen communicationis illius cœlestis modos revocari posse ad certas classes, vel enim illæ factæ *vigilantibus*, vel *dormien-*

mientibus. *Vigilantibus* Deus apparuit vel per *signa externa* extra homines constituta, & illis objecta, vel per *signa interna* illis impressa, idque dupliciter, interdum per *species sensibiles* sive in illorum *phantasiâ de novo productas*, sive *ordinatas* saltem in eâ, interdum per *species intelligibiles* in *intellectu* illorum formatas per simplicem & immediatam intellectus immutationem.

V. *Signa externa* distingui possunt in *muta*, *vocalia*, & *mista* ex utroque genere. *Muta* afficiebant oculos, *vocalia* aures, *mista* & oculos & aures conjunctim. *Muta* signa erant formę vel figuræ sensibiles exhibitæ oculis externis, v.g. colũna nubis & ignis, retrogradatio umbræ in solario Ezechiæ, & alia id genus. Ad hoc genus possumus revocare *sortes divinatorias*, quarum usus vel in *consultationibus*, ad detectionem rei obscuræ, ut in Achane, *Ios*.II. in Saule & Ionathane. I. *Sam*. XIV. 41. in Ionâ, *Ion*.I. vel in *distributione* hæreditatum, cujus exempla libro Iosuæ, vel in *electione*, ut *Act*.I. 26. in Matthiæ vocatione ad Apostolatum.

Vocalia signa vocamus illa quæ se auribus offerebant sine objectis externis visibilibus, sive per voces *immediatè* à Deo formatas, sive *mediatè* interventu Angelorum. Sic v.g. *Num*.VII. Moses ingressus tabernaculum conventus audiebat vocem se alloquentem è Propitiatorio. Sic vox se ingerebat auribus Samuelis I.*Sam*.III. Sic *Ioh*. XII.28. cum diceret Christus, Pater glorifica nomen tuum, venit vox è cœlo dicens, *Et glorificavi, & rursus glorificabo*.

Mista signa vocamus illa quæ afficiebant conjunctim & oculos, & aures. Hujus manifestationis divinæ exempla varia in apparitione rubi ardentis conjunctâ cum voce: in flammâ & terræmotu & vento Eliæ exhibito cum voce. In Angelis, quando illi assumptis corporibus ut *formæ assistentes* ad tempus se manifestabant, usque dum executioni mandassent voluntatem divinam. Tales apparitiones Angelicæ frequenter exhibitæ Patriarchis, Gedeoni, Iosuæ, Manoæ, Prophetis, Danieli, Zachariæ, Mariæ, Philippo, Petro, aliis.

VI. Per *signa interna* etiam se manifestabat Deus interdum *vigilantibus*, quæ illis ipsis impressa erant, quibus revelationes ejusmodi contigêre. Hoc itidem dupliciter factum: I. interdum

per *signa sensibilia* impressa *phantasiæ* & *sensibus internis*. 2. Interdum per *species* prorsus *intelligibiles*. Prius factum, Deo vel phantasiæ imprimente varias species, per quas apprehenderet homo aliquid, quod alioquin non fuisset apprehensurus, vel notiones ejusmodi formante per solam specierum jam in eâ exstantium collustrationem, compositionem, vel divisionem. Huc referri potest revelatio illa de quâ *Ierem.* XIII. de *cingulo* Ieremiæ deposito ad crepidinem Euphratis, & ibi computrescente, quod Propheta rursus assumere & gestare jussus. Quod nonnisi in visione fieri potuit, Hierosolymâ jam obsessâ à Chaldæis, & egressu ac ingressu in urbem intercluso. Talis revelatio de *libro comesto* ab Ezechiele *cap.* III. & *cap.* IV. de mandato incumbendi uni lateri trecentis nonaginta diebus, de comedendo pane cocto cum excrementis humanis. Sic Ezechieli ostensa gloria Dei, templi constructio, alia id genus capitibus I. X. XL. Danieli Monarchiæ, *throni dejecti*, *libri aperti*, *forma judicij*, *Angelorum myriades:* Zachariæ, *equi variegati*, *cornua*, *funis mensorius*, *lychnuchus aureus*, *lucernæ*, *oleæ*, *volumen volans longitudine* XX. *cubitorum*, & *latitudine* X. *cubitorum*, *quatuor currus*, *montes chalybei*. Sic *Michæas* vidit Iehovam insidentem solio, exercitum cœli adstantem, Israelem palantem. Sic *Iohanni* pleraque in Apocalypsi objecta.

VII. Fiebat verò etiam revelatio cœlestis interdum per *formas* seu *species* prorsus *intelligibiles*, sive per solam immutationem intellectus lumine supernaturali excitati & collustrati ad cognoscenda ea, quæ naturaliter cognoscere non poterat. Quod fiebat interdum *sine mutatione* externa corporis, interdum *cum mutatione*, eâque vel *exiguâ*, ut cum *Elisæus* iubet accersi Psalten, & sic sæpe corpora Prophetarum solebant affici, & velut tremore quodam concuti, & in gestus minus compositos prorumpere. Et hoc Diabolus Dei simia imitatus legitur per Pseudoprohetas, ut Mosis miracula per Magos Ægyptios. Hinc μάντεις ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι. Imò in terram sæpe prosternebantur. Hinc *Balaam* se vocat virum cadētem oculis apertis *Num.* XXIV. Interdum verò fiebat ista communicatio cum *ingenti* ecstasi & raptu corporis, cum privatione vel suspensione exercitii, & *sensitivæ* facultatis & *locomotivæ*. Huc referri potest raptus Pauli de quo II. *Cor.* XII. qui nescit an in corpore, an extra corpus

pus

pus raptus fuerit in tertium cœlũ, & ibi audierit verba ineffabilia. *Scholastici* multi post *Augustinum* hanc revelationis speciem *Mosi* & *Paulo* potissimùm obtigisse ajunt, quibus revelata fuerit ipsa Dei essentia, quę ut *maximum intelligibile* ita totos illos occuparit ut nec vlli alii obiecto, nec ulli alii operationi vacare potuerint. Addunt quidam, corpora illa cessasse respirare, & velut cadavera exanima concidisse. Sed quanuis admittamus Prophetas sæpe ingentes mutationes externas passos fuisse in corporibus suis, supponitur tamen, non probatur, illos respiratione omni privatos fuisse, sine quâ animal subsistere nequit. Adde, negari debere, essentiam Dei ab vllo mortalium visam, quũ enim illa ἀθέατος imò ἀκατάληπτος sit, etiam *comprehensoribus* in patriâ constitutis, quî non talis *viatoribus* extra patriam errantibus? *Non potes videre faciem meam*, inquit Deus ad Mosen, *Exod.* XXXIII. 20. *quia non potest me homo videre, & vivere.* Sic Mosi ipsi, cui tamen summus communicationis divinæ gradus obtigit, non faciei divinæ, sed symbolica tantum gloriæ divinæ revelatio contigit, *videbis posteriora mea, facies autem mea videri non potest*, versu ultimo. Essentia divina sanè ex se maximè intelligibilis est, sed humano intellectui ἀκατάληπτος, imò & Angelico. Quum enim intellectio, secundùm Philosophos, fiat per assimilationem potentiæ cognoscentis, & objecti cogniti *in esse intelligibili*, quæ hîc potest dari assimilatio, nisi imperfecta, obscura, in ænigmate? quæ proportio inter subjectum recipiens, & objectum recipiendum, quorum illud infinitum, istud finitum? si oculi nostri ne Soli quidem materiali contuendo sufficiunt, an intellectus Soli illi æterno? Nec malè à *Scholasticis* dictum, quædam objecta non esse intelligibilia *ob suam perfectionem*, quędam *ob suam imperfectionem. Ob perfectionem suam*, ut naturæ abstractæ à materiâ, Deus, Angeli, animæ rationales. Ob *imperfectionem suam*, ut materia prima, privationes, non entia, relationes, & omnia quæ, barbari loquuntur, *debilem habent entitatem.* Et sanè quæ vel à sensibus remota, vel non per propriam speciem iis illabuntur, difficilius comprehenduntur. Adde, materiam obstare cognitioni, ex parte subjecti, & quo magis abstracta natura à materia, eo perfectior ejus intellectio, inde homo plus intelligit brutis, Angeli plus homine, Deus plus Angelis, ídque ἐξαιρέτως. Potest etiam non malè hîc distingui,

inter *cognitionem apprehensivam*, & *comprehensivam:* illâ cognoscitur res, non quantum *ex se* cognoscibilis est *objectivè*, sed quantum cognoscibilis est *subjectivè* sive illius ratione à quo cognoscitur: istâ vreò cognoscitur res quantũ ex se est cognoscibilis. Sic Essentia divina à Mose & Paulo apprehendi potuit, comprehendi non item, quippe quæ ἀκατάληπτος. Imò videtur minimè Mosi ecstasis illa competere, quia inter ὑπεροχὰς Mosis hæc præcipua fuit, colloqui cum Deo *de facie ad faciem*, *ut vir cum amico suo*. Et solus Moses Dei vocem præterquam in publicatione Legis excepit sine consternatione. Supra alios etiam Prophetas & Sacerdotes hoc habuit Moses, quod liberè pro arbitratu suo Sanctum sanctorum ingrederetur, & coràm Deo ibi compareret, Sacerdos verò summus nonnisi semel, quotannis, & cum singulari variarum ceremoniarum apparatu.

VIII. *Dormientes* etiam vel *somniantes* quod attinet, Deus multimodis talibus se manifestavit, vel iis immittendo novas species, vel illas, quæ jam aliunde impressæ erant phantasiæ, agitando, ordinando, componendo vel dividendo, & novo lumine collustrando, hinc fiebat vt dormientes ea quæ Deus ipsis insinuabat æquè firmiter conciperent, ac si vigilantes ea suis oculis fuissent contuiti. Ejusmodi imagines etiam interdum erant *mutæ*, interdum *vocales*, interdum *mistæ*. *Mutæ* v. g. in vaccis & spicis exhibitis Pharaoni, interdum *vocales* v.g. in apparitionibus exhibitis Abimelecho, & Pharaoni tempore Abrahami. Talis etiam videtur fuisse revelatio quæ contigit Magis κατ' ὄναρ. *Mistæ*, v.g. in scalâ exhibitâ Iacobo, in Macedone apparente Paulo *Act*. XVI. *Aristoteles* non putavit somnia aliqua esse θεόπνευστα vel θεόπεμπτα, sed levi de causâ, eò quod malis etiam sæpe & minorum gentium hominibus immittantur, non optimis & sapientissimis. Quasi verò Deo non libera sit optio per quævis instrumenta agendi, quasi humilia non deligantur à Deo ad confundendam Mundi superbiam, quasi malis etiam sive corrigendis sive coercendis talia immitti nequeant.

IX. *Quæri* verò etiam potest, cur Deus & noctu & dormientes sæpè alloqui voluerit, non vigilantes tantùm? cum commmunicatio illa videatur tum obscura admodum, tum incerta, & parum conveniens *primò* dignitati sive revelantis, sive

rerum revelatarum, *secundò* utilitati illius, cui revelantur. Summa quidem hujus rei ratio est voluntas Dei, cui libuit hoc quoque modo se homini communicare. Quâ standum absolutè foret, tametsi τὸ διότι nobis imperveſtigabile foret, & credendum non sine gravi causâ id à Deo factum, quamvis illa nos lateret: sed non desunt rationes appositæ huic quoque communicationis modo vindicando. 1. Certum, tempus nocturnum quieti & silentio destinatum convenientissimum esse revelationi recipiendæ, ubi mens tranquilla magis, animus sedatus magis & compositus, adeoque aptior ad excipiendas notiones rerum spiritualium. In aquâ sedatâ, locus picturæ corporum & objectorum quorumvis, non in turbidâ. 2. Certum etiam, eo tempore animum minus distractum esse & minus divisum varietate objectorum, quibus diversimodè affici solet interdiu. Silentio verò & tenebris noctis in se colligitur, & in se reflectitur animus, adeoque magis sibi & Deo vindicatur, & aptior est excipiendæ revelationi cœlesti, quæ totum hominem, non distractum & divisum exigit. 3. Certum etiam, nocturno tempore objecta omnia majora videri, & mentem iis potentius affici. Exiguus sonus & strepitus major putatur, lux exigua, magna, vox externa ferit aures majore impetu & percellit mentem altius, quàm interdiu. Hoc ipsum itaque tempus magis aptum homini afficiendo & percellendo. 4 Sic Deus voluit etiam docere, nullum esse tempus non aptum meditationibus sacris, vel subducendum Deo. Renes nostros noctu nos debere erudire, in stratis & quiete quoque vacandum cogitationibus sanctis, precibus piis, & contemplationi rerum cœlestium. 5. Sic Deus etiam voluit ostendere, qualem exigat discipulum & Auditorem, compositum nimirum & docilem, non altercantem, replicantem, disputantem, sed excipientem revelationem cœlestem sine contradictione, prout imagines in somno nobis obrepunt, & à nobis excipiuntur sine cōtradictione, altercatione, & pruritu quærendi, disputandi, contendendi. 6. Sic etiam ostensum, Deum nostri rationem habere, etiam tunc, quando nos nostri rationem habere non solemus. Nobis dormientibus etiam Deum adesse affectu, patrocinio, curâ. Illum nostri memorem esse, etiam tunc sæpe quando nos non sumus memores nec Dei, nec nostri, prout Spiritus Dei

irruit in Samſonem dormientem, & ſui incurium, & illum gratiosè commonefecit periculi in quo erat conſtitutus. Idem à Deo Magis & in illorum gratiam præſtitum. 7. Sic etiam demonſtrata Dei potentia, Deum plus poſſe homine, nos non poſſumus loqui niſi homini vigilanti vel experrecto, Deus verò etiam dormienti & ſopito, & manenti in hoc ſtatu: Nec ullum eſſe obſtaculum Deo volenti hominem alloqui, & animo illius imprimere notiones cœleſtes. 8. Revelationes etiam noctu & in tenebris potiſſimùm ſub œconomiâ Veteris Teſtamenti adhibitę leguntur, tempore tenebrarum, & tempore caliginis, *temporibus ignorantiæ*, quando lampades tantùm erant accenſæ in domo Dei, & Deus ſe involvebat nube, adeóque minus patebat hominibus, majore lucis gradu reſervato œconomiæ Novi Teſtamenti & temporibus διορθώσεως. Si id etiam quandoque contigit in Novo Teſtamento, eo ipſo Deus teſtatum voluit omnem cognitionem & revelationem cœleſtem, quæ nobis *viatoribus* in hac vita obtingit, eſſe miſtam tenebris, obſcuram, ſymbolicam, ænigmaticam, præ luce illâ quæ *comprehenſoribus* reſervatur in vitâ futurâ. Velum hîc ſemper interjectum inter Deum & hominem, & lux lucet in tenebris, & oculi noſtri operti ſquamis. 9. Facit id ipſum etiam ad commonefactionem hominis, ut quovis tempore ſibi ſiſtat Deum præſentem: Noctu inter pias cogitationes ſomnum exſpectandum, profanis curis omnibus mentem ſubducendam, nec Deum arcendum, quominus dormientibus quoque ſuaviter & potenter illabatur, & monita ſuggerat ſalutaria homini erudiendo, quod ut Magis hoc loco, ſic multis aliis ſæpe contigit, quibus dormitantibus ejuſmodi quandoque notiones ſuboriuntur, de quibus interdiu ne cogitatur quidem, quæ tamen vtiles illis ſæpe ſunt & ſalutares. 10 Id ipſum etiam referri poteſt ad ſummam illam reverentiam quæ Deo ſe revelanti debetur, ut Seraphim *Eſaiæ* VI. alis tegunt facies ſuas coram Deo inſidente ſolio ſuæ Majeſtatis, non tantùm tegunt pedes ob infirmitatis ſuæ conſcientiam, ſed etiam facies ob Majeſtatis & gloriæ ſummum ſplendorem, quem non irretortis oculis excipere poſſunt, nec totam excipere, ſed partem ſaltem. Sic & homo noctu eruditus à Deo, velut facie tectâ, revelationes cœleſtes excipit. 11. Imò hoc ipſo tempore no-

ctis & somni Deus illabitur homini sine terrore, sine consternatione illâ, quam Dei Majestas extorquet vigilantibus, quos revelationes cœlestes ita percellunt, ut infirmitatis suæ & peccatorum suorum conscientiâ non possint nō graviter affici & commoveri, ubi summa illa Dei Majestas se propiùs illis velut contuendam offert. 12. Adde, sic Deum præludium quoddam dedisse communicationis illius, & modi communicationis, qui locum habet in patria cœlesti, ubi sine voce externâ, & ministerio hominum, immediatè illabetur animis nostris, & se beatis communicabit per meram manifestationem suæ gloriæ. Hæ & aliæ id genus rationes ductæ tum à bonitate, tum à potentiâ revelantis, tum ab utilitate illius cui se revelat huic quoque *Dubio* expediendo sufficere possunt, quamvis summa, ut dictum, ratio in Dei voluntate sit constituenda.

X. Tametsi verò revelatio illa in somno & tempore nocturno obscurior videatur, tamen satis clara fuit & evidens pro gradu lucis quem Deus voluit homini tunc temporis obtingere, imò, ut ostensum, illo ipso tempore potentius afficitur animus hominis quàm interdiu. Nec ob id revelationes cœlestes minus certæ fuêre, imò Deus ita potenter affecit mentes illorum, quibus sic illapsus fuit, ut illi & certò visa apprehenderent, & summâ curâ & solicitudine ad pervestigationem vel executionem rerum revelatarum se accingerent, quod vel sola Pharaonis & Nebucadnezaris exempla docent. Dignitati etiam tum revelantis, tum revelationum, utilitati quoque illorum quibus illæ revelatæ satis superque cautum fuisse modo illo communicationis rationibus suprà expositis prolixè ostensum, quæ sufficere possunt ad ἀνασκευὴν illorum, quæ in ὑποφορᾷ superiore mota fuêre.

DVBIA LX. LXI.

LX. Cur Christo metuenda fuerit ira Herodis? LXI. Cur fugiendum, & cur fugiendum in Ægyptum? *Matth. 11. versu* 13. & 14.

EXAMEN.

Cavilla profanorum ſuper fugâ Chriſti. Miracula conficta. Sozomeni, Hieronymi, *aliorum narrationes. Miracula vana exploſa. Rationes. Cauſæ graves & fugæ Chriſti, & fugæ in Ægyptum. Documenta* myſtica & moralia. *Miracula vera à Spiritu S. hîc indicata. Solutio cavillorum objectorum.*

I. PROFANI quidam hîc ſecundùm *Petri* effatum στρεβλοῦσι τὰς γραφὰς πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν, & in Majeſtatem Chriſti noſtri invadunt, quod & fugâ ſubducendus fuerit iræ hominis, & ſalvandus Salvator, & ſalvandus ab homine, & ſalvandus per ſeceſſum in terram maledictam. Parum enim talia competere illi, qui Deus, qui Salvator, qui perdi non poterat per hominem, qui ętate maturâ demum ex Dei decreto debebat mori ſecundùm Chriſtianos, & non ab Herode ſed à Romanis tolli, qui Herodem ſolio excutere, carnifices ad ſe trucidandum miſſos verbo vel proſternere poterat, vel illorum ferociam in obſequium mutare. Non ergo fugam ſuadendam fuiſſe Ioſepho, ſed fugæ cauſas præcidendas, id enim longè glorioſius futurum fuiſſe Chriſto, & utilius ſive confirmandis parentibus ejus in ſpe conceptâ, ſive aliis ad Chriſtum trahendis.

II. Ita quidem philoſophatur caro, & hæ ſunt argutiæ hominum malè feriatorum, qui ad humana ratiocinia exigunt myſteria Dei. Ne verò talibus offenderentur piorum animi, à multis σοφὸν φάρμακον excogitatum, miracula conficta, prodigia conflata, quæ Chriſti fugam à contemptu vindicarent, & ſi *Sozomeno* credimus libro V. cap. XX. Chriſtus adorationem expreſſit ab arbore, quæ ſe ei tranſeunti depreſſis ramis, & curvato trunco inclinavit Hermopoli civitate Thebaidos. Si aliis, fugæ Chriſti à prædonibus preheñſi vindex intercеſſit Latro ille

converſus

conversus in cruce,& in ejus rei gratiam postmodum liberatus à Christo: si *Hieronymo*, Idola corruêre ad ingressum Christi in Ægyptum in fanis Ægyptiorum, & Majestatem advenientis professa fuêre, ut Dagon olim dignitatem Arcæ Domini. Eo ipso etiam præfiguratam Idolorum ruinam, quæ Evangelio promulgato passim aboleri cœpêre. Sed nihil attinet vanis narrationibus immorari,& miracula gratis cōficta, gratis descripta, gratis credita aucupari. Sunt hæc 1. ἄγραφα & precaria prorsus. 2. ἀντίγραφα, primum enim Christi miraculum & ἀρχὴ τῶν σημείων refertur demum *Ioh.* 11.1. 3. ὕπουλα, quia hausta vel ex lacunis *Alcorani*, ubi gemina his occurrunt, vel ex volumine *Apocrypho* de infantia Christi Servatoris jam olim compilato & à Patribus exploso. 4. ἄλογα, quale cumprimis inclinatio arboris. Corda flexum venit Christus, non truncos vel caudices. An talia prætermissuri fuissent Evangelistæ, qui minora non aspernantur?

III. Alia longè & veriora, & solidiora & utiliora dari possunt fugæ Christi nostri à contemptu omni vindicandæ, & illorum quæstionibus compescendis, qui hîc vel hærent, vel hærendi πρόφασιν quærunt. 1. Fugæ tunc tempus erat, non miraculo, quia tunc *formæ servi* locum esse voluit Dominus, non *formæ Dei*, humilitati non gloriæ. Præcessêre miracula varia circa Christum gesta, an mirum exinanitionis documēta quædam succedere gloriæ antegressæ? 2. Sic maturè erat implenda *Simeonis* prædictio, & Christus Domini in *signū contradictionis* ponendus, & cogitationes multorum detegendæ. 3. Regni Christi natura erat indicanda, quod spirituale, non corporale, internum, non externum, in quo omnia aliena à ratiociniis carnis & sanguinis. 4. Ecclesiæ & fidelium conditio erat repræsentanda in capite, cujus est fugere non fugare, vim pati, non inferre, persecutioni objici, premi, cedere maturè mundo. Ostensum etiam, Ecclesiam in cunis Tyrannorum furori obnoxiam futuram, mulieri fugiendum in solitudinem post partum masculi. 5. Sic gladio fodiendus erat Mariæ animus, fides, spes, patientia parentis utriusque exercenda. 6. Sic documentum datum, fugæ quandoque locum esse, nec alienum esse à Dei filiis fugâ se subducere, ubi id salvâ conscientiâ & officii ratione fieri potest. 7. Miraculis non semper esse locum, nec

media prætermittenda legitima & concessa, quibus fideles periculo se eripere datâ occasione possint. 8. Per instrumenta debilia & infirma saluari sæpe Ecclesiam, & in tuto constitui. 9. In hostico, & media Ægypto, interdum non latere tantùm sed & conservari Ecclesiam. 10. Sic præludium denuò datum, vocationis gentium, Christum relictis Iudæis ad gentes transiturum, Meridiem in qua Ægyptus, æquè ac Orientem, ex quo Magi, ejus imperio cessuram. 11. Sic Prophetiæ Hoseæ etiam non tantùm per fugam, sed & per fugam in Ægyptum locus erat dandus, de quâ in sequentibus. Hæc & alia id genus documenta sufficiunt, ut in ipsâ Domini fuga sapientissimam Dei directionem & contemplemur, & miremur.

IV. An verò sine miraculo, 1. Herodis animum sanguinarium & sub vulpe latentem detegi, antequam in nervum erumpat. 2. Renuntiari ab Angelo Domini insidias nondum structas sed cogitatas tantùm. 3. Non fugam tantùm persuaderi, & quidem in regionem longinquam puerperæ, & puerulo, & fugam in hosticum, extra Dei populum, sed & spem & fidem Iosephi & Mariæ non labefactari. 4. Homines imbelles iram & insidias astutissimi & ad omnia attenti Tyranni elidere potuisse, & molitionibus ejus prævertere. 5. In hostico singulari Dei providentiâ & quidem inter Ægyptios infensissimos populi Dei hostes Ecclesiam receptum habere, ali, conservari, & sic denuò summum Prophetam cibari à corvis, ut Eliam olim. 6. Herodi interitum Christo struenti pereundum fuisse inter immanes cruciatus, & summas animi angustias, Christo salvo. 7. Prædici & promitti Iosepho non tantùm iter tutum, sed & receptum & reditum salvum, Deo spem Iosephi à sua providentia & directione in solidum suspendente, *esto illic usque dum dixero tibi*, versu 13.

V. His omnibus bene expensis concident facile rationes dubitandi & cavillandi, cur tale quid contigerit circa Christum nostrum. Hinc liquebit, 1. Illum subductum fuisse iræ hominis, non ex impotentiâ, sed ex sapientiâ, non ductu necessitatis, sed voluntatis. 2. Non absurdum esse, Salvatori homini formam servi induto, infirmitatum nostrarum ἀδιαβλήτων participi prospectum fuisse non ab homine, sed per hominem. 3. Secessum in terram maledictam ominosum fuisse, & utilem

variis

variis documentis moralibus partim, partim mysticis suprà indicatis. 4. Nec quia Christo non in primo flore ætatis sed ætate maturâ demum occumbendum erat, vel non Herodis sed Iudæorum & Romanorum manu, negligenda erant media conservationis Christi, vel certitudo finis opponenda erat usui mediorum. Volebat enim Deus cōservare Christum, & illum subducere periculo, sed per medium aliquod, & per hoc medium potius quàm per aliud ob rationes indicatas. Sic Christus nec se præcipitem dare voluit è pinnis templi, nec Iudæorum lapides excipere, *Ioh.* VIII. & X. sed se illis subducere, quanvis compertum haberet & vitæ suæ terminum alium esse, & mortis obeundæ modum alium. An mirum ergo & hîc in primâ infantiâ Christum ereptum periculo, & subductum tyrannidi Herodis? Causa prima non opponenda secundis, nec media fini, nec decreto divino officium hominis opponi debet sed subordinari. 5. Ex superioribus etiam liquet, satis illâ ipsâ fugâ tum gloriæ Christi, tum Iosephi & Mariæ consolationi, tum Ecclesiæ Christianæ fidei, spei, utilitati consultum fuisse. *Chrysologus* multa hic exequitur quæ suavia Serm. CL. *Bellicosus quod in bello fugit, artis est non timoris, Deus quando fugit hominem, sacramenti est, non pavoris.* Item, *Christus fugit ut cedat tempori, non Herodi, si Christus mactatus fuisset in grege lactentium, mors ei casus fuerat, non voluntas, non virtus, sed infirmitas, necessitas, non potestas.* Item *Christus fugit ut staret legis veritas, prophetiæ fides, Psalmistæ testimonium. Christus fugit nobis, non sibi.* Sic *Fulgentius* Serm. 5. *Fugit, non formidine humanâ, sed dispensatione divinâ, non necessitate, sed potestate.* Multa alia id genus habent veteres fugæ Christi vindicandæ. Sed hæc ipsa sufficere possunt Lectori & pio & æquo.

DVBIVM LXII.

An oraculum Hoseæ *iure* à Matthæo fuerit relatum ad Christum, *cap.* II. 15. & an ad illum referri vel possit vel debeat?

EXAMEN.

Iudæorum *calumniæ.* Celſi, Porphyrij, Iuliani *cavilla. Objectiones à* verbis *Prophetæ, à* nexu, *ab* authoritate LXX. *& Paraphraſtæ Chaldæi. Obſervatio generalis.* Oracula *quædam* compoſita. *Confeſſio Iudæorum.* P. Galatini *obſervationes. Teſtimonia* Rabbinorum *ſuſpecta. Rationes. Opinio quorundam de ſede loci huius Prophetici. Ejus confutatio. Solutio objectionum. Vindiciæ allegationis Matthæi. Obſervatio frigida* Salmeronis. Hieronymi *judicium de Verſione* LXX. *Axioma* Rabbinicum. *Diverſa ratio typi & antitypi. Expoſitio oraculi.*

I. FAMILIARE eſt Iudæorum Magiſtris quibus Evangeliſtarum noſtrorum ſcripta viſa in illa cumprimis invadere, quæ ex oraculis Propheticis ab illis citata, & ad Chriſtum ſervatorem applicata reperiuntur. Quiritantur hîc ordinariè & ſcopum depravatum, & ſenſum detortum, & verba corrupta, & gentibus illuſum citatione & applicatione Oraculorum ſacrorum. Et ſanè in hoc argumenti genere non deſunt quæ ſpeciosè obtendant coram hominibus vel imperitis, vel minus attentis ſive *ad αὐθεντίαν* & *αὐτοπιστίαν citantium,* ſive *ad rationem citationis.* Imò & Viris eruditis hîc ſæpe crux figitur, & diligenti ſcripturarum συγκρίσει opus ad nodorum diſſolutionem, quos impietas Iudaica nectit in talibus. Nec à *Celſo, Porphyrio, Iuliano* hîc ceſſatum, ſed ſtudiosè congeſta & conquiſita cavilla varia quibus fides Evangeliſtarum ſolicitaretur, religio Chriſtiana convelleretur, animi fidelium labefactarentur, infidelium abſterrerentur à profeſſione Evangelij.

II. Inter

II. Inter alia verò oracula, quæ detorta & corrupta satagunt hostes veritatis, & super quibus dicam scribunt Scriptoribus sacris, hoc *Hoseæ* vaticinium unum è palmariis est, quod mirum in modum ab illis vrgetur, & Matthæus in ejus tum *applicatione*, tum *citatione* reus peragitur, sed gratis & sine iustâ causâ. Quod liquebit Lectori ex confutatione cavillorum Iudaicorum, quibus Evangelistę nostri fides temerè ab hominibus protervis vexatur. Queruntur verò *Iudæi* oraculum hoc perperàm ad *Christum* relatum, & peccatum tum in *subiecto*, tum in *prædicato*, tum in totâ verborum Propheticorum structurâ. 1. In *subjecto*, Prophetam enim loqui manifestè de populo Israelitico, qui vocetur à Deo & בן & נער *filius* & *puer*, *filius* ob fœdus peculiare cum suâ gente initum, *puer*, habitâ ratione temporis quando beneficium à Propheta commemoratum suæ genti obtigit. Causæ ergo nihil esse cur hìc intelligatur Iesus Nazarenus. 2. Sic *in prædicato* sermonem tantùm esse de solenni illo beneficio genti Israeliticæ à Deo collato in eductione ejus ex Ægypto, cùm nihil frequentius apud Prophetas illius commemoratione reperiatur. 3. Addi potest, à LXX. Interpretibus disertè hoc vaticinium ad populum Israeliticum referri, *διότι νήπιος Ισραὴλ κἀγὼ ἠγάπησα αὐτὸν, καὶ ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα* τὰ τέκνα αὐτοῦ, ubi & *Israelis* meminêre αὐτολεξεὶ, & τῶν τέκνων αὐτοῦ collectivè, & satis supérque ostensum eunt hoc à se relatum ad liberationem populi Israelitici ex Ægypto. 4. Adde præteritũ קראתי *vocavi* apud Prophetam reperiri, non *futurum* אקרא *vocabo*, unde sermo esse videtur de actu præterito & antegresso tempora Prophetæ, non de actu futuro & subsequente. Quomodo ergo dici potuit à Matthæo, Christum in Ægyptum secessisse *ἵνα πληρωθῇ ut impleretur* quod à Domino dictum per Prophetam? 5. Imò absurdum videtur, Christum secessisse in Ægyptum, & illic fuisse usq; ab obitum Herodis, ut impleretur vaticinium, *Ex Ægypto vocavi filium meum*, quum illud nec ad ingressum, nec ad moram in Ægypto sed ad egressum potius ex AEgypto pertineat, sermo enim non de introductione vel ingressu, sed de eductione vel evocatione populi ex AEgypto. 6. Adde, Israeli evocato ex AEgypto ibidem objici ingratitudinem. Si ergo hìc intelligendus Iesus Nazarenus, convelletur ejus puritas & innocentia, & labefactabitur fundamen-

tum Christianismi: sin de populo Israelitico hoc prædicatũ sequens sit intelligendum, & antecedens de eo intelligendũ erit, tum quia cohærent, tum quia evidens ex inspectione textus de eodem subjecto loqui Prophetam: commemorationi enim insignis beneficij inde à primordiis suæ gentis illi collati subjicit Propheta immediatè gentis ingratitudinem, quod sacrificârint Baalim, & suffitum fecerint sculptilibus, & tametsi Prophetæ illos vocarent ad obsequium, illi tamen iis non *faciem* obverterint, sed *cervicem*, & spretis omnibus monitis perstiterint in suâ impietate. Sic *versu* 3. eâdem ratione Deus loquitur de populo suo, *Et ego ambulare feci super pedes Ephraim, & non cognoverunt quòd curaverim eos*, cõmemorando beneficium suum & ei subjiciendo maleficium populi. Sic sequentia omnia de populo intelligenda liquet ex inspectione textus. Vnde & Deus illis interminatur *versu* 5. se quidem eos non remissurum in AEgyptum, traditurum tamen gentem Assyriis in pœnam ingratitudinis, quod à plerisque ex Interpretibus etiam admittitur. 7. Sic LXX. *Interpretes* de eodem subjecto constanter interpretantur verba primi & secundi versus, καθὼς μετεκάλεσάμην αὐτά. 8. Sic *Pharaphrastes Chaldæus* verba Hoseæ refert ad populum Israeliticum, & in plurali loquitur de filiis. Ob hæc omnia accusatur Evangelista noster παρερμηνείας & perversæ *applicationis*. His de causis etiam *Porphyrius*, & *Iulianus* perstrinxêre jam olim Matthæum, & vel ἀβλεψίας & oscitantiæ illum reum peregêre, vel, quod gravius, malæ fidei, quod simplicitati gentium citatione ejusmodi Oraculorum illuserit, quibus minus comperta erant scripta Prophetica, & genuinus eorum sensus, quod refert *Hieronymus*.

III. Apud Christianos omnes non opus Apologetico Evangelistæ nostro, quippe qui de ejus αὐθεντίᾳ & αὐτοπιστίᾳ sunt persuasi, & compertum habent, illum actum à Spiritu S. hoc oraculum retulisse ad Christum, & γραφὴν ejus esse θεόπνευστον, quicunque nodi nectantur sive imbecillitati nostræ, sive ignorantiæ. Hostes verò quod attinet Evangelij, illorum etiam protervia facile compesci potest, tum *observatione generali*, tum *confutatione speciali* cavillorum objectorum. *Observatio generalis* est, in scriptis Propheticis occurrere sæpe *oracula composita*, geminam impletionem habentia, unam in *typo*, aliam in *antitypo*, quarum

quarum una non evertit alteram, ſed ducit ad alteram,& completur per alteram. Quam obſervationem Iudæi in multis admittere coguntur,v.g.fatētur multa de *Davide* &cjus regno dici,quæ pertineant etiam ad Meſſiam,& alia id genus de liberatione populi Dei, de exaltatione Hieroſolymæ, litteraliter & hiſtoricè de geſtis in Veteri Teſtamento intelligenda eſſe, & tamen ſimul ad Meſſiæ tempora referenda. Quid ergo obſtat quominus eandem obſervationem applicemus ad *hypotheſin* de quâ agitur? ſaltem fateri cogentur,non abſurdè id fieri,quod ipſi ſæpe faciendum contendunt. In eo ergo tota lis verſatur, utrum id *jure* fiat hoc locò,an ſecus,& utrum aliquid obſtet quominus id fieri poſſit vel debeat. Hominibus itaque æquis ſatisfiet, ſi oſtenſum fuerit, tela in Matthæum noſtrum contorta ficulnea eſſe, nec cavillis illis quicquam promoveri, & ſine ulla abſurditate verba Prophetæ ad Meſſiam noſtrum à Matthæo applicata eſſe. Prætermitto illa quæ *Petrus Galatinus* ex Rabbinis citat ſuper hoc argumento libro VIII. de Arcan. Cathol. Verit.cap.IV. quæ partim longè petita,& cōtorta,partim ſuſpecta. Prioris generis ſunt commentationes Rabbinorum ſuper *vite ex Ægypto tranſlatâ*, ex *Pſalmo* LXXX.9. poſterioris,reſponſum Antonino Conſuli redditum à quodam ex Iudæorum Magiſtris, ideò dici vitem ex Ægypto transferendam, eò quod Herodes Hieroſolymis regnans Meſſiam quęſiturus eſſet ad necem, ille verò revelatione divinâ monendus de fugâ in Ægyptum,ut illic moram aliquam traheret,& poſt in Ieruſalem Dei iuſſu reverteretur. Talia multa quæ à Galatino paſſim referuntur ejuſdem ſunt commatis cum vaticiniis Sibyllarum,quæ profligavimus *Dubio* XXXIV. Nec enim credibile, vel impuris Iudæorum Magiſtris, vel Sathanæ vatibus plus lucis indultum quàm Scriptoribus ſacris, actis à Dei Spiritu. Nec his fulcris opus veritati Chriſtianæ, vel piis id genus fraudibus, quas vocant, propagatio illius ſive quærenda ſive ſperanda. Hæc enim potius ſapiunt artes ſeculi, quàm ſpiritum veritatis.

IV. Prætermitto opinionem illorum quibus præivit *Euſebius Cæſarienſis* libro IV.de Demonſtr. Evang. qui exiſtimarunt hanc Matthæi allegationem referendam eſſe non ad vaticinium Hoſeæ, ſed ad vaticinium Balaami, quod *Numerorum* XXIV.8. *Deus fortis eductor eius ex Ægypto,cuius vires ſimiles mono-*

ceroti, Quum enim Balaam de Christo fuerit vaticinatus, meritò hoc ad Christum à Matthæo referri, ut historicè & litteraliter impletum in evocatione ejus ex Ægypto. Hæc opinio probari nequit. 1. Quia certum, Balaamum ibi loqui de populo Israelitico & beneficio illi præstito in ejus evocatione ex Ægypto, ut patet ex inspectione antecedentium & consequentium, & ex collatione loci paralleli, qui *Num.* XXIII.26. ubi eadem prorsus verba leguntur, nisi quod *affixum plurale* occurrat, quod ostendit de eductione plurium sermonem esse. 2. Adde durum esse, Pseudoprophetam, qualis Balaam, *Prophetam* sine limitatione vocari. 3. Imò verò verba quæ exstant *Numer.* XXIV.8. non conveniunt cum verbis Matthæi, aliud enim est dicere in genere vel indefinitè *Deus eductor ejus ex Ægypto*, aliud ex Ægypto vocavi filium meum, nec sic locum haberent verba Matthæi, ἵνα πληρωθῇ, &c. ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου, quæ cùm planè respondeant verbis Hoseæ, causæ nihil est, cur alibi sedem hujus loci figamus, nec id fieri potest sine absurditate.

V. Objecta verò quod attinet illa facile amoliemur à Matthæo nostro, & demonstratum ibimus nec oscitantię illum reum peragendum, nec malæ fidei. *Ad* I. *Resp.* peccari *Ignoratione Elenchi*, & *falsâ hypothesi*, nec enim vel negatum à Matthæo, vel negari debet, verba illa ad populum etiam Israeliticum suo modo referenda esse. Manet ergo *subjectum* saluum in *typo*, etsi in *antitypo subiectum* aliud substituatur, quippe quod prius non evertit, sed supponit, & illi respondet. Imò de illo potissimùm loquitur Propheta, cui prædicata adjecta maximè conveniunt, 1. Qui potiori titulo *filius*, genitus quippe in *hodie* illo æternitatis, adeoque naturalis non insititius & adoptiuus. 2. Quem Deus majori amore complexus ut ἀπαύγασμα τῆς δόξης, & characterem personæ suæ, an verò dubium Iudæis Messiam Deo gratiorem futurum populo, cum non nisi per illum & propter illum populus Deo gratus esse possit. 3. Sive etiam τὸ נער referamus ad *ætatem*, sive ad *ministerium* utroque sensu ad Christum nostrum aliquatenus referri potest. Sic nihil obstat τὸ בן *collectivè* de populo, *individualiter* & *antonomasticè* de Messiâ intelligi. *Ad* II. *Resp.* Peccari *Elencho à dicto secundum quid*, & *Elencho oppositorum*. Prophetam loqui de

benefi

beneficio liberationis populi ex Ægypto ſecundùm quid, datur, abſolutè, negatur, ſermonem de eo inſtitui, datur, tantùm de eo inſtitui, negatur, nec eductio Meſſiæ noſtri ex Ægypto opponenda liberationi populi, ſed componenda cum eâ ut antitypus reſpondens typo. *Ad* III. *Reſp.* peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. LXX. Interpretum verſionem laudamus in multis, non probamus in omnibus. Nec ſequitur id ſolum verum eſſe, & de mente Prophetarum quod illis viſum. Imò, ut fateri coguntur Iudæi, recedunt illi frequentiſſimè à textu Hebræo, & multa in verſionem illorum irrepsêre aliena à mente ſacrorum Scriptorum. Frigida hic & jejuna cæteroquin obſervatio *Salmeronis*, qui notat ſtudio hîc mutationem introductam à LXX. Interpretibus ad celandum myſterium Trinitatis Ptolomæo Regi. Imò potius dicendum, liberius & licentioſius ab illis multa reddita, vel illos pro בני *filium meum* legiſſe perperam בניו filios ejus. Præſtat verò ſequi contextum Hebraicum, quàm Verſionem nec authenticam, nec reſpondentem ſuo πρωτοτύπῳ. Nec tamen id culpamus in Verſione LXX. quod vaticinium hoc intellexerint de populo Iſraelitico *collectivè*, id tantùm culpandum, quod ad ſolum populum hoc reſtrictum voluerint, & ſine neceſſitate verba Spiritus S. mutaverint. Vnde & *Hieronymus* meritò hîc in illorum ſive oſcitantiam, ſive licẽtiam invehitur, quod vel non aſſecuti fuerint, vel corruperint contextum Hebraicum, niſi potius corruptelę ejuſmodi vel depravatoribus vel deſcriptoribus Verſionis illorum ſint tribuendæ. Vide *Hieron.* in cap. II. Matth. & *in prologo Galeato.* *Ad* 4. *Reſp.* Peccari tum *falsâ hypotheſi*, quaſi non de actu antegreſſo & præterito etiam ſit ſermo, unde meritò adhibitum τὸ קראתי *vocavi* in præterito, tum *elencho conſequentiæ*, quaſi non nota foret *enallage* frequens temporum apud Prophetas, futuri præſertim & præteriti. Nota regula Rabbinorum, *linguam Propheticam loqui de futuro tanquam de præterito*, & *dictum Dei haberi pro facto.* De verbis Matthæi ἵνα πληρωθῇ agetur in ſequentibus, & oſtendetur quo ſenſu illa & accipi ſoleant, & accipi hoc loco debeant. *Ad* 5. peccari *Elencho diviſionis*, quaſi verò cum commemoratione ingreſſus & moræ Meſſiæ in Ægypto non connotetur eductio vel evocatio ejus ex Ægypto, cùm Matthæus non tantùm dicat Meſſiam ſeceſſiſſe in Ægyptum, &

fuisse illic, sed & tempus definiat illius moræ, illum nimirum ibi tantùm futurum, ἕως τῆς τελευτῆς ἡρώδου, usque ad obitum Herodis, quibus demum verbis subjicit, sic impletum fuisse quod ait Dominus per Prophetam. Hæc ergo non dividenda, sed conjungenda. Adde verba ἵνα πληρωθῇ subjici subintellectâ *ellipsi* quæ exprimitur alibi passim, τοῦτο δὲ γέγονε. Cum etiam Christus non natus fuerit in AEgypto, quomodo potuisset compleri vaticinium illud, nisi Christus in AEgyptum concessisset? nec enim inde evocari aliquis potest, quò se non recepit. *Ad 6.* peccatur denuò *falsâ hypothesi*, & *fallaciâ compositionis*. *Falsâ hypothesi*, quasi negetur ἁπλῶς verba antecedentia de populo Israelitico intelligenda esse, contrarium & ostensum & concessum. *Fallaciâ compositionis* verò peccatur, quasi ea quæ connecti debent respectu *typi*, necessariò connectenda forent respectu *antitypi*. Talia verò sunt prædicata qualia à subjectis suis permittuntur. *Typi* verò & *antitypi* ratio diversa, nec quæ conferuntur in uno prędicato, conferuntur in omni, imò non possunt non esse diversa, cum se habeant ut figura & res figurâ designata. Quærenda erga conformitas in *formali* in quo conferuntur, non in *materiali* & ejus appendicibus, in quibus haudquaquam conferuntur. Et in omni collatione typi & antitypi quædam utrique competunt, quædam typo non antitypo, quædam antitypo, non typo. Vnde nunquam quærenda harmonia in omnibus prędicatis, sed in iis tantùm in quibus conferuntur. Quàm solenne etiam Prophetis, jam de typo & antitypo conjunctim loqui, iam separatim, sæpe trãsire à typo ad antitypum, sæpe regredi ab antitypo ad typum. Annon Iudæi fatebuntur multa de Davide dici, quæ tamen non sint referenda ad Messiam, multa de liberatione AEgyptiacâ vel Assyriacâ, quę tamen non pertineant ad liberationem quam exspectant à suo Messiâ? Sic annon *Genes.* III. in maledictione pronuntiatâ serpenti, quædam Diabolo conveniunt, quædam serpenti, illi *ponam inimicitiam inter te & mulierem*, isti *gradieris super ventrem tuum*, *& comedes pulverem*, &c. Damus ergo ultrò, ea quæ habentur versibus sequentibus, expostulatio nimirum Dei cum populo, commemoratio ingratitudinis illius, comminatio de pœnis immittendis & alia id genus tantùm pertinere ad typum, non ad antitypum. His observatis concidunt etiam illa quæ ab *authoritate*

LXX.

LXX. Interpretum & *Ionathanis* objecta fuêre. Studio ab illis discessit Matthæus, Hebraicam veritatem sequutus, ut genuinum Prophetæ sensum de Christo etiam ex Ægypto evocando aperiret. Sufficere ista possunt latratibus *Porphyrii* & *Iuliani* compescendis, qui ipsi non oscitantiæ tantùm & malæ fidei, sed & impietatis & blasphemiæ rei peragendi, quod in sacrum Scriptorem ex merâ proterviâ, & rabie insectandi doctrinam Christianam invecti fuerint.

VI. Concludimus ergo duplex hîc beneficium notari & respectu *typi*, & respectu *antitypi*, unum *affectûs*, alterum *effectûs: Affectûs*, quod Deus dilexerit *Israelem*, cum adhuc *puer* esset, h.e. vel in gentis suæ primordiis constitutus, vel rudis, & omnis dignitatis expers, ob quam Deus ejus rationem haberet potius quàm aliorum populorum, ut principium amoris hujus in solâ Dei εὐδοκίᾳ constitueretur, quod Moses etiam Israelitis sæpe inculcat, cumprimis *Deut.* VII.7. & *Esa.* LI.1. jubens populum respicere ad suam originem, ad *rupem ex quâ excisi sint, & ad cavum foveæ unde effossi sint.* Nec absurdum, connotatam etiam fuisse voce נער conditionem servilem, cui in Ægypto obnoxius erat populus. *Effectus* subjicitur istius *affectûs*, quod Deus populum illum eduxerit ex Ægypto, in signum affectus & amoris singularis. Nec dubium quin phrasi Prophetæ, *ex Ægypto evocavi filium meum* innuatur allusio ad verba Mosis, *Exod.* IV.22. Dices Pharaoni, *sic dicit Iehova, filius meus primogenitus est Israel, dimitte filium meum,* & *Deuter.* I.31. *Portavit te Dominus ut solet homo gestare parvulum filium suum,* &c. Hæc verò quæ ad typum pertinent non obstant, quominus & *affectus* dilectionis, & *effectus* evocationis ex Ægypto ad Messiam quoq; referantur, cui præstita, Dei populo præstita censeri debent. His omnibus satis ostensum, in *applicatione* oraculi hujus Prophetici nec oscitantiâ, nec mala fide à Matthæo peccatum. Reliquum est ut inquiramus penitius in *rationem specialem* hujus citationis & applicationis, tum ob rei ipsius difficultatem, tum ob Interpretum diversas opiniones, tum ad confirmationem assertionis superioris, oraculum istud Propheticum & in *typo* de populo, & in *antitypo* de Messiâ nostro intelligendum esse. *Antitypum* verò in toto hoc argumento, & aliis id genus, mihi, bonâ Lectoris veniâ, cum *Theologis* multis vocare liceat *rem typi*, vel σῶμα oppositum τῇ σκιᾷ, tametsi non ignorem

aliter etiam vocem illam à plurimis accipi. Quanvis enim ἀντίτυπα opponantur τοῖς ἀληθινοῖς *Hebr.* IX. 24. ἀντίτυπον tamen 1.*Petr.*III.21. non videtur designare typum vel figuram respondentem alii typo, sed rem ipsam typo jam olim adumbratam, baptismum nimirum internum.

DVBIVM LXIII.

Quomodo vaticinium Hoseæ à Matthæo relatum fuerit ad Christum Servatorem, *Matth.*II.15. *an in sensu litterali?*

EXAMEN.

Opiniones variæ de modo *applicationis.* Tres *dissentientium* classes, extremæ *duæ*, & *una* media. *Opinio* sextuplex *de applicatione eius* in sensu litterali. I[a] Ruperti. *Eius confutatio. Occasio erroris Ruperti.* II[a] Aliorum. *Eius confutatio.* III[a] Abulensis. *Confutatio illius. Deus solus* operator internus. IV[a] Aliquorum Interpretum. *Eius examen.* V[a] Francisci Iunii, & Piscatoris. *Examen illius.* VI[a] Aliorum Interpretum. *Examen opinionis sextæ. Rationes dissensus.*

I. QVANVIS Catholicus omnium Interpretum Christianorum consensus reperiatur *in re*, jure vaticinium Hoseæ ad Christum relatum fuisse, diversitas tamen & ingens quidem reperitur in *modo rei*, quo sensu applicatio illa & instituta fuerit à Propheta, & à nobis hodieque sit instituenda, utrum in *sensu litterali*, utrum in *sensu mystico*, an verò per *meram allusionem*,

nem, & *sensum*, quem *Scholastici* vocant, *accommodativum*, vel *transsumptivum*. Nec exiguæ videntur necti posse difficultates, quæcunque sententia eligatur. Dispiciendum ergo meritò *de forma & modo* hujus *applicationis* tum veritati sacræ illustrandæ, tum revincendis ulteriùs protervis Iudæorum & aliorum Christi hostium cavillis, ne quicquam moretur Lectorem religiosum & ad talia attentum. Pro Methodi verò nostrę instituto, opiniones potissimas super hoc argumento tum proponemus, tum examinabimus, minus probabilibus rejectis, & retentâ eâ, quæ & Scriptori sacro, & naturæ rei, & stylo Spiritus Sancti convenientior esse comperietur.

II. Opiniones verò præcipuæ Interpretum ad *tres classes* revocari possunt, ad *duas extremas*, & *unam mediam*. *Extremæ* sunt, 1ª illorum qui arbitrantur hoc vaticinium *in sensu litterali* ad solum Christum relatum fuisse. 2ª illorum, qui statuunt illud nonnisi per meram *allusionem*, & *sensum* quem vocant, *accommodativum* vel *transsumptivum* ad Christum Servatorem pertinere. *Media* sententia est, oraculum hoc esse *compositum*, adeoque referendum tum ad populum Israeliticum *typicè*, tum ad Christum Servatorem *mysticè*, utrumque ex intentione Spiritus Sancti. *Primam classem* examinabimus hoc *Dubio*, reliquis reservatis *Dubiis* sequentibus, quò Diatribæ breviores, & clariores sint & gratiores Lectori.

III. Illi verò qui *sensum litteralem* hic quærunt, in varias sententias abeunt, & circa verba Prophetæ diversimodè construenda multimodis occupantur. Et hîc quidem *sex* potissimùm interpretationes diversas mihi observare licuit, quarum aliæ probabiliores aliis. Singulis examen succinctum debetur. Iª *Opinio* est *Ruperti* Abbatis Tuitiensis, qui Commentario in Hoseam arbitratur Prophetam loqui ad litteram de Herode & de Christo. Dici enim versu antecedente, *sicut mane transiit, pertransiisse Regem Israëlis*, vel in aurora succidendo succisum esse Regem Israelis, id est, Herodem, cujus regnum citò finem habuit, subjici postea à Propheta, *quia puer Israel, & dilexi eum, & ex Ægypto vocavi filium meum*. Nullum verò fuisse puerum Deo dilectum nisi Christum ad litteram, quem ex AEgypto mortuo Herode revocârit Dominus. Nec obstare quod in præterito dicat Propheta *Vocavi filium*, quia Prophetam ege-

rit, non Historicum, & enallage hæc illi fit consueta. Hæc *Ruperti* interpretatio tum contorta, tum absurda: *contorta*, quia durum admodum, *Christum* hîc simpliciter vocari *puerum Israelem*, χέσει omni sublatâ ad populum Israeliticum: *absurda*, quia verba ex versu præcedente allegata ad Hoseam Regem Israelis referenda, quem interminatur Propheta & exscindendum, & subitò exscindendum, tunc etiam, quum nova quædam spes populo auroræ instar affulgere videbatur, vel illum subitò instar auroræ majori sideri, Assyriorum nimirum Regi cessurum, & sub adventum ejus protinus dispariturum. Nihil ergo de *Herode* hoc loco à Prophetâ prædictum, nihil de ejus vel apparitione vel excidio. Et errori *Ruperti* causam præbuit vulgata versio, quæ clausulam comminatoriam quâ clauditur caput præcedens perperam retulit ad initium capitis sequentis, quod consolatorium, & alius generis. In eo ipso etiam peccatum à LXX. Interpretibus, & illa connexa, quæ disiungi debent & separari.

IV. II^a Opinio est *Eusebij* Demonstr. Evang. lib. IX. Demonstr. IV. qui alium sensum litteralem hinc exsculpit, & versum antecedentem quem *Rupertus* refert ad Herodem, refert ad Christum vnà cum sequenti, hoc sensu, Deum per Prophetam præmonitum voluisse populum suum, ne Messiæ adventum per incuriam negligeret, sed occasionem suæ salutis cupidè & promptè amplexaretur. Christum enim Regem Israelis, postquam instar auroræ exiguo tẽpore hîc vixisset, & triennio circiter se populo stitisset doctorẽ, statim exscindendum, & quia populus Israel *puer* esset, h.e. imprudens, sui boni ignarus, adventus Messiæ incurius, & conjunctim cum Herode Christi exitium quæreret, Deum in AEgyptum evocasse filium suum, ne imprudens ille populus Christum ante tempus ad necem raptando excideret fructu quem ex eo vel capere debebat, vel exspectare. Tandem verò post Herodis mortem Deum revocasse filium suum ex Ægypto, & illum denuò populo Iudaico stitisse. Sed & hæc interpretatio tum contorta, tum absurda æquè ac superior, 1. Quia succisio Regis de quo loquitur Hoseas comminatoria est, & ad argumentum præcedens pertinet, non ad subsequens. 2. Quia succisio illa ad Deum referenda, non ad populum. 3. Quia populus Israel tunc temporis Messiæ excidium

dium non quæſivit, ſed Herodes tantùm clancularium ſcelus molitus quod Iudæis ipſis infauſtum fuit & funeſtum ob ſtragem editam Bethleemi. 4. Adde poſt ſciſſionem regni,& reditum è Babylone potiſſimùm, Iudæos diſtinctos fuiſſe & re & nomine ab Iſraele,quibus imperavit Herodes, non Iſraeli, maximâ parte decem tribuum nunquam reſtituta libertati ex quo illæ à Salmanaſſare ſub jugum miſſæ, & patriis ſedibus excuſſæ fuêre. Huc accedit quod non ſine abſurditate negari poteſt, verba Prophetæ ad Iſraelem etiam & evocationem ejus ex Ægypto pertinere.

V. IIIª Opinio eſt, *Alphonſi Toſtati*, vulgò *Abulenſis*, qui quæſt. LVII. in Matth. in hac quoque ſententiâ fuit, prophetiam Hoſeæ de Chriſto Servatore *ad litteram* intelligendam, eo quod dicatur compleri per ſeceſſum Chriſti in AEgyptum, ſenſum verò myſticum non fuiſſe de intentione Prophetæ, adeoque non poſſe in eo complementum dictorum à Prophetâ conſtitui. Tunc enim dici impleri Prophetiam quando fit id quod per eam ſignificatur, illud autem ſignificari per Prophetiam, quod per Prophetam intenditur. Addit *Abulenſis*, Theologiam myſticam non arguere, nõ facere ad probationem. Si verò Scriptura aliqua dici poſſit impleri in ſenſu myſtico, futurum ut efficaciter ex eo arguere liceret. Addit, rem non habere niſi unum complementum. Si ergo impleatur Scriptura in ſenſu litterali, illam non implendam in myſtico, ſi in myſtico, non in litterali, in quo tamen ſolo complementum ſit quærendum. Occupat verò nodum *Abulenſis* per πρόληψιν, in ſolo quidem ſenſu litterali Scripturam compleri, nec tamen ſequi Prophetiam illam ita completam fuiſſe in Chriſto, & reſpondet, dicendum eſſe Spiritum S. optimum verborum ſuorum Interpretem eſſe, quum ergo per Matthæum hoc referat ad Chriſtum, ſufficere Chriſtianos de eo perſuaſos eſſe, etſi non poſſimus cogere Iudæos, cum nullam probationem habeamus præterquam applicationem Matthæi. Nec verò neceſſe eſſe probari contrà Iudæos, illud de Chriſto intelligendum, cum in hoc non verſetur aliquis articulus fidei. Hæc *Abulenſis* opinio infirma, infirma etiam fundamenta, quibus nititur, infirma ratiocinatio tota. 1. Quia certum, ut ſuprà oſtenſum, ad litteram Prophetam loqui de populo Iſraelitico. 2. Falſum ſupponitur, Pro-

phetas sæpe non intendere mysticum quid præter sensum litteralem, quod quamplurimis exemplis è Novo Testamento revinci potest, vel Spiritum S. saltem per Prophetas, sive illi semper sensum mysticum assequuti fuerint, sive non. 3 Falsum, etiam, per mysterii alicuius exhibitionem non posse dici compleri Scripturam. 4. Falsum, non posse ex ullo sensu mystico quanvis indicato à Spiritu S. argumentum duci. 5. Falsum, rem vel prædictionem aliquam non habere nisi unum complementum. Ipse *Abulensis* parum sui memor contrarium statuit in exemplis subiectis ex *Exod.* XII. & II *Samuel* VII. & quando ipse addit, istud dictum Hoseæ & de Christo, & de populo Israel intelligẽdum, de utroque etiam in sensu litterali, multa enim esse hujusmodi in S. Scripturâ quæ habent duos sensus litterales, & unum intendere Scripturam magis principaliter, alium minus. 6. Falsum ergo si res impleatur ad literam, non posse impleri in mysterio, & contra. 7. Certum, Spiritum S. esse optimum Interpretem suorum verborum, adeoque meritò ad Christum hoc vaticinium referendum: supponitur verò, non probatur ab *Abulensi*, id ad Christum referendum *in sensu litterali*, quod est τὸ ἀμφισβητούμενον. 8. Falsum, nullam probationem haberi præter Matthæi applicationem illi vindicandæ à Iudæorum cavillis. Contrarium suprà ostensum. Nec verò opus nos cogere Iudęos ad ejus agnitionem, satis ab omni vel oscitantiâ vel malâ fide Evangelista vindicetur, & ita applicatio illius explicetur, ne absurdi quid in ea deprehendi possit. Suadere vera Iudæis hominis est, persuadere, Dei, cui soli *vis vorticordia* propria est, & qui solus est *operator internus*. 9. Falsum etiam, in eo non verti articulum fidei, atqui articulus fidei, vel principium potius fidei nostrę est, Novum Testamentum esse verum, Evangelistas & in historicis fidos, & in applicatione oraculorum sacrorum religiosos fuisse. Nisi vero probemus, meritò tale quid ad Christum applicatum fuisse, concidet αὐθεντία Matthæi, & fides omnium eorum quæ in Evangelio eius reperiuntur, & Iudæis obvium semper erit excipere, depravata & detorta esse oracula prophetica ab eo allegata. Quæ sanè calumnia abstergenda Christianis, sinceritas Scriptoris sacris vindicanda, & amolienda materia scandali.

VI. Subjicit *Abulensis* multa esse huiusmodi in Scripturâ,

quæ duos habeant ſenſus litterales, unum intendere Scripturam magis principaliter, alterum minus. Neminem tamen illorum eſſe myſticum, ut liquet, *Exodi* XII. *Os non comminuetis ex eo.* Illud enim intelligendum eſſe ad litteram & de agno paſchali & de Chriſto. Sic quod dicitur II *Sam.* VII. *ero ei in patrem & erit mihi in filium*, de Salomone ad litteram dici, & tamen idem ad litteram intelligendum eſſe de Chriſto. *Hebr.* I. Sic dictum Hoſeæ intelligi de Chriſto ad litteram, tum quia eſt filius Dei, & magis propriè quidem nobis, qui per creationem & adoptionem tantùm tales ſumus, tum quia vocatus fuit ex Ægypto. In eandem *Abulenſis* opinionem pedibus eunt & *Lyranus* in hunc locum, & *Dionyſius Carthuſianus.* Sed & hoc 1. precarium, unum eundemque locum duos habere ſenſus litterales, contrarium oſtendetur infrà in demonſtratione modi genuini applicationis hujus oraculi. 2. Probatio etiam inconſequens, & exempla illa retorquenda per βίαιον, in illis enim non duplex complementum litterale, ſed unum tantùm nimirum *in typo*, quod reperitur in agno paſchali & Salomone, *myſticum* verò in antitypo, quia & agnus & Salomo typi Meſſiæ fuêre. 3. Vaticinium Hoſeæ de Chriſto intelligendum, datur, *in ſenſu* verò *litterali* de eo intelligendum, negatur ut ex ſequentibus liquebit Lectori attento.

VII. V^a^ *Opinio* eſt multorum aliorum, qui totum verſum primum Hoſeæ de Chriſto litteraliter accipiendum contendunt, nullo modo verò de populo Iſraelitico, hoc ſenſu, quum Chriſtus eſſet infans, vel puer, dilexi eum, & evocavi eum ex Ægypto. Sed huic interpretationi multa obſtant, præcipuè iſta: 1. Mira in eo κατάχρησις, & inuſitata ſacris Scriptoribus, Chriſtum πρώτως & tantùm vocari *puerum Iſrael*, ratione omni *typi* & *antitypi* ſublatâ, nec propria ſignificatione vocis admiſsâ, quæ ſit fundamentum χέσεως ad antitypum. 2. Hiulca redditur oratio prophetæ, & tollitur nexus omnis inter antecedens & conſequens. 3. Iſraeli etiam de quo loquitur Deus exprobrat & beneficia ſua, & ingratitudinem quâ ea excepta. 4. Sic occaſio datur Iudæis paratragœdiandi, à Veritate Evangelicâ abhorrendi, in ſacros Scriptores invehendi, ſi talia negentur, quæ clariſſima & ab illis multimodis probari poſſunt. Sin non negetur de populo quoque intelligendum eſſe hoc

vaticinium, pleraque illorum tela retunduntur, & veritati plana sternitur via.

VIII. V^a Opinio est *Francisci Iunii* Viri Clarissimi qui parallelorum sacrorum libro primo *parallelo* VI. *sensum litteralem* etiam aliis præfert, & statuit utrumque locum & Hoseæ & Matthæi ad unam eandémque Historiam pertinere, citra typum, allegoriam, aut analogiam, unum enim utriusque loci esse finem, summam eandem. Prophetam enim incipere *capite* XI. ad verum Israelem convertere orationem suam, ut partim recordatione beneficiorum Dei, partim judiciorum asperitate, partim misericordiæ divinæ argumentis erigat pios ad exspectationem adventus Christi, in quo & per quem Deus prophetiarum suarum veritatem erat completurus. Reliquiis ergo Israelis hîc Deum spem facere salutis in Christo Iesu, & statuere electas reliquias ex incendio communi eripiendas propter filium suum, & in ipso, 1. ut in capite & primogenito inter multos fratres, à quo in membra sua omnia derivatur vita & salus. 2. ut in filio dilectionis, in quo amor Dei infinitus conquiescit. Hujus autem salutis principia demonstratum iri, quo tempore filius Dei à populo Iudæorum contemptus, & ab Herode infestatus ex Ægypto sit reuocandus, ut opus salutis promissum Ecclesiæ in Iudæâ re ipsâ exequeretur. Sic designasse Prophetam, 1. Salutis fontem & causas, quando dicit, *quia puer Israelis est, & diligo eum*, 2. Signum apparentis & adventantis gratiæ exponi illis verbis, *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Perinde enim esse ac si dixisset Deus, totúmne Israelem perditurus essem, non faciam propter filium meum, nam cum *puer Israelis* sit, id est, *primogenitus*, æternum sacerdotium obiens, (sic enim pueros Israelis dici *Exod.* XXIV.) præterea quum is sit filius meus unigenitus, quanvis Israelitæ è medio sui eum expulerint, & indigni sint quibus exhibeatur gratia, tamen propter electos, & ad salutem illorum filium meum ex Ægypto vocaturus sum, qui ovibus Israelis salutem afferat. Hanc ergo propositionem geminam esse illius quæ legitur *Iohann.* III. 16. ita enim Deum hîc dici dilexisse Israelem, ut filium suum ex Ægypto revocârit, & hunc finem Matthæo propositum fuisse, ut quæ Deus prædixit futura, demonstraret facta. Summam itaque omninò eandem esse. Hanc Eruditissimi Viri interpretationem sequuntur

alii,

alii, eandem se amplecti profitetur *Piscator* Vir CL. in notis ad *versum* 15. hæc nimirum simpliciter & propriè dicta fuisse de Christo. Addit *Piscator*, nomen antecedens filii ex consuetudine Hebræorum postponi, regularem enim verborum collocationem hanc esse, quia filius meus est puer, id est, minister Israelis, h. e. populi Israelitici, idcirco diligo eum, & propter utramque causam vocavi eum ex Ægypto, ut scilicet in patriam reversus & Nazarethi educatus inde prodiret ad prædicandum Evangelium.

IX. Interpretationem verò illam, quod citra obtrectationem & criminationem Eximiorum Virorum dictum sit, acutam potius & ingeniosam esse censemus, quàm solidam. *In genere*, 1. quia hyperbatica nimis est & cōtorta in verbis. 2. Quia est ἀνακόλουθος in sensu & nexu, nec bene cohæret sive cum antecedentibus sive cum consequentibus. Nec enim analysis ingeniosa *Iunii* à transitu post comminationes ad correctionem, à correctione ad concessionem vel contexturæ verborum Scripturæ, vel Lectori attento satisfacere potest, & facile animadvertetur, vim fieri & verbis & rebus. Planior longè analysis, minis propositis subjici commemorationem & beneficiorum Dei & ingratitudinis populi, beneficiorum Dei, quod Deus *Israelem* adhuc *puerum* sive in primordiis suæ gentis constitutum dilexerit, & ex AEgypto eduxerit, illum tamen tanti beneficii immemorem sacrificasse Baalim, & suffitum fecisse sculptilibus. Vtraque verò commemoratio & beneficiorum Dei, & ingratitudinis populi, iustitiam commendat tum minarum Dei, tum pœnarum populo ingrato inflictarum. *In specie*, 1. quia absurdum vocem נער hic ad primogenituram vel ministerium Messiæ tantummodò referri seclusâ litterali expositione, & sublato fundamento applicationis ad antitypum, sine ullâ vel notâ ejus rei, vel necessitate. 4. Quia vox ישראל *Israel* & notâ genitivi ordinariâ destituitur, & nonnisi violenter in generandi casu exponi potest, certum enim & clarum ex inspectione textus vocem בני hîc litteraliter esse prædicatum Israelis, qui vocatur puer habitâ ratione vel ætatis vel ruditatis & imbecillitatis ejus & quem Deus dicitur dilexisse, quum adhuc sive exiguus esset sive rudis, sive propinquus suæ origini. 5. Quia durum est & crudum, sensu plano & litterali pror-

ſus rejecto, ſubintelligere ſine neceſſitate vocem בני *filius meus*, vel eam ex fine verſus retrahere ad initium, præſertim quum ibi non בני occurrat ſed לבני cum *præfixo*. Nihil tale vel LXX. vel *Paraphraſtæ Chaldæo*, vel ulli Interpretum obſervatum, novitatis ergo dica, quæ ſola interpretationi rejiciendæ non ſufficit, conjuncta hoc loco cum dicâ abſurditatis. Et quis mortalium hanc interpretationem ullâ probabilitatis ſpecie Iudæis inſinuârit? quin potius annon hac ratione ſtatim offendentur homines jam ſatis pervicaces, & in pertinaciâ ſuâ confirmabuntur non tantùm à Matthæo detortum fuiſſe vaticinium ſacrum, ſed & novis fidiculis detorqueri ab Interpretibus? 6. Et quæſo, cur correctione illa, quæ affingitur Hoſeæ, mentio facta evocationis potius filii Dei ex AEgypto quàm deſtinationis, vel miſſionis ſimplicis illius in mundum, annon dicendum potius fuiſſet, quia filius meus eſt puer, h.e. primogenitus vel miniſter Iſraelis, idcirco diligo eum, & propter utramque cauſam miſi eum in Mundum, dedi eum Salvatorem populo meo? Evocationis ex AEgypto mentio hîc nec neceſſaria fuiſſet, nec apposita. 7. Annon majori longè veri ſpecie hæc referuntur ad Hiſtoriam, quæ præceſſerat, Deum videlicet exprobrare Iſraelitis beneficium inſigne ex mero amore & miſericordiâ illis præſtitum, eductionem nimirum ſui ex AEgypto tunc peractam cum Iſrael adhuc eſſet *puer*, h.e. in gentis ſuæ primordiis conſtitutus, vel ſui & ſtatus & officii parum gnarus. Hæc ſufficiunt interpretationi illi litterali convellendæ, & veniæ ob diſſenſum impetrandæ.

X. VI[a] Opinio eſt Interpretum plerorumque, quibus accedit etiam CL. *Rivetus* Commentario erudito in Hoſeam, qui ſenſum alium litteralem & proponunt & probant, ſed probabiliorem longè interpretatione *Iunij*, connectendo voces ישראל & נער inter ſe, & ſumendo utramque *in recto*, hoc ſenſu, quia Iſrael meus eſt *puer*, h.e. tenellus, rudis, curæ indigus, tum ignorantiâ puerili laborans, tum imbecillitate, dilexi eum, & ob amorem quo eum complector ex AEgypto vocavi filium meum, illi videlicet docẽdo, regendo, & ad officium revocando, ne defectu rectoris ſe præcipitem det in exitium. Et ſanè vocem נער ita potius accipiendam quàm de miniſterio liquet tum ex conſtructione faciliore & verborum & ſenſus,

ſus, tum ex LXX. Interpretatione, qui נער reddunt hoc loco per *νήπιον*, & appoſitè quidem, qualis *fari nequit*, & ſine periculo ſibi relinqui nequit. Et appoſitè obſervata à CL. *Riveto* *σχέσις* hujus loci ad verba B. Virginis *Luc.* I. 14. ubi idem Iſraeli prædicatum tribuitur, eadem Deo cura circa ejus erectionem & conſervationem. Ἀντελάβετο, inquit *Lucas*, Ἰσραὴλ παιδὸς αὐτοῦ ſuſcepit vel extenſâ quaſi manu prehendit Iſraelem puerum ſuum, hinc *ἀντίληψις* opitulatio miſeris & infirmis præſtita I. *Cor.* XII. 28. Sic Spiritus Dei *συναντιλαμβάνεται* *Rom.* VIII. 26. una ſublevat infirmitates noſtras. Hæc interpretatio & probabilior eſt aliis, & magnos habet Authores, à quibus invitus diſſentio. Interim quædam intercedunt, quominus illi ſubſcribendum cenſeam. 1. Illud כי prophetæ non videtur *αἰτιολογικὸν* eſſe, ſed *σημαντικὸν* tantùm temporis, reddendum per particulam deſignativam temporis, *quum* vel *quando* Iſrael erat *puer* h.e. in tenero ſtatu, in primordiis ſuæ gentis conſtitutus (comparatè nimirum & *σχέσει* habitâ ad tempora hujus revelationis) dilexi eum, & affectum meum effectu inſigni illi ſum conteſtatus, eductione videlicet ejus ex Ægypto. 2. Quia evidens eſt ex inſpectione textus, idem ſuppoſitum in *ſenſu litterali* vocari & נער & בן *puerum*, & *filium*, nec id negari poteſt quin vis aperta fiat verbis Prophetæ. 3. Quia nimis abrupta & conciſa hîc Meſſiæ commemoratio, ſi ſolus Meſſias verbis illis poſtremis intelligendus dicatur, qualis vix alibi reperietur. Finit Propheta per comminationem caput antecedens, ſubjicit commemorationem beneficii in vulgus noti, & quod ſolenne apud Prophetas: & ſtatim *verſu* immediatè ſequenti redit ad exprobrandam populo ingratitudinem, quæſo quî cum antecedentibus & conſequentibus his cohærere poteſt ſola mentio evocationis Meſſiæ ex Ægypto? Omnia verò optimè inter ſe connectentur, ſi ſenſum litteralem de populo Iſraelitico, & beneficio illi exhibito ſimul admittamus. Et quis quæſo mortalium ex Iſraelitis evocationem illam Meſſiæ ex Ægypto animo præcipere poterat, quem credebant omnes vocandum non ex Ægypto, ſed ex Iſraele, vel potius ex Iudâ? Parum ergo veriſimile, nihil aliud Prophetam deſignaſſe his verbis, præter evocationem Meſſiæ ex Ægypto. 4. Sic, longè majori probabilitatis ſpecie ad ſolum Meſſiam referri poſſent verba poſtrema

versus primi, si à Spiritu S. dictum fuisset, quia Israel puer est, dilexi eum, & ei dedi vel misi, vel destinavi filium meum, vel missurus sum ei Servatorem, vel tale quid. Et sanè si Prophetæ fuisset animus tantùm consolatione insigni erigere hoc loco piorum reliquias, petitâ à Messiâ, promissionis potius de eo exhibendo vel exhibitionis ejus actualis mentionem facturus fuisset, quàm evocationis ejus ex Ægypto, quippe quæ nec prævideri poterat à Iudæis, non magis quàm ejus causa, fuga nimirum in Ægyptum, & Tyranni in illum cogitatum scelus. Evocationis etiam ex AEgypto mentio alienior videtur, eo ipso quia non statim ab adventu ex AEgypto se Messias accinxit ad Israelis pueri gubernationem, sed post multorum demum annorum decursum, qui intercessêre ad initium ministerii ejus.

5. Quid planius quoque, quàm Israelem sæpe vocari *puerum*, *filium Dei*, *primogenitum Dei?* *Exod.* IV. 22. *Ierem.* XXXI. 9. Quid frequentius etiam apud Prophetas commemoratione liberationis Ægyptiacæ? Quid convenientius quoque quàm affectui effectum, dilectioni eductionem ex AEgypto subjicere?

6. Adde, hoc ipsum novum & insolubilem quidem nodum objecturum fuisse Iudæis, super ortu Messiæ: quum enim dicatur alibi proditurus ex tribu Iudâ, è radice Iesse, & αὐτολεξεὶ, egressurus Bethleemo, futurus surculus Iesse, & fructus lumborum Davidis, quî quæso hoc conciliari poterat cum evocatione Messiæ ex AEgypto, ab iis qui ignorabant, & non poterant non ignorare fugam Messiæ iam nati in AEgyptum? Quum enim *τὸ vocare* Dei sit efficere, dubium ingens piorum pectora pertentasset, quomodo idem Messias & Bethleemitanus civis, & ex vico illo egressurus esset, & tamen simul evocandus ex AEgypto. Parum ergo verisimile, Deum nihil aliud verbis illis Prophetæ indicatum voluisse. Nihil verò obstat quominus sub cortice beneficii illius externi aliud beneficium à Deo potuerit subindicari, quod suo tempore agnosceretur à populo, ut eius intuitu in agnitione Messiæ, & fide in eum confirmaretur. Hæc & alia id genus me cogunt hîc assensum sustinere, & à Virorum Eruditorum interpretatione discedere, quibus bene expensis constabit, applicationem verborum Prophetæ ad Christum Servatorem *in sensu litterali* haudquaquam intelligendam esse, quod erat ostendendum. Nec tamen pro impietate Iudaicâ

daicâ quicquam hoc loco promoveri demonſtrabitur in ſequentibus, tametſi populus Iſraeliticus & beneficium illi jam olim collatum hîc intelligenda dicantur *in ſenſu litterali,* quod ſatis ſuperque liquebit Lectori ex ἐξηγήσει modi genuini applicationis vaticinii huius Prophetici.

DVBIA LXIV. LXV.

LXIV. An oraculum Hoſeæ à Matthæo relatum fuerit ad Chriſtum in *ſenſu* tantùm *accommodativo,* vel *tranſſumptivo,* & per meram alluſionem? LXV. Cur Chriſtus adeò frequenter uſus fuerit parabolis in Evangelio?

EXAMEN.

Buceri, Merceri, Ianſenii *opinio in* theſi *&* hypotheſi. *Quis ſenſus* accommodatiuus *vel* tranſſumptivus. Ianſenius *à* Ribera *notatus.* Ἐπίκρισις Authoris. *Obſervatio* Iunii. *Quæ proba* Cabbala. *Diſtinctio allegoriæ & parabolæ. Cur Chriſtus* parabolis *frequenter uſus. Cauſæ variæ. Vſus inſignis & multiplex* parabolarum. *An parabolarum obſcuritas cauſa cæcitatis, vel Chriſtus iis utens author incredulitatis?*

I. ICTVM *Dubio* ſuperiori, *tres* opinionum diverſarum *claſſes* reperiri poſſe ſuper hoc argumento, *extremas* duas, unam *mediam. Primæ* claſſis *extremæ* opinio hactenus à nobis diſcuſſa, ſequitur examen *ſecundæ,* oraculum Hoſeæ

nonnisi sensu quem vocant *accommodativo* vel *transsumptivo* & per *meram allusionem* ad Messiam pertinere. Hanc opinionem exequitur prolixè, & propugnat pluribus *Cornelius Iansenius* Episcopus Gaudavensis Commentario in Concord. Evangel. cap. XI. ubi quum in genere disseruisset de modis variis quibus Scriptura dicitur impleri, & inter alios etiam declarasset applicationem interdum fieri per *meram allusionem* vel accōmodationem dictorum sacrorum ad res similes, quibus illa quadrant, addit, sic etiam impletum fuisse in Christo præsens dictum Hoseæ, *Ex Ægypto vocavi filium meum*, non quod peculiare fuerit vaticinium de Christo vocando ex AEgypto, ut illud Micheæ de Christo nasciturо in Bethleem, aut illud Esaiæ de illo nasciturо ex Virgine, sed quòd id quod nominatim fuit scriptum de populo Israelitico, apposite etiam competat in Christum, imò verius & perfectius in eo impleatur, ut qui verior sit Dei filius, à quo alii habent, quod filii Dei censentur. Proinde quod Evangelista dicit *secessit in Ægyptum & fuit illic usque ad obitū Herodis, ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam dicentem*, &c. perinde esse ac si dixisset, ut & de puero Iesu illud Prophetę verificaretur, *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Vt si quis verba faciens de Patre aliquo mirè solicito pro filio diceret, Vidisses eum omnia negligere ut filium præsentem videret, ut impleretur in eo dictum Maronis, *Omnis in Ascanio cari stat cura parentis*. Hujus generis etiam esse quod scribit Matthæus *capite* XIII. in Christo per parabolas alloquente populum impletum fuisse illud *Psal.* LXXIV. *Aperiam in parabolis os meum*, &c. Hoc enim non esse dictum de Christo sed ab Asapho de seipso. Nec dissimile esse dictum Ieremiæ, *Vox in Rama audita est*, &c. Illud tamen animadvertendum notat *Iansenius*, quum Christus fuerit finis legis, & caput sanctorum, ad quem omnia referantur in Scripturis, in eo solo omnia quæ laudi dantur in Scripturâ vera esse, & solida, h. e. impleta, etsi pleraque etiam membris ejus competant, & secundùm primum intentum de eis sint dicta. Hæc interpretatio diu ante *Iansenium* approbatorem habuit *Martinum Bucerum*, Virum eximium, ex quo pleraque hîc transcripsit *Iansenius*. *Franciscus Ribera* Commentario in Hoseam modum hunc applicationis oraculorum sacrorum rejicit, & eo nomine *Iansenium* prolixè flagellat.

II. Ἐπίκειον nostram quod attinet, fatendum *in thesi*, reperiri loca complura S. Scripturæ, quæ impleri dicantur modis à *Iansenio* declaratis, imò quædam etiam *sensu accommodativo* vel *transsumptiuo*, & per meram comparationem rerum similium, qualia sunt illa quæ referuntur *Matth.* XIII. 13. 14. 15. & XV. 7. 8. negandum tamen in *hypothesi* hunc Matthæi locum ex eorum numero esse. Quamvis enim interpretatio illa nec probabilitate careat primo intuitu, nec ratione omni, & suos habeat fautores, inter quos *Mercerus* quoque Vir eximius, qui inquit non novum esse aut insolitum, ubi sunt similes eventus generales sententias ex particularibus fieri, tamen non pauca intercedunt quominus illi subscribendum censeam. 1. Sic nullâ ratione satisfiet Iudæis, semper enim illis non persuasis de αὐθεντίᾳ Matthæi pronum erit regerere, malè & licentiosè hæc ad Christum nostrum applicata fuisse ab Evangelistâ, quum fateri cogantur Christiani hoc ipso applicationis modo, tale quid non fuisse de mente Prophetæ, quippe cui constitutum fuerit istic loci tantùm agere de Israele beneficiis affecto, & ingrato animo ea excipiente. 2. Non videtur convenire hæc interpretatio stylo & verbis Matthæi, qui inquit Christum secessisse in Ægyptum, & fuisse illic usque ad obitum Herodis, *ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam dicentem*, ex Ægypto vocavi filium meum. Vix verò verba illa locum habere possunt, nisi vel Propheta de Christo loqui intenderit, vel Dominus saltem per Prophetam. 3. Loca à *Iansenio* citata ex *Matth.* XIII. & XV. alius generis sunt, & agunt vel de vitiis vel de actibus communibus, ubi eadem ratio plurium ordinariè reperitur. In iis etiam locis evidens ex totâ contexturâ verborum, non posse nisi meram allusionem & accommodationem rei similis intelligi. Alia verò ratio ubi de Messiâ agitur, ad quem alludi tantùm ejusmodi citatione, & præter mentẽ quidem Spiritus Sancti, à ratione omni alienum. 4. Adde, citationes quæ Messiam concernunt studiosè à Matthæo congestas, non illustrationis tantùm gratiâ, sed & probationis, hunc Iesum Nazarenum esse verum Messiam, eò quod ab illo, in illo, & circa illum ea adimpleta legantur, quæ de Messia in Vetere Testamento prædicta fuêre. Vbi verò mera reperitur allusio, mera accommodatio, & quidem præter mentem Spiritus Sancti, ibi

probatio solida locum habere nequit, minus apud illos, qui extra Ecclesiam constituti fidem Matthæi sollicitare studio habēt.
5. Parum conueniens etiam sacro Sciptori, illum relicto vero loci prophetici sensu, allusionem meram captare alienam à mente prophetæ. Imo stylus Euangelistarum alius longè à stylo Prophetarum; iste involutus, ille evolutus; in isto allegoriæ, figuræ, typi, in illo figurarum & typorum declaratio, non nova novarum allusionum seges. Et huc referendum, quod apposìtè notat *Iunius*, Discipulos Christi non fuisse allegoristas, sed veros allegoriarum & typorum veterum *ἀναγωγέας* sive *ἀναλυτὰς*, adeoque injuriam illis fieri, si typos & allegorias veteres novis allegoriis dicantur obruere, & sacratissima Legis & Prophetarum verba in usum illum detorquere, qui sunt solidissimi omnium illorum Interpretes. Et hæc sanè est vera & proba *Cabbala*, quâ Sancti Dei Viri non ex traditione *πατροπαραδότῳ*, nec è Iudæorum lacunis, sed à Deo cœlitus accepêre ut mysticos sensus in Scripturâ latentes & vulgò ignotos singulari Spiritus Sancti ductu eruerent, & Ecclesiæ Christianæ revelarent.

III. Excipi tamen hoc loco potest, frequentissimas allegorias reperiri in Evangelio, & plures quidem quàm in Veteri Testamento, nihil enim familiarius Domino hac docendi ratione, quæ magnam Evangeliorum partem facit. *Resp.* 1. Distinguendam esse *allegoriam* & *parabolam*: *allegoria* enim Scripturæ, (*realis* non *verbalis*, *Theologica*, non *Rhetorica*, de quâ nobis sermo,) versatur in applicatione gestorum Veteris Testamenti ad mysteria Novi, *parabola* in applicatione rei verisimilis non gestæ, sed fictæ, probabilis tamen, ad designationem rei alicuius spiritualis. 2. Notandum, allegorias obscuras esse, parabolas Evangelicas claras & apertas hominibus attentis, & non omninò rudibus, petitas quippe à rebus communibus, & quæ in usu familiari apud omnes, unde parabolæ illæ comparatæ cum vaticiniis Propheticis sunt mera lux. *Inst.* Atqui Discipuli sæpe in parabolarum interpretatione hærent, Dominum rogant, edisserat parabolas. *Resp.* 1. Id quandoque tantùm fieri, non semper, & fieri non vitio *objecti* vel *medii*, sed *subiecti* duntaxat, adeoque obscuritatem non esse in parabolis, sed in tarditate auditorum. 2. Discipulorum intelligentiam & lucem debilem

bilem admodum fuisse & tenuem, singulari Dei dispensatione in primordiis Ecclesiæ Evangelicæ nascentis, antequam potenti Spiritus S. virtute induerentur ex alto in festo Pentecostes. 3. Sufficere, nobis parabolas illas clarissimas esse ob ἐκθέσεις & expositiones illarum, quæ ordinariè attexuntur, & ex quibus alię συγκρίσει diligenti institutâ facillimè erui possunt & exponi. Adde plerumque τῇ προτάσει parabolicæ subjici à Christo Servatore ἀπόδοσιν simplicem & apertam.

IV. Si quæratur verò, cur hoc docendi genere in Evangelicâ œconomiâ voluerit uti Servator? Ejus rei causæ & variæ dari possunt & graves satis, tum à consuetudine gentis, tum ab usu parabolarum multiplici, tum à fine & scopo dicentis, eoque vario. 1. A *consuetudine gentis* Iudaicæ, quippe cui solenne erat parabolis uti, ut Ægyptiis, qui consueverant hieroglyphicis litteris rerum externarum picturam oculis subjicere. 2. Ab usu parabolarum *in declaratione obscurorum*, per illas enim mysteria operta redduntur aperta, quando cœlestia adumbrantur per terrena, spiritualia per corporalia. Hinc fit ut reddantur aliquo modo αἰσθητὰ in aliis quæ vix νοητὰ in sese deprehenduntur ob disproportionem subjecti apprehendentis, & objecti apprehendendi. 3. Ab usu parabolarum *in pulsatione affectuum.* Nec enim major tantùm lux ex parabolis, sed & vehementior motus. Animus quippe noster magis movetur externis, magis afficitur corporeis, magis excitatur terrenis, sive ad desiderium, sive ad aversationem, sive ad amplexationē, sive ad fugam, sive ad gaudium, sive ad mœstitiam, sive ad metum, sive ad spem. 4. Ab usu parabolarum *in firmandâ memoriâ.* Vt facilius excipiuntur notiones externæ, afficiunt potentius, sic hærent altiùs animis, quàm vel præcepta, vel prohibitiones, vel minæ, vel promissa nuda. Et hæc *Hieronymus* confertim innuit in caput XVIII. Matthæi. *Familiare est Syris, & maximè Palæstinis ad omnem Sermonem suum parabolas iungere, ut quod per simplex præceptum teneri ab Auditoribus non potest, per similitudinem exemplúmque teneatur.* 5. Accedit *scopus* varius loquentis, cui accommodæ erant parabolæ, *ex parte suorum*, excitatio, *ex parte hostium*, vel convictio, vel confusio. *Excitatio* ex parte suorum, quia nihil æquè mentem ad quærendum, & cognoscendum inflammat, quàm velum rei alicui ob-

tensum, inde augetur & inflammatur cupido illa pervidendi, quæ velata videntur. *Convictio* ex parte hostium, quam Christus summâ sapientiâ elicit ex ore hostium suorum, seipsos προστάσει admissâ ἀποδόσει insperatâ conficientium, quod liquet ex parabolâ de vineâ *Matth.* XXI. quâ Dominus hostes suos, ut Nathan olim Davidem, Madianitarum instar suo jugulat gladio, iisque omnem contradicendi & se expediendi facultatem tollit. *Confusioni* verò etiam sic locus erat respectu τῶν ἔξω, quibus non datum à Domino nosse mysteria regni cœlorum, & de quibus dictum *iis omnia in parabolis contingere, ut videntes videant, & non cernant, audientes audiant, & non intelligant, ne quando convertantur, & remittantur eis peccata. Marc.* IV. 11. 12. Nec ob id incredulitatis causa Christo ita cum multis agenti affingenda, sive ille in hoc actu consideretur ut αὐτοκράτωρ, sive ut judex, sive quà liber est, sive quà justus. Annon Dominus *gratiæ indebitæ* dispensatione uti poterat pro arbitrio, qui nemini obnoxius? Adde, morbi causam non esse qui morbum non tollit, nec lapsus, qui lapsum non erigit. Imò cum luminis salutaris privationem omnes commeriti fuerint, eo ipso quo illud quibusdam indulgetur, id gratiæ est, quo negatur, αὐτονομίας liberrimæ & juris αὐτοκρατορικοῦ. Et frustrà hîc excipitur, verbi contemptores tantùm à Domino ita tractari, & per accidens quidem, & præter intentionem loquentis. Nam præterquam quod parabolæ communiter propositæ, quî fit quod alij minus sunt contemptores verbi, quàm alii, quum ex se omnes sint in massâ æquali, annon id à *gratia* vel *coercente* tantùm, vel etiam *convertente*? Annon sic omnes excludendi ex æquo forent, quia naturaliter ex æquo omnes verbi contemptores? Absurdum etiam, quicquam fieri per accidens ratione causæ primæ, absurdum quicquam fieri præter intentionem Dei, qui non tantùm prævidet omnia, sed & præordinat, & prævidet quia præordinat, cujus intentio etiam semper & sapientissima & justissima: unde absurdum, statuere Deum vel fine suo excidere, vel finem, quem non assequitur, intendere. Et hæc quidem de parabolis per occasionem interspersa.

Concludimus cæteroquin quæstionem principalem, vaticinium Hoseæ ob rationes allatas, ad Christum Servatorem nec

nec in ſenſu *accommodativo* vel *tranſſumptivo*, ſive à Matthæo relatum, ſive à nobis referendum eſſe. Et ſanè *Ianſenius* ipſe ſolutionis ſuæ incommoda animo præcipiens, *Hieronymi* ſententiam, *typi* rationem animadvertendam eſſe in illâ citatione, non tantùm ſubjicit, ſed & dilatat & applicat. De qua diſpiciendum nobis *Dubio* ſequenti.

DVBIA LXVI. LXVII. LXVIII. LXIX. LXX. LXXI.

LXVI. An vaticinium Hoſeæ à Matthæo fuerit relatum ad Chriſtum *in ſenſu myſtico?* LXVII. An dentur *plures* vnius eiuſdémque loci *ſenſus?* LXVIII. An *ex ſenſu myſtico* poſſit dari ſolida probatio? LXIX. Quæ ſignificatio intendatur πρώτως, quæ δευτέρως in oraculis Sacris *quæ compoſita* vocantur, *litteralis an myſtica?* LXX. Quæ ſit diſtinctio inter *typum, analogiam* & *allegoriam?* LXXI. Quotuplex detur ſignificatio τȣ̃ ἵνα in Scriptura ſacrâ?

EXAMEN.

Applicatio vaticinii Hoſeæ in ſenſu myſtico *probatur. Eius* κατασκευή. Rationes. Analogia *inter* typum & antitypum *multiplex.* Duo *ſæpe iiſdem vel* verbis *vel* rebus *deſignantur. Collatio loci illuſtris* 1. Sam. xx. *cum oraculis compoſitis. Collatio applicationis vaticinij Hoſeæ cum aliis.* Authoritates. Lyrani *obſervatio.* Ανασκευὴ

obiectionum verbalium & realium. *Eadem vox sæpe & collectiuè accepta & individualiter. Cur de futuris ut de præteritis loquatur Scriptura.* Quî plures *eiusdem loci* sensus *dentur, vel non dentur. Distinctiones variæ sensuum. Quis sensus* litteralis, *quis* mysticus. *Consensus* Orthodoxorum *in re. Theologorum* Pontificiorum *errores varij in hoc argumento tum in* dogmatibus, *tum in* praxi. *Sensus* litteralis *non confundēdus cum* historico, *nec* spiritualis *cum* mystico, *nec sensus cum applicatione sensus. Quæ* χέσις *inter* allegoriam, tropologiam, & anagogen. Consectaria *educta à Pontificiis ex pluralitate sensuum* Scripturæ. *Confutatio. An Scriptura S. vel ambigua, vel obscura. Quotuplex* Iudex Controversiarum. *Licentia allegoricarum interpretationum in Ecclesiâ Romanâ. Prohibitio* Concilii Tridentini. *Causa querelæ orthodoxorum. Quî unitas S. Scripturæ consistat cum* sensu litterali & mystico. *Quî & quando* sensus mysticus *etiam* argumentativus. *Quæ significatio* πρώτως *intenta, quæ* δευτέρως *in oraculis compositis.* Distinctiones *variæ.* Prioritas *multiplex, & diversa eius* χέσις. *Examen obiectionis* Franc. Iunij. *Quî cum Iudæis agendum in hoc argumento.* Ὑπεροχὴ *hujus applicationis præ aliis. An populus integer posßit esse typus unius,*

unius, & quomodo. Nullus typus ὁλικός. Quæ distinguenda in parabola *& ejus applicatione. Similitudines. Canon* Lyrani. *Documentum* mysticum *Christi ex Ægypto evocati. Distinctio* analogiæ *&* typi. *Dictinctio* allegoriæ *&* typi. *Fundamentum commune utrique. Duplex allegoria. Duplex* ἵνα *in Scriptura,* ἀιτιολογικὸν *&* ἐκβατικόν. *Exempla.* Abulensis *applicatio. Vera applicatio.*

I. OPINIONE utrâque *classis* utriusque *extremæ* examinatâ, *media* sententia nobis perpendenda venit, utrum nimirum hoc Hoseæ vaticinium ex eorum numero sit, quæ *typica* vel *composita* vocari possunt? quippe quæ geminum complementum habent, unum *litterale* in typo, alterum *mysticum* in antitypo, adeoque utrum illud & *in sensu litterali* de populo Israelitico, & *in sensu mystico* de Christo Servatore intelligendum videatur, & utrumque quidem ex intentione Spiritus S. partim recensentis beneficium præteritum, partim promittentis futurum? Et hæc quidem opinio mihi & probabilior, & reliquis omnibus præferenda videtur. Duo verò hoc loco præstanda: 1. Subjicienda κατασκευὴ hujus opinionis. 2. ἀνασκευὴ objectorum, reverâ enim & confirmatione opus habet, & vindiciis, tum ut Lectori constet cur & quo jure opinionibus aliis præferatur, tum ut ἀποπήματα omnia amoliamur, quibus illa urgeri & vexari posse videtur. Firmamenta verò huic opinioni substernimus duplicia, artificialia, & inartificialia, I° *Rationes.* II° *Testimonia* vel *Authoritates.*

II. *Rationes* sunt, 1. *a verbis & nexu verborum* Prophetæ, quæ clarissimè docent Prophetam etiam loqui de populo Iudaico, & de beneficio illi collato in ejus eductione ex Ægypto. Hoc planè negare, est Prophetæ verbis vim facere, sibi ipsi ultrò oculos configere, & Iudæorum cavillis obnoxiam reddere

veritatem Christianam. II. à *scopo Veteris Testamenti*, & *consuetudine* sacrorum Scriptorum, apud quos Messię persona, tempora Messiæ, ejus officium, beneficia, actiones, passiones & alia id genus frequentissimis typis expressa reperiuntur, quod *Iudæorum* Magistri ipsi non diffitentur, qui sub dictorum & gestorum externorum cortice sæpissimè Messiam designari contendunt. An mirum ergo idem hoc loco factum, & ad Messiam quoque referri, quod jam olim in populo Israelitico adimpletum? An mirum, quod de membris effertur, efferri etiam de capite, & contra quod de capite dicitur, dici etiam de membris? III. Ab *analogiâ* & convenientiâ summâ, quæ hîc inter typum & antitypum reperitur. 1. Populus Israeliticus selectus ex aliis omnibus gẽtibus ad Dei fœdus, revera fuit velut Dei Filius & primogenitus Dei. Messias quoque talis fuit & ἐξαιρέτως quidem ac *antonomasticè*. 2. Israel fugit in Ægyptum: Idem contigit circa Christum. 3. Israel coactus & compulsus in Ægyptum migravit, & ibi exulavit, sic Christus pari ratione, ille fame, iste gladio Herodis, uterque metu mortis, quod bene observavit *Chrysostomus*. 4. Vt circa Israelis migrationem in Ægyptum, & conservationem ejus in Ægypto extraordinaria Dei providentia se exeruit, sic circa fugam Christi. 5. Vt Israel in Ægypto salutem & conservationem externam reperit, sic Christus in eadem regione tutum receptum habuit. 6. Vt per Israelis migrationem in Ægyptum Deus innotuit genti illi, sic dubitari non debet, quin morâ Christi in Ægypto innotuerit Deus Israelis AEgyptiis, vel solius Iosephi & Mariæ præconio. 7. Vt servitus Israelis in Ægypto typus fuit servitutis populi Dei, quam sæpe subire cogitur in hoc mundo, sic & fuga Christi in Ægyptum eandem Ecclesiæ sortem designavit, id commune futurum membris, quod commune fuit capiti. 8. Vt Israel in AEgypto nutritium habuit & propinquum quidem ex suâ gente, sic & Christus Iosephum & Mariam. 9. Vt Israel speciali Dei ductu ex AEgypto evocatus, sic & Christus. 10. Vt Israel substitit in Ægypto donec educeretur à Deo, sic & Christus. 11. Vt Israel eductus per Angelum alloquentem Mosen in rubo, & eum vocantem ad liberationem populi sui, sic Christus Angeli monitu Ægypto excessit. 12. Vt populus post egressum ex Ægypto introductus fuit in terram sanctam, & in ter-
ram

ram quam ante incoluerant Patres ejus, sic & Christus. 13. Vt Israel, sic Christus eductus ex Ægypto rege infanticidâ sublato, Israel sublato Pharaone, Christus sublato Herode. 14. Vt introductio Israelis in AEgyptum, & liberatio ejus ex AEgypto argumentum eximium fuit amoris quo Deus complectebatur populum illum: Ita ex speciali indicio & de fuga in AEgyptum capessenda, & de reditu in Iudæam instituendo amor Dei singularis erga filium documento eximio comprobatus fuit. Hæ & aliæ id genus σχέσεις sufficiunt ostendendæ harmoniæ *typi* & *antitypi*, nec absurdum esse illa inter se comparari, inter quæ analogia reperitur tam egregia, & tam multiplex. Nec tamen illorum sententiam probo, inter quos *Chemnitius* etiam Interpres alioquin eruditus, qui meram hîc analogiam quærunt, ex similitudine capitis & corporis, & illam separant ab intentione Spiritus S. quæ cum eâ conjungenda. III. Probatio etiam duci potest *à locis parallelis* aliis. Si enim absurdum non est alibi loca varia simul de *typo* & *antitypo* intelligi, & geminum complementum habere, *typicum* & *mysticum*, an absurdum idem hoc loco fieri ubi tot σχέσεις evidentes? Exempla verò similia obvia, quod de osse non comminuendo dictum *typicè* respectu *agni paschalis*, illud *mysticè* refertur ad Messiam *Ioh.* XIX. 36. quod de Salomone dictum *typicè*. II. *Sam.* VII. *Ego ero ei in patrem, & ille erit mihi in filium*, refertur ad Christum *mysticè* *Hebr.* I. 5. quod de Isaaco, Ismaele, Sara, Agar, & aliis id genus dictum *typicè*, *mysticè* ad mysteria Novi Testamenti refertur à Spiritu S. Nec absurdè huic rei illustrandæ applicari potest exemplum quod exstat I. *Sam.* XX. non quasi eadem illius sit ratio ἁπλῶς cum σχέσει typi ad antitypum, sed ut aliquâ ratione adumbretur diversa iisdem sive verbis, sive rebus posse designari, & non absurdè aliquid ad duo applicari, vel duo diversa designare, v.g. Ionathan sagittas tres emittens & armigerum suum alloquens ut sagittas illas tolleret, duo designabat, & quod dicebat, & quod intendebat, illud respectu armigeri, istud respectu Davidis. Sic non absurdum Spiritum S. duo sæpe intendisse, unum ad litteram, alterum mysticè, unum in typo, alterum in antitypo. Vt vero Ionathan minus principaliter sagittarum ablationem intendit, magis principaliter id quod significatum volebat Davidi, etsi quoad litteram de sagittis potius

quàm de alia re loqui videretur: sic pari ratione etsi sæpe quoad litteram de hac vel illâ re tantùm loquutus videatur Spiritus Sanctus, tamen aliud quid etiam simul intendere potuit, & primariâ quidem intentione, etsi id obscurum sæpe fuerit Patribus V. Testamenti, ut hoc loco, tum quia innuebatur res futura, tum quia ejusmodi verbis innuebatur, quæ aliò poterant referri. Vt ergo armiger quidem de mente Ionathanis non edoctus alteram verborum significationem haudquaquam intellexit, David verò optimè illam assequutus fuit, sic dubio procul sæpe sancti Dei Viri Evãgelistę & Apostoli acti à Spiritu sancto, & optimè mentem Spiritus S. ignotam aliis hærentibus cortici litteræ, & beneficio jam ante exhibito Israeli, intellexêre, & fideliter eandem expressêre. Vt ergo Hoseas, vel Spiritus S. saltem per Hoseam loquutus sub typo eductionis Israelitarum ex Ægypto simul indicatum voluit mysterium futurum evocationis Messiæ ex Ægypto: Sic *Matthæus* singulari Spiritus S. ductu meritò verba Prophetæ eò retulit, & Christum in Ægyptum secessisse, & illic certo tempore substitisse docet, ut adimpleretur illud etiam quod verbis Prophetæ non dictum tantum fuerat de actu præterito, sed & prædictum de futuro. Sic liquebit & meritò applicata fuisse hæc verba ad Christum, & his verbis applicata à Matthæo. Vt itaque *Iohanni* credimus asserenti prohibitionem de non comminuendis ossibus referendam ad Christum, etsi tantùm ad agnum paschalem pertinere videretur, ut credimus Paulo verba *Ero ei in patrem, & ille mihi erit in filium* Messiæ optimè competere, tametsi de Salomone tantùm dicta viderentur: Sic nihil absurdi si verba Hoseæ quæ de Israele tantùm intelligenda videbantur, ratione beneficij illi jam olim præstiti, *Matthæo* nobis præeunte, ad Christum Servatorem etiam referamus. Et ut significatio mystica de non confringendis ossibus Christi, & σχέσις Dei ad Messiam, Messiæ ad Deum de quâ II. *Sam*. VII. non obstant, quominus complementum litterale utriusque loci admittatur in agno paschali, & Salomone, sic nihil obstat quominus hæc Hoseæ verba & ad populum Israeliticum, & beneficium ei præstitum, & ad Messiam & evocationem eius ex Ægypto conjunctim referantur. Et sanè potiori iure impleta fuit in hoc ipso Scriptura, quia Christus & potiori ratione filius, & potiori ratione & modo dilectus à Deo fuit.

III. Si

III. Si argumento etiam inartificiali & *authoritate* ſit pugnandum, in hanc ſententiam pedibus eunt è veteribus *Hieronymus* in caput 11. Matthæi & in *Hoſeam* cap. xi. & *Theophylactus*. Accedunt *Dionyſius Carthuſianus*, *Lyranus*, & Eximii Viri è noſtris *Oecolampadius*, & *Pareus*, è Pontificiis, *Maldonatus*, *Emanuel Sa*, *Franciſcus Ribera*, aliique complures, etſi *Ribera* perperam confundat allegoriam cum typo. *Lyranus* etiam non male notat prologo primo Bibliorum, librum hunc habere hoc ſpeciale, quod Deus ejus Author non tantùm utatur *vocibus* ad aliquid ſignificandum quod ad homines faciat, ſed etiam utatur *rebus* ſignificatis per voces ad ſignificandum res alias. Vnde commune eſſe omnibus libris, quod voces aliquid ſignificent, ſed ſpeciale eſſe huic libro, quod res ſignificatæ per voces aliud ſignificent. A ſignificatione quæ *per voces* accipi ſenſum litteralem vel hiſtoricum, à ſignificatione verò quæ eſt *per res* accipi ſenſum myſticum ſeu ſpiritualem.

IV. Κατασκευῇ hujus opinionis ita præmiſsâ, reſtat ut illam vindicemus ab objectionibus, & incommodis quibus urgeri ſolet, ne quicquam moretur Lectorem attentum. Obiectiones illas diſtinguere poſſumus in *verbales*, & *reales*, quædam enim à verbis Prophetæ ducuntur, quædam à naturâ rerum. *Verbales* ſunt, 1. abſurdè τὸ לבני ſimul ſumi partim *collectivè* ratione populi, partim *individualiter* ratione Meſſiæ. 2. Verbum קראתי apud Prophetam actum præteritum notare, non futurum. *Reſp.* ad 1um. Illud nec novum eſſe, nec abſurdum, annon v.g. prima promiſſio de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis *individualiter*, *antonomaſticè* & ἐξαιρέτως intelligenda de Chriſto Servatore, & tamen *collective* ſimul de corpore ejus, quod Eccleſia? Ad 11um *Reſp.* 1. Nihil frequentius eſſe *enallage* futurorum & præteritorum apud Hebræos, quod pueris notum. 2. Nihil obſtare idem verbum aliter ſumi *hiſtoricè*, aliter *prophetice*, aliter *de actu præterito*, aliter *de futuro*. 3. Adde, prædicata limitari à ſuis ſubiectis, & talia eſſe *qualia ab illis permittuntur*, ut loquuntur Scholæ. 4. Imò verò τὸ קראתי meritò ad utrumque actum refertur habitâ ratione Spiritus S. loquentis, cui futura etiam præſentia ſunt, apud quem dicta æquipollent factis, decreta & deſtinata executioni mandatis. Imò & Prophetis ita certa erant à ſe prædicta,

SSſ

ac si jam actu ipso fuissent adimpleta, unde frequentissimè de
futuris loquuntur ac de præteritis. An mirum ergo vel insolens
id hoc quoque loco fieri?

V. *Objectiones reales* moveri possunt vel *generales*, vel *spe-
ciales*. *Generales* sunt, sic plures unius eiusdémque loci sensus
constitui, id verò contrarium videri tum *Theologorum Orthodo-
xorum* sententiæ, tum *rationi*: illi, quia idem dogma oppugna-
tum eunt Evangelici in Interpretibus Pontificiis, isti, tum quia
Scriptura S. unam tantùm formam habet, ergo & unum tan-
tùm sensum, tum quia non enuntiatio sed enuntiationes dan-
tur, ubi non unum sed plura enuntiantur, quum unum & verum
inter se convertantur, tum quia sic Scriptura S. redditur ἀμφι-
δέξιος, ἀμφίλεξος, æquiuoca, obscura, incerta, tum quia hac ra-
tione laxatur fibula prurigini humanæ, Scripturam S. torquen-
di, & quælibet ducendi ex quibuslibet. *Resp.* 1. Distinguen-
dos esse *sensus* Scripturæ γνησίους & παρεισάκτους, οἰκείους & ἐξωτι-
κοὺς, divinos & humanos, innatos ab illatis, in Scripturâ exstan-
tes ab infartis in Scripturam, sibi invicem respondentes, & ad
se mutuo sub certâ σχέσει ordinatos, ab illis inter quos nullus
ejusmodi ordo, nulla σχέσις. Priori ratione plures possunt re-
periri eiusdem loci sensus, non posteriori, nec omnium loco-
rum, sed illorum tantùm, ubi Spiritus S. plures nobis edisserit.
2. Distinguendi etiam *sensus* aliâ ratione, nam plures unius e-
iusdemque loci sensus constitui intelliguntur vel *unius generis*,
v.g. plures litterales, vel *diversi generis* v.g. litteralis & mysti-
cus: prius absurdum ob rationes allatas, posterius nõ item, quod
probari potest tum *ratione*, tum *exemplis*, idque ἀναντιῤῥήτως. Ne-
gari nequit, illum esse sensum Scripturæ quem Spiritus S. ejus
Author proponit, quem Scriptores θεόπνευστοι & eo ipso
αὐτόπιστοι declarant. Atqui præter sensum litteralem mysti-
cus à Spiritu S. & amanuensibus eius frequentissimè propo-
nitur in N. Testamento, v.g. in exemplo de non comminuen-
dis *ossibus* agni paschalis, in verbis, *Ero ei in patrem, & erit mihi
in filium*, in *Melchisedecho*, in *uxoribus Abrahæ*, in *æneo serpente*, in
coniunctione Adami & Evæ, in *Ionâ*, *mari rubro*, *manna*, *sacrificiis* &
ritibus Veteris pædagogiæ, & aliis id genus. Duplex ergo ibi
sensus intentus à Spiritu S. *litteralis* in typo, & *mysticus* in anti-
typo. *Inst.* Atqui uterque litteralis videtur, adeoque duplex

dabitur ſenſus litteralis, ut enim v.g. litteraliter non comminuta fuêre oſſa agni paſchalis, ſic nec Chriſti. *Reſp.* De verbis non eſſe litigandum, modò conſtet de re. Interim tamen peccari *Elencho malæ definitionis*, nec enim *ſenſus litteralis* eſt, quem verba quoquo modo exprimunt, ſed quem verba ſive propria, ſive tropica exprimunt *proximè & immediatè ex intentione dicentis*, quæ neceſſariò attendenda, ne in loquutionibus tropicis hæreatur nudis verbis. Sic *ſenſus myſticus* eſt qui non tam ſignificatur per verba, quàm per res verbis deſignatas, ſive qui *mediatè* tantùm reſultat ex intentione dicentis, & ad myſterium aliquod declarandum ſecundariò demum & mediante alio refertur. Vnde liquet prohibitionem illam de non comminuendis oſſibus *in ſenſu litterali* de agno paſchali, *in myſtico* verò de Meſſiâ intelligendam eſſe.

VI. Sic verò explicato *ſenſu* utroque tum *litterali*, tum *myſtico*, neuter à Theologis Orthodoxis rejicitur, ſed unanimi conſenſu admittitur, ſive αὐτολεξεὶ, ſive κατ᾽ ἰσοδυναμίαν. Tametſi enim quidam unum tantùm & ſimplicem locorum Scripturæ ſenſum agnoſcant, tamen id urgent tantùm in locis illis ubi Spiritus S. nullum myſterium nobis inveſtigandum proponit. Adde, illos ipſos, qui unum tantùm ſenſum vrgent, fateri illum quandoque eſſe *compoſitum*, & referendum partim ad typum, partim ad antitypum, quod eodem recidit κατὰ τὸ πρᾶγμα cum ſenſu duplici *litterali & myſtico*, quanvis diverſum quid docere videantur κατὰ τὸ γράμμα. Quæcunque ergo hîc diverſitas, in verbis illa eſt, non in re. *Pontificios* etiam Theologos Orthodoxi omnes cõjunctim meritò ſuper hoc argumento variorum errorum reos peragunt. I. *In dogmatibus.* II. *In praxi. In dogmatibus*, 1. Quia multi ex illis è ſingulis locis Biblicis varios ſenſus exſculpendos contendunt: Nos verò ſenſum myſticum præter litteralem nonniſi ibi quærendum cenſemus, ubi ille à Spiritu S. indicatur. 2. Quia confundunt ſenſum litteralem cum hiſtorico, ſpiritualem cum myſtico tanquam ἰσοδύναμα planè & κατὰ παντὸς. Atqui ſenſus myſticus etiam poteſt eſſe aliquo modo hiſtoricus, ut hoc loco Hoſeæ, & in hiſtoriâ paſſionis Chriſti, de quo hiſtoricè etiam dictum, illius oſſa non fuiſſe comminuta. Sic ſenſus litteralis non contradiſtinguendus ſpirituali, quia & ille ſpiritualis eſt in Scripturâ S. tum

originaliter, tum *obiectivè*, tum *terminativè*. 3. Quia confundunt sensum Scripturæ cum applicatione sensus, & accommodatione ejus ad usus Apostolicos, qui sunt διδασκαλία, παιδεία, ἐπανόρθωσις, παράκλησις, & ἔλεγχος, II. *Tim.* III. 16. dum vel cum litterali & mystico sensus alios introducunt, vel mysticum subdividunt in *allegoricum*, *tropologicũ*, & *anagogicum*, & totidem diversos sensus in Scripturâ dari contendunt confundendo heterogenea, sensum, & applicationem sensus. 4. Quia peccant in hac ipsâ divisione *Elencho malæ divisionis*, membra enim illius non sunt ἀντιδιῃρημένα, sed coincidunt, & *allegoricus* sensus sub se continet *tropologicum* & *anagogicum*, quum allegoria sit nomen commune & tropologiæ & anagoge, in quâ utraque convenit, discrimine tantùm manente in *materiali*, sive in naturâ rei ad quam verba Scripturæ applicantur. 5. Quia multi ex Pontificiis iisdem locis multos sensus litterales affingunt, & sic fundamentum substernunt variis dogmatibus heterodoxis, 1° S. Scripturam non posse non obscuram esse, quippe variis sensibus refertam, qui in eâ lateant, & ex eâ sint eruendi. 2°. Scripturam non posse se ipsam interpretari, & ostendere qui sensus sit præferendus aliis. 3°. Opus esse Iudice veri sensus & externo quidem qui hîc sententiam ferat, & litem inter plures de sensu Scripturæ motam decidat. Quæ omnia examinare non est hujus loci. Sufficit notasse ἐν παρόδῳ, 1. obscuritatem S. Scripturæ impingi non posse, quin illa arguatur mendacii, quippe quæ se claram profitetur, tum *formaliter*, tum *effectivè* luminosam & illuminantem, & quin ipsi hyperaspistæ Romanæ Ecclesiæ causâ cadant, qui contendunt dogmata sua, plurima saltem, clarè è Scripturâ probari posse. Atqui sic dogmata præcipua de infallibilitate Ecclesiæ, de primatu Petri, de successione Pontificis Romani, de transsubstantiatione & alia id genus nonnisi obscurè in Scripturâ obscurâ reperientur. In talibus sanè asserendis Scripturam obscuram fatemur, in negandis & revincendis tamen, claram. 2. Si S. Scriptura seipsam interpretari nequeat, sequetur, malè Christum, Evangelistas, Apostolos Scripturam per Scripturam fuisse interpretatos, sequitur Spiritum S. non esse optimum Interpretem suorum verborum, & Pontificios Interpretes plerosque graviter impingere, quando Scripturam interpretantur per Scripturam. 3. Concedimus

cedimus ultrò Iudicem Cõtroverſiarum exigi,ſed & aſſerimus dari,non tantum *αὐτοκρατορικὸν*, videlicet Spiritum S. & *κανονικὸν*, videlicet Scripturam, ſed & *λειτουργικὸν* vel *ὑπουργικὸν* vel *ὀργανικὸν* externum,videlicet Eccleſiam,ſed negamus vel omnem Eccleſiam talem eſſe,ſed veram tantum,vel Eccleſiam eſſe quæ ſe jactat talem, vel Romanam cumprimis , quæ in jus vocatur, eſſe vel *judicem cõſtituendi Canonis*,vel *interpretem* eius *exponendi*, *αὐτεξούσιον*,vel *ἀδέσποτον*, *αὐτόπιστον*,*ἀνυπεύθυνον* & *ἀναμάρτητον* , ſed *ὑπεξούσιον* & adſtrictum ad Legem: ſed de hoc argumento alibi prolixiùs & accuratiùs , ne *Digreſſione* prolixiore abducamur à ſcopo & *hypotheſi* noſtrâ.

VII. In *praxi* verò etiam multimodis hîc peccatur à Theologis Romanenſibus , quo nomine quoque meritò à Doctoribus Orthodoxis perſtringuntur, quia totam Scripturam licentioſis interpretamentis in allegorias meras transformant, centones & ſcurriles,& profanos ex eâ ſæpe texunt , & ſuas cathedras, ſua ſcripta exegetica , homeletica, parænetica & alia quævis ſeraphicis id genus ſpeculationibus farciunt , quæ Majeſtatem Dei temerant , Scripturæ dignitatem proſtituunt, & Religionem Chriſtianam infamant. Nec inde à ſanctione *Concilij Tridentini* talia prohibentis *Seſſ.*IV. vel ob ejus reverentiam S.Scripturæ parſum , vel allegoriarum luxurie recisâ Dei verbum religiosâ ſimplicitate tractatum , ſed magis luxuriatum , omnia in allegorias converſa, in hoc muſtaceo laureola quæſita , & ſimplex Scripturæ S. expoſitio ut abjecta nimis & plebeja exploſa. Videantur *Menoti*,*Maillardi* & aliorum id genus Demagogorum conciones , imò plerorumque meditationes, qui Cathedram conſcendunt & ſuas Conciones vulgant, & liquebit vix à Cabbalâ Iudaicâ in hoc genere licentioſius peccatum fuiſſe. Quod non exagitandis perſonis , ſed vitio ſolenni deplorando,ſimplicitati S.Scripturæ aſſerendæ,veritati vindicandæ, & cauſæ reddendæ dictum , cur in myſticorum ſenſuum S.Scripturæ affictorum licentiam ſæpe Doctores noſtri invehantur , id videlicet fieri ob errores varios tum circa *dogmata*,tum circa *praxin* in hoc genere admiſſos.

VIII. Nec verò *unitas* S.Scripturæ & *formæ* & enuntiationis eius labefactatur , tametſi admittamus *ſenſum litteralem* ſimul & *myſticum* in quibuſdam S.Scripturę locis, tum quia

SSſ 3

sensus mysticus non tam verbis significatur quàm rebus, tum quia harmonia datur & σχέσις sensus litteralis ad mysticum, typi ad antitypum, & ex utroque demum sensus integer & cõpletus exurgit, tum quia duplex enuntiatio reperitur in talibus implicitè, etsi una explicitè tantùm, verba enim *os non comminuctis ei* ita resolvenda, os non comminuetis agno paschali, & os non comminuetis Christo. Prædicatum idem manet utrobique, subjectum tamen diversum reperitur in typo, diversum in antitypo, & prædicatum de utroque enuntiatur, ubi verò subjectum diversum ibi diversa enuntiatio. Nec ob id S. Scriptura redditur ἀμφίλοξος æquivoca, obscura, incerta, quia tunc demum duplex ille sensus locum habet, quando à Spiritu S. indicatur. Quod ipsum etiam sufficit adstringendæ fibulæ, & coercendæ luxuriei & licentiæ humanæ, ne sensus mystici prætextu in S. Scripturæ Majestatem, gravitatem, & simplicitatem sanctam peccetur.

IX. *Obiectione generali* ita discussâ, quæ opponi posse videbatur solutioni à nobis probatæ, in *sensu litterali* vaticinium Hoseæ ad populum Israeliticum referendum esse, in *mystico* ad Christum Servatorem, reliquum est ut & *objectiones speciales* excutiamus. *Objicitur* hîc 1° *Ex sensu mystico* non posse duci firmum argumentum, Matthæum verò non adducere tantùm hanc circunstantiam evocationis Messiæ ex Ægypto *narrativè*, sed & *ratiocinativè* & *arguitivè*, ut barbari loquuntur, ut ex eâ ut & ex aliis id genus circunstantiis institutâ comparatione prædictionum Veteris Testamenti cum eventis probet ex complemento omnium, Iesum esse Christum. Ad talem verò probationem parum videtur facere *sensus mysticus*, quum secundùm *Thomam* parte 1. quæst. 1. art. x. *solus litteralis sit argumentativus. Resp.* 1. Συγχωρητικῶς. Damus Matthæum talia citare non *narrativè* tantùm sed & *arguitivè*, ut probet Iesum esse Christum, an verò inde sequitur complementum quod præcessit in *typo* obstare quominus idem tribuatur *antitypo*, & in eo completum dicatur, vel ex complemento illo ducatur probatio? 2. Posset etiam responderi ἀρνητικῶς, tantùm ad Thesin illam probandam vaticinium hoc productum, nec enim hac solâ de causâ oracula id genus à Matthæo adducuntur, ut inde probet Iesum esse Christum, sed etiam ut ostendat minimas

mas quasque circunstantias de vita Messiæ jam olim fuisse prædictas, & hoc loco speciatim, non mirum videri debere secessum Christi in Ægyptum, quippe qui jam olim prædictus fuerit à Prophetâ, nec novum esse, si circa Christum contingat tale quid quale jam olim contigit circa Dei populum. 3. Respondendum per *distinctionem*, peccatur enim *Elencho à dicto secundùm quid*, vel *Elencho ex particularibus*, sanè non ducenda argumenta ex sensu mystico hominibus non θεοπνεύστοις & αὐτοπίστοις, immediatè à Deo inspiratis, duci tamen possunt ab iis qui scripsêre æquè ac loquuti fuêre acti à Spiritu S. 4. Sic argumenta non ducenda ex sensu mystico non declarato à Spiritu S. optimè tamen illa duci possunt ex sensu mystico declarato & euoluto à Spiritu S. in Novo Testamento, quam limitationem probat *Azorius* instit. moral. cap. III. & *Bellarminus* de grat. & lib. art. lib. IV. cap. XX. Et fundamentum certum, Spiritus S. vocem certam esse, quocunque modo proponatur, nec aliter quàm solidè argumentari illos qui cum illo & ex illo argumentantur. Eandem verò dignitatem & ἀσφάλειαν nec testimonio Ecclesiæ tribuimus, nec Patribus, nec traditioni ulli humanæ. Vt ergo cum Iohanne firmiter concludimus circunstantiam de ossibus non comminuendis, cum Paulo, verba *Ero ei in patrem, & ille mihi erit in filium*, ad Messiam pertinere, sic idem hoc loco de vaticinio Hoseæ non pronuntiare tantùm possumus, sed & debemus, ut & de typis omnibus declaratis in Scripturâ, secundùm id secundùm quod declarati à Sacris Scriptoribus reperiuntur.

X. Si verò quæratur ulteriùs, de ratione significationis oraculorum compositorum habentium geminum complementum, unum in typo, alterum in antitypo, quæ significatio intendatur πρώτως & *primò*, quæ δευτέρως & *secundariò*, quæ ex primaria, quæ ex secundaria intentione Scriptoris Sacri, *distinctionibus tribus* observatis & applicatis res expediri potest. I^a^ *Distinctio* est, *primariam* & *secundariam* significationem considerari vel *ratione dictorum*, vel *ratione dicentis*. II^a^ est. Spectari posse vel *prioritatem ordinis*, vel *prioritatem dignitatis* materiæ subiectæ. III^a^ est. Distinguendum esse *authorem* Scripturæ S. ab *amanuensi*, causam κυρίως talem à causâ ὀργανικῇ vel λειτουργικῇ. Si *dictorum* habeatur ratio & *litteræ*, significatio πρώτως considera-

ta figenda in *typo:* ſi verò habeatur ratio *dicentis* & *intentionis ejus primariæ*, dubium non eſt, quin πρώτως ab illo intendatur deſignatio *antitypi*, quum typus non proponatur niſi propter antitypum, & propter χέσιν quam ad illum habet. Sic ſi habeatur ratio *prioritatis ordinis*, πρώτως ſignificatur typus, δευτέρως antitypus, ſi verò conſideretur *prioritas dignitatis* materiæ ſubiectę, ſignificatio primaria quærenda in antitypo, & eius conſideratione. Sic ergo v. g. ſecundùm litteram & prioritate ordinis prius ſermo de agno paſchali, de æneo ſerpente, de Davide, de Salomone, de Iona in vaticiniis typicis, & iis quæ circa ſubiecta illa contigêre, ſecundùm intentionem verò dicentis, & dignitatem ſubiecti dubium non eſt quin primariò ad antitypum reſpexerit Spiritus S. ob quem, propter quem, & ad quem deſignandum tantùm typi præmiſſi, & hæc vel illa circa typos illos adminiſtrata. Sic v.g. ſi verba Ionathæ ad armigerum reſpiciantur ſecundùm ſe, πρώτως illa referenda ad ſagittarum emiſſarum collectionem: ſin reſpiciatur intentio & ſcopus Ionathæ, hæc πρώτως relata à Ionatha ad monita ſalutaria Davidi ſuggerenda, δευτέρως tantùm ad ſagittas, & propter prius. Nec ob id minus ſcopus ille intentus à Ionatha, quod nec verba id innuere videantur, nec illa ab armigero ita intellecta fuerint & expoſita; ſufficit enim reſponderint intentioni dicentis, & conventioni Davidis & Ionathæ. Et ſic *tertio loco* diſtinguendum inter intentionem *Authoris* Scripturæ S. & intentionem *amanuenſis*, quo Spiritus S. uſus ad ſacram Scripturam conſignandam. Spiritus S. ſemper πρώτως intendit complementum in antitypo, & præcipuè, de causâ inſtrumentali verò S. Scripturæ, id piè quidem credere, certò verò aſſerere non poſſumus, utrum ſacri Scriptores in omnibus locis typicis, obſcurioribus præſertim, ad myſteria illa ſemper reſpexerint, quæ Spiritus S. vel *verbis* innuit vel *rebus geſtis*. Tametſi enim eximium fuerit lumen illud Propheticum, quo præditi fuêre ſancti Dei viri, & prophetiarum intelligentia inter dona prophetica fuerit, tamen incertum, quando Prophetæ de re aliqua hiſtoricè adimpleta loquuti fuêre, utrum ſemper ſubintellexerint, complementum myſticum adhuc aliud ſupereſſe & verbis illis innui. Sic dici & credi piè poteſt, Hoſeam verbis illis, *Ex Ægypto vocavi filium meum*, præter rem geſtam etiam intendiſſe

verbis

verbis illis designare evocationem Christi ex Ægypto, suo tempore adimplendam, certò asseri & probari non item. Vnde non oscitanter consideranda Evangelistæ verba, dici in textu sacro, *ut impleretur*, non quod ait Propheta, sed, *quod ait Dominus per Prophetam dicentem*, &c. In eo verò parum situm, modò id ut firmum & immotum asseratur, hoc ipsum à Spiritu S. per Prophetam loquente intentum fuisse, & suo tempore per Scriptorem alium θεόπνευστον adeoque αὐτόπιστον Matthæum nimirum expositum & assertum. Et hinc etiam colligi potest, *sensum litteralem* priorem esse *prioritate ordinis*, *mysticum* verò priorem *prioritate dignitatis*, sive ratione intentionis Authoris S. Scripturæ, sive ob naturam subjecti quod dignius longè & illustrius.

XI. His expensis facile liquebit πρόληψιν *Francisci Iunij* Viri CL. non obstare solutioni allatæ. Inquit ille, typos & allegorias tum demum firmas consequentias parere, cum in quæstione iuris versantur, vel in quæstione facti ubi à Deo imperantur, vel dantur, idem verò locum non habere in typis in externo aliquo opere quæsitis, tales non sufficere rei probandæ. Hîc verò non reperiri typum juris, sed facti, non datum aut imperatum, sed opere præstitum, non proprium, sed communem, adeoque typum talem probare non posse. *Resp.* 1. Illos typos omnes, cuiuscunque generis sint, firmas consequentias parere qui notantur à Spiritu S. Quod hoc loco fit per Matthæum hoc vaticinium ad Christum disertè applicantem. Est ergo hic typus datus à Deo, & retorquetur id ipsum per *βίαιον*. 2. Admittitur *Elenchus oppositorum*, nam idem typus & datus dici potest à Deo, & tamen externo aliquo opere præstitus, quando secundùm decretum Dei externo opere præstatur. 3. Supponitur etiam, non probatur typum hic communem proponi non proprium Christo & Ecclesiæ, capiti & membris. 4. Annon etiam ad Christum benè relatum ab Apostolo, *Hebr.* 1. quod tamen & Salomoni & omnibus fidelibus certo modo commune est? *Ero ei in patrem, & erit mihi in filium.*

XII. *Objicitur* 11°. Sic non satisfieri Iudæis, qui negabunt typum à Deo vel à Propheta intendi, sed tantùm à Matthæo confingi vel supponi. *Resp.* 1. Satis esse, ea proponi quæ sufficiant Christianis de αὐθεντίᾳ & αὐτοπιστίᾳ Matthæi per-

suasis in veritate confirmandis, Iudæis nihil sufficit, qui clarissima etiam vaticinia pervertunt & corrumpunt, quippe qui velum oculis obtensum, πώρωσιν & æs triplex circa pectus habent, ne vel contueantur lucem, vel eâ afficiantur. Sufficere verò debet Interpretibus Christianis, Iudæis talia proponi, quæ & usitata in Scripturâ, & conformia tum Maiestati, tum gravitati S. Scripturæ, imò & propriis *Rabbinorum* placitis, qui sub unius litteræ cortice innumera clausa & velata satagunt, & illa vel inprimis indicata, quæ ad Messiam pertinent. Videatur *Cabbala* illorum sive *Theologia symbolica*, & animadvertetur illos spargere passim absurdissima & longissimè petita interpretamenta οὐ τῇ χειρὶ, ἀλλὰ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ, nec è verbis tantùm, & rebus significationes & allusiones innumeras fabricare, sed & è numeris, litteris & syllabis, & illarum variâ transpositione subtilitatis & ἀγχινοίας laudem singularem captare, idque summâ & incredibili licentiâ. An absurdum ergo illis videri debet, vaticinia quædam *ad litteram* de typis, *mystice* de Messiâ exponi, qui & finis & scopus & centrum fuit tum Legis tum Prophetarum? 2. Si etiam non satisfiat Iudæis expositione illâ declaratâ & confirmatâ à nobis, in quâ admittitur verba Prophetæ de populo Dei etiam intelligenda esse, minus utique illis satisfiet per expositiones classis utriusque extremę, sive dicatur vaticinium illud ad solum Messiam pertinere, sive dicatur ad illum tantùm per allusionem & sensum accommodativum referri debere. Hîc sanè proclivè Iudæis erit gravibus argumentis impugnare classem utramque, Matthæi sinceritatem vexare, Christianorum credulitati illudere, & veritatem Evangelicam cavillis suis proscindere. Sin hoc illis detur, quod solidè negari nequit, de populo Israelitico quidem sermonem esse, sed non tantùm, eum enim in hac περιστάσει typum gessisse Messiæ, & idem circa hũc contigisse, quod circa populum, fateri cogentur non torqueri S. Scripturam, vel animo saltem magis composito admittent applicationem hujus vaticinij ad Messiam.

XIII. *Obijci* verò contra solutionem allatam adhuc potest, absurdum videri Israelem statui typum Christi, populum hominis unius. *Resp.* 1. Peccari *Elencho à dicto secundùm quid:* absurdum esse populum integrum unius hominis typum esse in omnibus, datur, in aliquibus, negatur. 2. An absurdum

Iſraelem qui & *Dei filius* & *Dei primogenitus* paſſim vocatur Meſſiæ typum geſſiſſe, quà talis fuit, & quà ut talis conſideratur, quum & Meſſias pariter ut Dei filius & Dei primogenitus paſſim nobis deſcribatur? 3. An minus abſurdum unum individuum populi integri, quàm populum integrum unius individui typum gerere? Atqui prius haudquaquam abſurdum Spiritui Sancto, quippe qui per duos fratres, *Gen.* XXV. duarum gentium typum exhibet. 4. Adde populum totum vnius inſtar individui habitum, & de eo ſæpe Scripturam ut de tali loqui. Imò hoc ipſo loco, ubi vocatur Iſrael *puer*, & de eo ut de puero Hoſeas loquitur, an mirum ergo populum ſub hac notione & σχέσει unius individui typum eſſe? 5. Sic ſi non abſurdum, totum populum conferri cum uno individuo, cum filio videlicet Pharaonis, mirum eſſe non debet ſi conferatur cum Chriſto. Prius liquet ex *Exod.* IV. 22. 23. *Sic dicit Iehova, filius meus primogenitus Iſrael. Dixi tibi, dimitte filium meum ut ſerviat mihi, renuiſti dimittere eum, ecce ego interfecturus ſum filium tuum primogenitum.* Vbi manifeſta tum σύγκρισις tum ἀντίθεσις primogeniti & primogeniti. 6. Sic ſi non abſurdum plures typos dari unius individui, non mirum populum dici unius typum. Quot verò typos habuit Chriſtus in Veteri Teſtamento, quot *perſonæ*, quot *res*, quot *actus* ad Meſſiam referuntur, ut figuræ ejus & typi illorum quæ ab eo vel circa eum geſta?

XIV. *Excipiunt* adhuc aliqui, non firmam dari argumentationem à membris ad caput, multa enim in Veteri Teſtamento de corpore dici quæ haudquaquam ad caput referri poſſunt. Nullam etiam hic analogiam obſervari poſſe, ex qua argumentum firmum duci poſſit, idem in Chriſto debuiſſe impleri quod antea evenerat in populo Iſraelis. Nec quicquid olim contigit in Eccleſiâ jure pertinere ad Chriſtum caput Eccleſiæ. Nec litteraliter impleri debere in capite, quod geſtum fuit in corpore. Multa enim geſta in deſerto, & in terrâ Canaan, quæ non potuerint impleri in capite. *Reſp.* 1. Peccari *ignoratione Elenchi*, nec enim ulli ſanæ mentis homini probatum, omnia quæ corpori contigêre, in capite adimplenda eſſe, ſed quædam tantùm, illa nimirum in quibus inſtituitur collatio à Spiritu Sancto. Oſtenſum etiam ſuprà, non omnia quę in typo reperiuntur referri poſſe ad antitypum, & hic ſemper

discrimen ingens reperiri in *materiali*, etsi convenientia semper detur in *formali*, secundùm id, secundùm quod inter se conferuntur. Notum aliâs, simile esse dissimile, aliâs id non simile futurum sed idem. Et sæpe plus in typo, sæpe plus in antitypo, sive ratione *rei*, sive ratione *modi*. Imò nullus datur typus ὀλικὸς in Scriptura, nec dari potest, quia figura & figuratum, vmbra & corpus semper diversissima, alioquin vel utrumque figura, vel utrumque figuratum foret. Sic in *parabolis* distinguendum *materiale* & *formale*, id in quo instituitur comparatio, & id quod cum tali conjunctum, cortex & medulla: quod apposité *Augustinus* docet lib. XVI. cap. 2. de civitate Dei simili vomeris quo sola terra proscinditur, etsi ut proscindatur terra requirantur alia illi adjuncta.: Sic idem ait solos nervos in citharis aptari ad cãtum, sed ut aptari possint inesse & cætera in cõpaginibus organorũ. Sic in cultro, nec manubrium secat, nec cuspis, nec pars obtusa, quę tamen necessaria. Idem in instrumẽtis aliis quibusvis observari potest, cumprimis in picturis, quæ maximè respondent⁹ parabolis, ubi præter id quod intenditur à pictore alia multa cum illo pinguntur. 2. Analogia cæteroquin, institutum nostrũ quod attinet, inter caput & corpus Christum & Israelem satis ostensa in superioribus. Id verò cumprimis notandum rationem analogiæ non quærendam tantùm in collatione partis typi, vel in nudâ consideratione subiectorum, sed in collatione totius typi, nec conferendum esse tantùm populum cum Christo, sed eductionem populi ex Ægypto, eum euocatione Christi ex Ægypto. 3. Idem verò quod evenerat populo & corpori, debuisse adimpleri quoad hanc etiam circunstantiam in capite, satis superque Matthæus persuadere Christianis debet, qui actionem quæ circa populum præcesserat, denuò circa Christum adimplendam fuisse disertè ostendit. 4. Axioma cæteroquin vniuersale, quicquid contingit in corpore litteraliter debere impleri in capite, nec verum nec necessarium. *Inst.* Liberationem quidem Ægyptiacam fuisse typum liberationis spiritualis, hoc tamen nihil facere ad reditum temporalem, & corporalem Christi ex Ægypto. Nec enim Christum debuisse Babylonem mitti, & postea evocari, eò quòd liberatio ex captivitate Babylonica fuit figura liberationis spiritualis. *Resp.* 1. Peccari *Elencho non causæ*,

& fal-

& falsa hypothesi, nec enim ideo Christus ex Ægypto vocatus quia liberatio AEgyptiaca fuit typus liberationis spiritualis, sed ob alia documenta, & hoc *Dubio*, & superiori ostensa, ut & ob σχέσιν multiplicem suprà declaratam, quæ inter typum & antitypum intercedit. 2. *Elencho oppositorum*, liberatio enim AEgyptiaca populi Israelitici duplicem σχέσιν habet, vnam ad evocationem Christi ex Ægypto, alteram ad liberationem spiritualem Ecclesiæ. Hæ σχέσεις non opponendæ, sed componendæ. 3. Per βίαιον, ut Ecclesia liberaretur à captivitate spirituali, opus erat Christum in Ægyptum divinâ providentiâ semel propter causas suprà expositas missum ex eâ euocari. Ex Babylone verò illum euocari necesse non fuit, qui Babylonem nunquam concessit. Huc referri potest Canon *Lyrani* qui satis probæ notæ si bene intelligatur: Quando prædicitur in Veteri Testamento esse aliquid impletum in aliquâ personâ Veteris Testamenti, veriùs tamen & perfectiùs in aliquâ Novi Testamenti, tunc esse ibi duplicem sensum, vnum minus principalem, alterum principaliorem, in quo nimirum perfectius impletur verbum prædictum. Qui *Canon* verus relatus ad oracula illa *composita* geminum complementum habentia, vnum in typo, alterum in antitypo, modò id notetur non literalem esse sensum vtrumque, quod statuit perperam *Lyranus*, sed vnum literalem, alterum mysticum, vt suprà ostensum.

XV. *Objicitur* tandem, Matthæum voluisse hoc loco probare id quod circa Christum factum, jam olim prædictum fuisse, & contrà quod prædictum, factum fuisse, disertè enim testari Evangelistam, id factum *ut impleretur quod ait Dominus per prophetam dicentem, &c.* Hæc verò verba non videri dici posse de mero typo vel analogiâ. Aliter etiam Evangelistas loqui, quando volunt innuere aliquid habere similitudinem vel conformitatem cum re aliqua, aliter quando docent aliquid esse impletum eò quod prædictum. Matthæum etiam, non analogiam referre, sed Historiam. *Resp.* 1. *συγχωρητικῶς per concessionem.* Omnino & quod factum circa Christum, dicitur prædictum fuisse, & contrà, quod prædictum, factum. Meritò ergo hæc verba à Matthæo adhibita, quia prævertere voluit scandalo, & ostendere mirum non esse Christum secessisse in AEgyptum, & ex ea euocandum fuisse, cùm idem contigerit jam

olim in populo Iſraelitico, & de Chriſto ab Hoſea prædictum fuerit, ubi non tantùm indicatur analogia conueniens inter typum & antitypum, ſed etiam refertur nouum complementum & myſticum illius vaticinij de quo ante fortè ne cogitatum quidem fuerat. Imò documentum datur *myſticum & morale*, Deum vocare filios ſuos ex Ægypto in qua naturaliter omnes demerſi iacemus. Sic Deus iubet lucem ſplendere in tenebris, & è tenebris, ordinem prodire è Chao, bonum è malo. 2° Ἀρνητικῶς *per negationem*, hæc verba non poſſe dici de analogiâ plurium, quorum vnum habeat rationem typi, alterum antitypi. Supponitur verò non probatur, tantùm hic dari analogiam, vel conformitatem quandam, vel exemplum, datur enim præterea relatio antitypi ad typum, & impletio noua oraculi prophetici intenta à Dei Spiritu per Prophetam, quam Matthæus nobis revelat. Aliâs enim non reciprocantur abſolutè *analogia* & *typus*. Etſi enim in omni typo & antitypo detur analogia, & conformitas quædam, tamen vice versâ non in omni analogia & conformitate datur ratio typi & antitypi, ſed tunc demum quando ſive *perſonæ*, ſiue *res* ſiue *actus* Veteris Teſtamenti ad Meſſiam ex intentione Spiritus S. vt eius præfigurativa referuntur. Sic diſtinguendi *typi* & *allegoriæ*. *Typi* divinam originem habent, *allegoriæ* plerunque humanam. Omnis typus allegoria quædam eſt, non contrà, allegoria enim ſe habet ut genus, typus ut ſpecies, illa latior, iſte ſtrictior. Quandocunque enim ſub dicto aliquo aliud quid præter id quod dictum videtur intelligitur, ἀλληγορία quædam reperitur quæ *Theologicè* conſiderata non *Rhetoricè*, *realiter* non *verbaliter* nihil aliud eſt, quàm rei alicujus ſpiritualis pictura expreſſa in ſpeculo rei materialis & externæ. *Typus* propriè non quidem ex vi vocis quæ latiſſima, ſed tamen ex vſu Scholarum in iis tantùm reperitur, quæ ex intentione Spiritus S. in Veteri Teſtamento ſive Meſſiæ perſonam, ſive eius actus, ſive paſſiones præfigurarunt, & aliquam conformitatem habent cum iis quę vel in eo, vel ab eo, vel circa eum geſta. Fundamentum commune & allegoriæ & typi eſt analogia. Ideo enim plura inter ſe conferuntur, quia illa ſunt analoga vel in multis, vel in aliquo ſaltem, in quo conferuntur: ſunt itaque τύποι nihil aliud quàm εἰκόνες τῶν σωμάτων, quod *Iſocrates* iam olim appoſitè notavit. Meſſias verò & quo-

& quoad personam, & quoad officium, & quoad beneficia sua, habet rationem corporis oppositi vmbris & figuris Veteris Testamenti, quibus eum Deus designatum & præfiguratum voluit.

XVI. Nec verò interpretationi nostræ obstant verba Evangelistæ ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν. Nam primò duplex datur significatio τοῦ ἵνα. Est enim interdum αἰτιολογικὸν, interdum ἐκβατικὸν, interdum connotatiuum finis & scopi, interdum eventus tantùm. Quocunque verò modo particulam illam hoc loco accipiamus, sensus orthodoxus inde erui potest. Exempla hujus distinctionis evidentissima passim in Scripturâ, τὸ ἵνα αἰτιολογικὸν esse plerunque, extra controversiam est, illud verò etiam quãdoque meram ἔκβασιν vel eventum rei designare facilè probari potest. Sic legitur v.g. *Ioh.* IX. 35. *Ad judicium exercendum ego in hunc mundum veni,* ἵνα *ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Sic *Luc.* XIV. 10. *Quum vocatus fueris, vade discubitum in ultimum locum,* ἵνα *ut quum venerit qui te vocavit, dicat tibi, amice ascende superius, tunc erit tibi gloria in conspectu eorum, qui tecum discumbunt,* ubi si τὸ ἵνα αἰτιολογικὸν foret, non ἐκβατικόν, & scopus Christi everteretur, qui erat ambitionem & affectationem πρωτοκλισίας perstringere, & Christus Doctor fuisset captandæ gloriolæ per humiliationem hypocriticam, quod absurdum. Sic 1. *Cor.* XI. 19. ἵνα ἐκβατικὸν habetur non αἰτιολογικόν. Alia id genus exempla complura reperiuntur. Posset itaque dici hoc loco τὸ ἵνα ἐκβατικὸν potius esse quàm αἰτιολογικὸν, nec propterea Christum fugisse in Ægyptum ut impleretur Prophetia, sed quum ille in Ægyptum fugisset, factum fuisse ut Prophetia impleretur. Et sic τὸ ἵνα interpretatur *Abulensis* significanter, etsi barbarè pro more suo: *Vt*, inquit, *hic non importat causalitatem finis, sed habitudinem concomitantiæ,* hoc sensu, vt impleretur quod dictum est, id est, quando istud factum, impletum est quod per Prophetam dictum fuit. 2°. Sed nihil obstat quominus τὸ ἵνα hîc sumamus αἰτιολογικῶς, ex superioribus enim satis supérque liquet, & ideò hoc circa Christum adimpletum fuisse, quia prædictum fuit, & ideo prædictum, vt adimpleretur. 3. Ostensum etiam aliquid dici impleri in Scripturâ non tantùm quando impletur in typo, sed & quando impletur in antitypo, quod liquet ex exemplis allatis de ossibus agni pascha-

lis, de promissione Dei, *Ero ei in patrem*, &c. & aliis id genus. Idem hîc locum habere optimâ ratione potest.

Concludimus ergo applicatione vaticinij Hoseæ *in typo* ad populum Israeliticum, in *antitypo* ad Christum Servatorem nec verbis Prophetæ, nec scopo vel sensui vim à Matthæo factam, sed mentem Spiritus S. summâ fide & singulari sapientiâ ab eo expressam, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

DVBIVM LXXII.

Quot modis dicatur *impleri* Scriptura *in genere*, & Prophetia *in specie?*

EXAMEN.

Modi *varij implendæ Scripturæ. Compendiosa illorum collectio. Modus alius reiectus. Exempla priorum. Illustratio locorum* Matth. xv. 7. 8. xiii. 14. xiii. 35. xxi. 13. Act. xxviii. 25. Psal. lxxviii. 2. Rom. ix. 29. Κριτήρια *genuinæ applicationis.*

I. FREQVENS phrasis illa Scriptoribus sacris, vbi sermo de eventu aliquo eximio vel ante prædicto, vel conformi illi quod ante dictum aut prædictum, hoc vel illud factum fuisse *ut impleretur Scriptura*, vel *ut impleretur quod dictum à Domino per Prophetam*, &c. Quia tamen diversimodè hoc fieri solet, & varii dantur modi hujus impletionis vel applicationis Scripturæ, operæ pretium modos illos ad certa capita referri, tum declarandæ phrasi Matthæi, tum illustrandis locis aliis huic geminis.

II. Vt verò commodè & compendiosè hoc argumentum, prætermissis aliorum opinionibus, exequamur, arbitramur succinctè & solidè ita rem totam concipi posse, Scripturam aliquam

quam dici impleri vel *propriè*, vel *impropriè*. *Propriè*, vel *in sensu litterali*, vel *in sensu mystico* : *Impropriè in sensu accommodativo*, vel *transsumptivo*. Quod in *sensu litterali* impletur, vel impletur cum χέσει ad aliud, vel sine χέσει. Quod cum χέσει ad aliud impletur, impletur per modum *typi*, quod sine χέσει, impletur tantùm per modum *historiæ*. Quod impletur *in sensu mystico* impletur per modum *antitypi*. Quod impletur *in sensu accommodatiuo*, vel *transsumptivo* impletur per modum *analogi*, vel per modum *exempli*. Addunt alij, inter quos *Maldonatus* aliique complures, modum alium, tunc nimirum dici impleri Scripturam, quando id ipsum quod jam olim secundùm sacrorum Scriptorum prædictionem jam factum fuerat, magis ac magis fit, sic enim Scripturam dici impleri, id est, id quod per eam dictum erat, cumulatissimè fieri. Sed modus hic nec necessarius, nec accuratè loquendo diversus à prioribus : nam quando v.g. in antitypo impletur quod fuit impletum in typo, vel analogicè simile quid fit illi quod jam olim contigit, & de quo propriè sacro Scriptori sermo, utique eo ipso magis & cumulatissimè impletur Scriptura. Modi ergo allegati sufficere possunt rei propositæ explicandæ.

III. Horum modorum exempla passim obvia in Scripturâ. 1° *In sensu litterali* idque sine χέσει ad aliud impleta fuit prophetia *Esaiæ* VII.14. quando B.Virgo concepit & peperit Servatorem *Matth.*I. 22. Sic impletum vaticinium *Mich.* V.2. in nativitate Christi in Bethleem Iudææ. Sic litteraliter impletum vaticinium *Zach.* IX. 9. in ingressu solenni Christi in vrbem Hierosolymam qui describitur *Matth.*XXI. II° *In sensu* quidem *litterali*, cum χέσει tamen ad aliud impleta Scriptura v.g. in oraculis typicis, sic impleta prohibitio de non comminuendis ossibus agni paschalis, in eius observatione circa agnum paschalem, sic impleta promissio in Salomone, *Ero ei in patrem, & ille erit mihi in filium*, in erectione & constitutione regni eius. Sic impleta alia multa quæ habentur *Psal.* XLV. *Psal.* LXIX. & aliis locis similibus. Sic impleta quoque complura quæ circa agnum paschalem, serpẽtem æneum, Davidem, Salomonem, Ionam & alios id genus Christi typos contigêre. Eodem modo vaticinium *Hoseæ* XI. de beneficio populo Israelitico jam olim præstito intelligendum. III°. *Sensum mysticum*

quod attinet, ſic in Chriſto adimpleta ut in *antitypo*, quæ *typicè* impleta fuêre iam olim in ſerpente æneo, in agno paſchali, in Davide, Salomone, Ionâ aliis. Sic eductio Chriſti ex Ægypto à Spiritu S. myſticè jam olim per Hoſeam præſignificata fuit.

IV. Præter modos verò illos primarios, impleri quandoque dicitur Scriptura *impropriè*, & ſecundariò ἀναλογικῶς vel παραδειγματικῶς, quando ſimile quid contingit illi quod jam olim vel factum vel dictum vel prædictum, ſive id fiat διηγητικῶς vel *narrativè*, ſive ἐπανορθωτικῶς aut διασυρτικῶς, per *correctionem* vel *traductionem*. Sic ad Iudæos ſui temporis refert Chriſtus *Matth.* XV. 7.8. quod de hypocritis ſuæ ætatis dixerat Propheta *Eſaias* XXIX.13. *Hypocritæ bene de vobis prophetavit Eſaias, dicens, Approquinquat mihi populus hic ore ſuo, & labiis me honorat, cor autem eorum procul abeſt à me.* Sic *Matth.* XIII. 14. Chriſtus inquit, in Iudæis pervicacibus Evangelij auditi contemptoribus compleri prophetiam Eſaiæ, quæ dicit, *Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis & non cernetis. Pinguefactum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculis ſuis conniverunt, ne quando cernant oculis, & audiant auribus & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos.* Quod vaticinium Paulus *Act.* XXVIII. 25. ab Eſaiâ ad Patres Iudęorum jam olim dictum fatetur, applicat id nihilominus ad Iudęos pertinaces, qui Romæ ipſi contradicebant, quod ex nexu verborum, & ſcopo loquentis liquet. Illa enim omnia hypocritis ſui temporis à Propheta impacta fuiſſe extra controverſiam eſt, unde per meram *accommodationem* & *tranſſumptionem* applicantur Iudęis illis Chriſti & Apoſtoli tempore viventibus. Qualis accommodatio à quovis Concionatore inſtitui poteſt ad Auditores, in quibus parem deprehendit hypocriſin, & pervicaciam ſimilem. Eodem modo intelligendum quod Chriſtus ſibi applicat *Matt.* XIII. 34.35. *Abſque parabolâ nihil loquutus eſt eis, ut compleretur quod dictum fuit per Prophetam dicentem, Aperiam per parabolam os meum, eructabo occultata à iactis mundi fundamentis*, quæ ab Aſapho de ſeipſo dicuntur, ut liquet ex inſpectione *Pſal.* LXXVIII. 2. Interim à Chriſto ſibi quoque applicantur. Quanvis de eo parum ſit contendendum, ſive hoc typicè in Aſapho duntaxat adimpletum dicatur, in Chriſto myſticè, ſive ſtatuatur à Chriſto

ſibi

ſibi applicatum tantùm per *accommodationem* quãdam vel *transſumptionem*. Sic citatur à Chriſto *Matth.* XXI. 13. & ad inſtitores ſui temporis applicatur, quod de Iudæis ſuæ ætatis jam olim à Ieremiâ dictum *cap.* VII. 18. Huc etiam referri poteſt inter alia quod adducit Paulus *Rom.* IX. 29. ex *Eſa.* I. 9. *Et ſicut prius dixit Eſaias, Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, facti fuiſſemus ut Sodoma, & Gomorrhæ ſimiles facti fuiſſemus.* Vbi mera *accommodatio* vel *transſumptio* reperitur. Alia id genus exempla complura modis illis declarandis addi poſſent, ſed hæc ſufficiunt ad illorum ἐξήγησιν. Sic quęcunque ex Scripturâ Veteris Teſtamenti allegantur oracula à Lectore ſtudioſo ad aliquẽ ex modis allegatis referri poſſunt, & κριτήρια ſatis clara occurrunt, ad quem modum ſingula referri debeant, ſive verba ipſa, ſive natura rei ſubiectæ, ſive antecedentia & conſequentia, ſive locorum aliorum collatio attendatur, ex quibus omnibus judicium ſolidum de modo & formâ applicationis fieri poteſt.

DVBIA LXXIII. LXXIV. LXXV.

LXXIII. Quî à Magis fuerit illuſum Herodi *Matth.* II. 16. *in hypotheſi?* & An liceat *in theſi* illudere vel aliis *in genere*, vel Magiſtratui *in ſpecie?* LXXIV. An liceat reſcindere promiſſum, vel violare fidem datam? LXXV. An uti liceat *æquivocationibus?*

EXAMEN.

Duplex quæſtio, una facti, *altera* juris. *Illuſionum ſpecies variæ. Duplex Scripturæ elocutio. Iuſta illuſoris illuſio. Promiſſum quando obligatorium. Præcepta alia* diſpenſabilia, *alia* indiſpenſabilia. *Cautio. Duplex obligatio in jura-*

mentis. Distinguenda obligatio ad malũ ethicum & physicum. *Quando rescindendum promissum. Ubi & quando servanda fides. Prima fides Deo sacra. Perfidorum & illusorum pœnæ.* Ἐπίτασις *criminis admissi coram Magistratu.* Æquivocationum *strophæ detestandæ. Æquivocationes mendacia esse probatur ex Scripturâ. Complicatio plurium criminum in æquivocationibus. Æquivocationes Christo per blasphemiam affictæ. Cavilla & juramenta impia Æquivocatorum. An hic locus inculpatæ tutelæ. Incommoda æquivocationum.*

I. RIMUM *Dubium* duplicem quæstionem implicat, *facti* unam, *juris* alteram, quarum utraque hîc succinctè expedienda. I. An illusum fuerit Herodi à Magis? II. An *jure*? *Primam* quæstionem quod attinet videtur reverâ illusum Herodi à Magis. 1. Ob *verba* Evangelistæ, quia id Matthæus asserit αὐτολεξεὶ, versu 16. ἰδὼν ὅτι ἐνεπαίχθη ὑπὸ τῶν μάγων, *quum vidisset se illusum esse à Magis.* 2. Ob *rationē*, quia promissis non stare, est illudere alii. Atqui Magi non stetêre promisso de revertendo ad Herodem, & de eo monendo ut statione Regis noviter nati compertâ in adorationis eius societatem & ipse veniret. Tale promissum Herodi à Magis factum colligitur 1° ex petitione Herodis, 2° ex naturâ petitionis, quæ Magis non poterat non videri pia, honesta, æqua, Herodem habere socium adorationis, unde dubio procul ei assensi. 3° Ex indignatione Herodis, cui locus non fuisset, nisi ob promissum neglectum, fidem violatam, spem elusam. Adde, nec honestum, nec tutum futurum fuisse Magis in alieno regno Regi rem levem & facilem negare. Si *de iure* etiam quæratur, videtur in eo peccatum, quum nec fides ulli

sit fran-

ſit frangenda, minus Regi, minus in cauſa pia & honeſta, Regem ad Chriſtum & in ſocietatem adorationis eius pertrahendi.

II. *Vtraque quæſtio* & *facti* & *iuris* præcisâ ambage omni, verbo decidenda. *Prima* expediri poteſt adhibitâ diſtinctione. *Illuſio* alia *vera*, alia *apparens*, alia ὄντως talis, alia δοξαςῶς ſaltem. Ὄντως talis eſt vel *interna* tantùm, vel *interna* ſimul & *externa*. *Interna* in intentione illudentis, *interna & externa ſimul* tum in intentione tum in opere illudentis, quando non tantùm ſpernitur alius, ſed & quando detrahitur ejus ſive honori, ſive dignitati, ſive integritati, ſive famæ, idq; actionibus, vel verbis, vel utroque modo, in ſummâ omnibus iis quæ in ipſo, ab ipſo, vel circa ipſum. Illuſio propriè in opere dari nequit ſine intentione illudentis. Illuſio *apparens* eſt, quæ nec in intentione illudentis reperitur, nec in opere, ſed tantùm in imaginatione illius, qui ſibi illudi credit. Si applicetur diſtinctio allata ad *hypotheſin* de quâ agitur, res confecta erit. *Illuſio* illa de quâ Matthęus, apparens eſt non vera, fundamentum habēs in imaginatione Herodis tantùm, non verò in intentione Magorum, vel in rei veritate.

III. Fruſtrà excipitur, Herodem eo nomine exarſiſſe, idque graviter, neque enim affectus hominis ὀξυχόλȣ, imò ſævi & impotentis iræ eſt menſura rei. Iræ fundamentum vel offenſa, vel opinio de offenſa, quali præpeditus Herodes in Magos exarſit. *Inſt.* Atqui Scriptura id αὐτολεξεὶ edifferit, illi fuiſſe illuſum, ἡρώδης ἰδὼν ὅτι ἐνεπαίχθη ὑπὸ τῶν Μάγων. *Reſp.* 1. Solenne Scripturæ loqui de rebus interdum quales *ſunt*, interdum quales *apparent*, interdum ſecundùm rei naturam, interdū ſecūdùm opinionem vel noſtram, vel aliorum. Exempla obvia: ſic Sol & Luna *magna luminaria* præ omnibus aliis, Dij Damaſcenorum dicuntur percuſſiſſe Achabum. Sic Chriſtus non venit vocatum juſtos, aufert ab habente, ſolvit ſabbathū, qui invenit animam perdit eam, qui invenit perdit, ſic Apoſtolus ſe ἄφρονα vocat, commemorat τὸ μωρὸν τȣ̃ θεȣ̃, Sapientiam mundi. Sic ſtellę decidunt è cœlo. Innumera talia ubique obvia. 2. Scripturæ ſenſum ſatis innuit ſtructura verborum, ἰδὼν ἡρώδης ὅτι ἐνεπαίχθη, &c. illuſionem illam non fuiſſe niſi in mente Herodis. 3. Sic ſimul indicatum, Deum illuſiſſe illu-

sori. Voluit Herodes illudere Magis, sensit sibi illusum. Adorationem pueri pollicetur, dum molitur cędem non pueri tantùm, sed & Magorum dubio procul. Sed & spes ipsius decollat, & cadit impetus, & evanescit molitio.

IV. Frustrà verò promissum Magorum urgetur, nam 1. non constat αὐτολεξεὶ tale intercessisse 2. detur, quod probabile ob rationes allatas, homines ingenuos obsequium pollicitos non perspectâ fraude in re honestâ & utili in speciem, non tamen ob promissi illius neglectum rei peragendi Magi, tum ob *authoritatem prohibentis*, quia intercessit prohibitio divina, *ne reverterentur ad Herodem*, tum ob *naturam promissi*, in malis enim culpę non servanda fides, sed rescindenda, & si in promissione aliquâ vel imprudente vel temerariâ vel malitiosâ peccatum, plus peccatur in executione. Nec enim vel juramentum, vel promissio debet esse *vinculum iniquitatis*. Et notum *Isidori* axioma, *in malis promissis rescindendam esse fidem*. Tametsi itaque promissio Magorum innocens fuerit nondum detectâ vulpe, detectâ tamen executio non poterat esse innocens. Alterutrum ergo sufficit Magis à culpa liberandis, magis utrumque. Dei vel mandatum vel prohibitio solvit omne vinculum, & legem omnem vel naturalem vel positivam, & *Lex specialis*, ut notum, *derogat generali*, quod dispensatio Dei specialis circa præcepta sextum & octavum in exemplis Biblicis notis docet. Quædam enim præcepta *dispensabilia Scholasticis*, nec malè, quædam *indispensabilia*. *Dispensabilia* sunt, quæ nō versantur circa res intrinsecam bonitatem habentes resultantem ex imagine Dei, qualia præceptum IV^um^, V^um^, VI^um^, VIII^um^. *Indispensabilia* sunt quę versantur circa res intrinsecam bonitatem habentes emanantem ex imagine Dei, qualia sunt præceptum I^um^ II^um^ III^um^ VII^um^ IX^um^ & ex parte X^um^. In his nulla dispensatio, quia nec Deus se ipsum negat, nec negare potest. Alia ratio superiorum. *Cautio* tamen observanda, *dispensabilia* esse præcepta reliqua non authoritate humanâ, sed divinâ tantùm. Nulli cædes innocentis permitti potest ab homine, nulli translatio boni alieni, & alia id genus. Pontificis Romani dispensationes in his & aliis præceptis non moramur, quæ *facti* sunt, non *juris*, nec actus potestatis, sed licentiæ, imò characteres ὑπεροχῆς affectatæ ab homine peccati suprà Deum,

& id

& id quod Dei. Obligatio hominis erga hominem ſolvi poteſt ab homine, obligatio hominis erga Deum non item, ſed Domino reddenda quæ ſemel juramento promiſſa. *Matth.* v. 33. adeoque ubicunque juramentum intercedit, homo non homini tantùm ſed & Deo obligatur.

V. *Excipi* poteſt, videri diſpenſationem hic circa quid indiſpenſabile contigiſſe, nec enim in fide fallendâ diſpenſationi locus. Sed facile regerere, fidem nonniſi in re honeſtâ obſtringi, fidem ergo falli tum demum quando à promiſſo honeſto diſceditur, non quando ab inhoneſto. A promiſſo damnoſo recedere non licet, licet tamen ab inhoneſto, imò neceſſarium recedere à tali. Prius docet Pſaltes *Pſal.* xv.4. juramentum ſuo etiam diſpendio factum non mutandum: poſterius, interdictum de committendo inhoneſto. Nullum malum *ethicum obligatorium, phyſicum* verò tale eſſe poteſt, quia illud malum ἁπλῶς, iſtud κατά τι & τινὶ tantùm. *Hypotheſin* cæteroquin quod attinet, Herodi non poterat ſervari fides à Magis, ſine violatione tum *pietatis* tum *charitatis, pietatis*, tum in Deum, cui monenti debebant obſequium, tum in Chriſtum, qui non debebat prodi Tyranno, *charitatis* in ſeipſos objiciendo ſe ferro hominis ſanguinarii, & oſoris tum novi Regis, tum cultorum ejus. Vnde promiſſum innocenter & circa fraudem factum, ſi factum, neceſſariò reſcindendum erat, quamprimum ſanguinarium Tyranni inſtitutum Magis innotuit. Sic *David* meritò mutavit iuramentum, quo ſe temerè obſtrinxerat ad exſcindendam totam Nabalis domum, de quo ſibi poſtmodum gratulatur I. *Sam.* xxv. Sic meritò ſententiam mutavit fraude Sebæ agnitâ II. *Sam.* XIX. 29. melius facturus, ſi integram mutaſſet, & pro beneficio pœnam debitam irrogaſſet calumniatori. Vt enim peccatum non poteſt eſſe materia voti, ſic nec debet eſſe materia vel promiſſi vel juramenti. Vnde ut ſceleſtum fuit promiſſum nefariorum hominum in cædem Pauli conſpirantium, *Act.* XXIII. Sic ſceleſtior molitio in eo exequendo. Omne promiſſum debet eſſe conforme pietati, iuſtitiæ, charitati. Vbi hæc fundamenta abſunt, non promiſſum datur, ſed conſpiratio, ſed ſcelus. *Inſt.* Atqui ſemper videtur ſervanda fides, etiam hoſti. *Reſp.* Diſtinguenda fides, & diſtinguenda phraſis ſervare fidem. I. Fides alia obſtricta ad actum

bonum, alia ad scelus & facinus, alia obstricta Deo, alia homini. 2. Servare fidem, est vel quodvis promissum implere, vel implere promissum iustum & legitimum. Nulli vel danda fides, vel servanda in actu malo obligatorio ad scelus. Prima fides data Deo, quæ servanda, nec servandum id quod fidem illam temerat. Hæc fides obligatoria ad pietatem, justitiam, charitatem, sic fides servanda homini quando servari potest salvâ fide servandâ & servatâ Deo, non item, ubi homini servari nequit, nisi violetur Deo. Vbi verò servari potest homini, salvâ fide quæ debetur Deo, promissum obligatorium est, obligatoria fides, & mala patienda potius quàm facienda. *Reguli* pagani & aliorum id genus exempla nota, qui solo dictamine naturę perspexêre, sibi damnum potius accersendum esse, quàm notam violatæ fidei. Et meritò sumpta ultio de domo quæ temeraverat juramentum & promissum factum Gabaonitis II. *Sam.* XXI. Sic Sedekias jure graviter plexus, quod fidem Nebucadnezari Regi etiam pagano, & tyranno, & usurpatori non servârit. II. *Chron.* XXXVI. 13. *Ezech.* XVII. 19.

VI. *Hypothesi* ita discussâ, & fundamentis illis generalibus observatis, liquet nulli illudendum esse. Hinc graviter animadversum in pueros Hierichuntinos II. *Reg.* II. 23. Prophetam illudentes. Sic non impune fuit Ammonitis illudere oratoribus Davidis, & per illorum latus Davidi, nec Israelitis feliciter cessit in tribu Ephraim & Manasse, qui Ezechiæ cursoribus eos ad pascha Domini invitantibus illusêre II. *Chron.* XXX. 10. Nec bene cessêre gentibus vicinis & earum præfectis contumeliæ Iudæis in templi restauratione illatæ, *Neh.* II. & alibi passim. Sic inter præcipua & Sacerdotum & Scribarum, ut & militum Romanorum peccata fuit illudere Christo crucifixo summâ tum inhumanitate tum impietate *Matth.* XXVII. 29. 47. 49. Herodes etiam graviter tandem luit idem flagitium admissum in Dominum, *Luc.* XXIII. 11. Addimus ad quæstionem *secundam*, nulli violandam fidem, minus ergo Magistratui, minus personis publicis in authoritate & munere constitutis, & Dei personam gerentibus, secundùm limitationes suprà expositas, nec Magorum exemplum patrocinari perfidiæ, ut ex dictis liquet. In talibus enim datur ἐπίτασις peccati maior, dum non tantùm *in re* peccatur graviter, sed & *in rei modo* & *gradu*

gradu non tantùm ex *parte ſubiecti*, ſed & ex *parte obiecti*, & Deo illuditur dum illis illuditur qui Dei vicem gerunt, ubi præter perfidiam reperitur impietas, violatio honoris debiti Magiſtratui, nomen Dei aſſumitur in vanum, dicitur falſum teſtimonium, adeoque multimodis peccatur.

VII. Nec verò *æquivocationum* ſtrophis, quod *tertio* loco quæſitum, locus ſive in dandâ fide, ſive in ſervandâ. *Reſervationes* illę vel *limitationes mentales*, quas vocant ludiones & plani, non propoſitæ ſed ſuppoſitę, & quidem cum intentione fallendi conjunctæ, alienæ ſunt ab intentione & ſcopo quærentis, alienæ ab officio & candore reſpondentis, alienę à ſignificatione verborum conſuetâ, alienæ à re de quâ agitur, nec quicquam niſi fraudes meræ, impoſturæ meræ, mera illuſio, mera mendacia. Hanc nomenclationem æquivocationes habent à patre æquivocationum qui primus ęquivocatione illuſit primos parentes noſtros *Gen.*III. apertionem oculorum illis pollicitus, & ſcientiam boni & mali. Locus egregius & diſertus 1. *Reg.*XXII.20.21. ubi dicente Iehova, quis pelliciet Achabum, ut aſcendat & corruat apud Ramoth Gilhadis, ſpiritus quidam prodiiſſe dicitur, qui conſiſtens coram Iehova dixit, Ego pelliciam eum: dicente verò Iehova ei, quo pacto? dixit, Egreſſus ero *Spiritus mendacij* in ore omnium prophetarum ejus. Et *verſu* 23. Ecce indidit Iehova *Spiritum mendacij* ori omnium Prophetarum ejus. Quod verò erat mendacium illud? *verſ.* 6.*aſcende, & dabit Dominus in manum Regis*, annon in verbis illis abruptis & ambiguis æquivocationis tantùm ſtropha? Verba enim illa tum vera eſſe poterant tum falſa pro diversâ applicatione. Nec ante eventum liquere poterat, vel quid traditurus eſſet Dominus, vel cui, an exercitum Syrum Regi Iſraelis, an Iſraeliticum Syro? an Ramoth Gilhadis illi, an iſti? Sed argumentum hoc diſquiſitionem meretur & prolixiorem & penitiorem, quam hic inſtituti memor abrumpo. Satis verò ex ſupradictis liquet, nec æquivocationibus utendum, nec excuſari poſſe illos, qui de occultis vel dubiis à Magiſtratu præſertim ſententiam rogati poteſtates ludibrio habent, & petulanter ac protervè barbam illis vellunt, quibus obſequium debent & reverentiam. Nec impietatis & perfidiæ & contumeliæ & mendacij nota ullis *reſervationum* & *reſtrictionum mentalium*

strophis elui potest, quin in Deum, in Magistratum, in conscientiam, in fidem publicam & officium hominis ingenui & probi graviter consutis illis dolis peccetur. Mirum verò, patronos harum stropharum se sistere illos, qui eius se *Socios* peculiari jure, sed vano & superbo titulo, profitentur qui & *veritas*, & veritatis unius doctor, & mendacij omnis, & appendicum mendacij osor est & vindex. Æquivocationes quas homines profani à Christo admissas contendunt, totidem sunt blasphemiæ, in Servatorem nostrum injuriæ, cujus verba semper verissima sensu à Domino intento & verbis convenientibus expresso. Vnde multi etiam Ecclesiæ Romanæ Theologi, quibus conscientiæ & candoris, & fidei publicæ & Magistratus jus commendatum, strophas ejusmodi aversantur, & earum Authoribus & patronis dicam ingenuè scribunt. De quâ re consuli potest inter alios *Commentarius* prolixus *Iosephi Barnesii* ante annos aliquot evulgatus, & Facultatis Theologicę Parisiensis approbatione munitus, qui masculè & egregiè æquivocationum incommoda & plurima & gravissima multis exponit. De eodem argumento agit eruditè *Andreas Rivetus* Vir CL. in Explicatione Decalogi ad præceptum IX^um^. Imò in ejusmodi responsis æquivocis sæpe cum mēdacio conjungitur perjurium. Interrogabitur *proditor* vel *sicarius* v.g. annon venerit in Angliam sive ad regicidium committendum, sive ad clandestinas molitiones? negabit utrumque hac restrictione apud se subintellectâ, se non venisse carpento vel rhedâ vel veredis in Angliam, se non venisse paludatum, vel non venisse ex Moscoviâ, vel non venisse cum intentione se prodendi Magistratui, vel cum intentione mutandi propositum, vel se non venisse Kal. Ianuariis, & alia id genus. Exigitur ab illo juramentum, præstabit id, tacitè secundùm restrictiones suas mentales, etsi apertè id videatur præstare super verbis secundùm sensum quærentis intellectis. An non hic plura crimina in uno? annon sic ludibrio habentur potestates? annon negatur contra conscientiam & id de quo quæritur, & id de quo conscientia convicta est? nec enim quæritur vel de modo adventus, vel de loco unde talis prodierit, vel de finibus aliis, quos ille apud se versat animo, sed vel de qualitate personæ, vel de fine adventus qui in quæstione proponitur, negatâ verò ἁπλῶς & sine

ſine vllâ limitatione expreſsâ, ipsâ re de quâ quæritur, negantur ſimul omnia re illa contenta, adeoque & illud de quo tamen animus reſpondentis convictus eſt. Accedente etiam juramento & Deo illuditur, & gravi perjurio ſe obſtringit planus eiuſmodi, qui ſacroſanctum Dei nomen ad id affirmandum temerè & ſcurriliter adhibet, quod nec in controverſiam vocatur, nec aſſertione opus habet vel confirmatione. An ſalvâ conſcientiâ quæſo homini Chriſtiano juramento affirmare licet, ſe non eſſe Sacerdotem, Bacchi ſcilicet & Lavernæ, ſe non carpento trajeciſſe Oceanum, vel ſe eum non eſſe emenſum pedibus, & alia id genus? Nec hîc *inculpata tutela* allegari poteſt, quia inculpata tutela vocari nequit, ubi id quod verum negatur, vel falſum aſſeritur, & æquivocator aliud pectore clauſum gerit, aliud ore profatur, & animo quærentis inſinuatum cupit, quod nunquam faciendum, quodcunque damnum ingruat vel impendat. Et ſanè *malo ethico* mendacio nimirum & perjurio, *malum phyſicum* à ſe amoliri, contra Apoſtoli canonem invictum *non eſſe facienda mala ut eveniant bona*, noninculpata ſed culpanda & improbanda tutela eſt. Quod ſi verò reſervationibus & reſtrictionibus eiuſmodi mentalibus locus ſit, caſus nullus dari poterit, in quo non vel verum negari, vel falſum aſſeri ſine mendacio & periurio poſſit, peribit fides publica, peribit ſummorum capitum dignitas & ſecuritas, peribit veracitas & ſinceritas, & fruſtra à Martyribus candida veritatis profeſſio coram Tyrannis edita, & ſanguis potius fuſus, quàm prolatum mendacium. Exceptiones Æquivocàtorum confutatas habes apud Authores citatos, unde non eſt quod illis diſcutiendis immoremur.

DVBIVM LXXVI.

Quî nulla mentio apud *Ioſephum* vel Scriptores alios infanticidii illius Bethleemitani de quo *Matthæus* II. 16?

EXAMEN.

Causæ Dubij propositi. Rationes dubitandi. Rationes oppositæ. Æquitas debita narrationibus Scriptorum. Matthæi fides & candor. Macrobij *testimonium excussum. Coniectura* Baronii *explosa. Disquisitio de dicterio Augusti. Pœna θεήλατος Herodis. Rationes oppositæ silentio Iosephi. Iosephus ab* Egesippo *perstrictus. Nomen παιδοκτόνε quod Herodi hæsit.*

I. HOC *Dubium* à duplici hominum genere movetur, 1° ab iis qui sunt alieni à fide Christianâ, 2° ab iis qui sunt domestici fidei, quàvis ab utrisq; moveatur fine diverso. Hostes Religionis Christianæ hoc telum torquēt in Matthæū, ut fidem ejus solicitent, Christiani & Interpretes & Lectores hîc hærent & mirantur facinus tam insigne nec ab Evangelistis aliis, nec à Iosepho, nec à Scriptore ullo rerum Iudaicarum referri. Causa quin etiam gravis accedit, quæ admirationem auget, eo quod *Iosephus*, si quicquam aliud, certè totam Herodis historiam exequitur quàm diligentissimè, nec minimas etiam circunstantias vitæ illius prætermittit. Adde, Iosephum non palpum obtrudere Herodi, nec purpuram ejus adulari, sed facinora alia illius truculentissima etiam singulari fide & libertate proponere, v.g. generi, uxoris, & trium filiorum cædes ab illo imperatas, & alia id genus quæ memoriam hominis nefarij apud posteritatem proscribunt, & sanguinarium ejus animum orbi toto testatum faciunt. Mirum ergo, nec hanc carnificinam prioribus addi, quæ utpote in vulgus nota vix Scriptoris accuratissimi cognitionem & diligentiam effugere potuisse videtur.

II. Non desunt tamen tum quæ opponamus hostibus Evangelij super hoc argumento, tum quæ proponamus Lectori

Chri-

Christiano. Vtrisque sive Evangelij Matthæi fidem temerè solicitantibus, sive super eâ re suspensis, & animo hærentibus consideranda exhibemus argumenta talia, quę sufficere possunt hominibus æquis & candidis tranquillandis, compescendis iniquis, & fidei Matthæi nostri satis superque vindicandæ. 1. An Scriptorum paganorum fides solicitatur super iis quæ vel *Livius,* vel *Tacitus,* vel *Suetonius,* vel *Dio,* vel *Herodianus,* vel alii id genus Historici sine teste referunt? an ob id falsa censentur vel gesta, vel gestorum circunstantiæ quas unus ex illis sæpe refert, multis aliis eadem sæpe tempora, easdem personas describentibus, apud quos tamen altum de talibus silentium? Cur illis potius adhibenda fides in narrationibus singularibus quàm Matthæo nostro? vel inprimis quum illi sępe à rerum gestarum memoriâ remoti fuerint, sæpe de rebus in alio orbe vel apud remotissimas gentes gestis loquantur, quandoque etiam fidem & candorem suum in grave discrimen adducant. Si ergo non novum apud Paganos, multa sæpe ab uno tantùm Scriptore narrari, quæ ob id in dubium temerè vocari non debent, cur id vitio vertendum Matthæo? an pagani majori jure multa nobis obtrudent uni tantùm testi asserta, & testi sæpe suspecto, quàm nos illis Historiam à Matthæo recensitam? cujus candor, sinceritas, fides ubique elucent, qui nec sibi vel suę famæ scribit, nec quicquam sibi tribuit, unde se posteritati commendet, ut aucupetur famam & gratiam, imò qui primum vitæ suæ genus, quod exosum maximè Iudæis, candidè profitetur, nec ὑπεροχὴν ullam sibi adscribit inter discipulos Christi, sed se inter vltimos numerat, aliis multa eximia à Christo præ se tributa fatetur, nihil sibi præ aliis. Adde, totam contexturam Evangelicam Matthæi esse simplicem, candidam, ab omni tum affectatione, tum ostentatione alienam, & characteribus evidentissimis hominis ingenui & candidi consignatam. An characteres ejusmodi apud Historicos paganos reperiuntur, quorum plerique non tam aliis quàm sibi scripsêre, suæ famæ velificati, & vel gratiæ principum sui temporis, vel favori illorum qui ex principibus nati, vel auræ populari, & aliis id genus seculi illiciis operati? 2. An ullâ probabilitatis specie homini sano persuaderi potest, Matthæum confictâ narratione, & narratione rei recenter gestæ, & gestæ in publico, & gestæ inter Iudæos, se Iudæis traducturum

fuisse ab initio statim Historiæ Evangelicæ,& omnem sibi,omnem Christo fidem abrogaturum narratione eiusmodi,de cujus falsitate à popularibus suis à Christo alienis facillimè poterat revinci? Hæc non cadunt non solùm in hominem ingenuum & candidum, sed nec in hominem qui non sit planè frontis perfrictæ, & cui non θεὸς ἢ αἰσχύδεια. Mendacio interdum gratia videtur inesse,vel spes, vel præmium,quod verò ex hac narratione lucellum sperari poterat à Matthæo, quæ non infamia metui, si rem tot hominum & infestißimorum quidem contradictioni obnoxiam à limine Historiæ Evangelicæ præscribere sategisset? 3. Adde nec Matthæum omninò esse ἀμάρτυρον in hoc argumento, sed singulari Dei providentiâ Scriptorem Romanum, & præclarum quidem, addo & ab Evangelio alienißimum, adeoque non testem de domo productum Matthæi nostri narrationem & fidem paganis omnibus ingerere & commendare. Est is *Macrobius* Vir illustris *curiosissimus in loquendo*, ut bene de eo *Laurentius Valla*, & vir primariæ dignitatis, sacri cubiculi præpositus sub Honorio & Theodosio Cæsaribus, homo Ethnicus tamen, adeoque non testis de domo productus. Hic libro II. Saturnalium capite IV. hujus Historiæ mentionem non obscuram facit,ubi inter alios Augusti jocos, quos ibidem recenset, & dicterij cujusdam in hanc rem facientis meminit, *quum audisset* Augustus (inquit *Macrobius*) *inter pueros,quos in Syriâ Herodes Rex Iudæorum intra bimatum iußit interfici,filium quoque eius occisum,ait,melius est Herodis porcum esse quàm filium.* Habes cædem,objectum cædis,pueros,& pueros ἀπὸ διετοῦς, locum,Syriam, cujus pars Iudæa, authorem Herodem, omnia consona Matthæo. Dubium unum restat, quis ex filiis Herodis inter pueros illos occisus fuerit. Conjecit *Baronius* & multi alii aliquem ex Herodis filiis ætatis teneræ Bethleemi vel natum, vel altum vnà cum reliquis fuisse jugulatum. Sed præterquam quod hoc gratis dicitur, & sine Authore, vix verisimile Herodi homini propè septuagenario vel filium bimulum fuisse, vel Bethleemi in vico ignobili altum, vel trucidandum quanvis fata ei sceptrum portendissent, quum nec ab eo ullum Tyranno adulto periculum imminuerit, nec sceptri è domo suâ transferendi metus. Meritò ergo ab Eruditissimo *Casaubono* commentum illud profligatur Exerc. II. ad Ann. Bar.

Bar. Dicendum itaque potius, à Macrobio duas historias inter se confusas, & quum paulò post infanticidium illud, non Alexander, (ut per ἁμάρτημα μνημονικὸν Vir Summus, quippe qui diu ante Beryti præsentibus Saturnino & Volumnio cum Aristobulo fratre damnatus, & in Sebaste strangulatus,) sed Antipater filius Herodis iussu jugulatus fuerit Hierosolymis, pueri illi Bethleemi, à Scriptore Romano utramque cædem simul quasi eodem loco & iisdem de causis gestam referri, etsi in genere quoque Antipater ob suspicionem affectati regni mactatus legatur. Miratur Illustris Vir *Iosephus Scaliger* in Animadversionibus Eusebianis ad annum M.M. XXI. qui hoc dictum Augusto exciderit, quum sententiam capitis in tres filios latam ipse Augustus judicio suo comprobatam confirmârit? Dicterio tamen illi locus satis fuisse videtur ex eo quod Augustus optionem reliquit Herodi, & potestatem integram, sive se regem Antipatro exhibere vellet, sive patrem, sive vellet illum exilio punire, sive capitis damnare, quod *Iosephus* docet Antiquit. lib. XVII. cap. IX. Adde, quanvis confirmasset Augustus cædes filiorum Herodis, dicterio illi adhuc & locum & gratiam esse, eò quod à suillâ se abstinuerit Herodes Iudaicum morem sequutus, furori verò suo obsequutus filiorum cædibus iteratis domum suam cruentârit, adeoque clementior fuerit in porcos quàm in filios. Rem ergo tangit *Macrobius*, etsi confundat Antipatri jam maturæ ætatis cædem cum bimulorum cæde. Sic solenne Scriptoribus profanis, quãdo Historiam sacrã attingunt, vel falsa vel cõfusa narrare. An verò hoc Macrobij testimonium emendicatũ vel extortum, vel in gratiam Matthæi & Christianorum prolatum? 4. Annon pœna etiam illa θεήλατος, quæ Tyrannum excepit Matthæi fidem quovis teste firmius asserit? annon meritò ille filij sanguinem fudit, qui non abstinuit alieno, ille filium victimam Bethleemitis immolavit, qui in aliorum cædes armaverat ferrum suorum carnificum? Sic sanè iusto Dei judicio homo nefarius legem talionis in seipsum exequutus, & Pharaonis, Adonibeseci, Sanheribi & Tyrannorum aliorum fata expertus, qui paritate supplicij flagitia à se admissa luerunt? 5. An quæso etiam facinus à Matthæo commemoratum vel contradictionem implicat, vel ulli Scriptori alii contradictum, vel alienum ab ingenio hominis

omni-

ſanguinarij & ſupra modum ſuſpicioſi, à reliquâ Herodis Hiſtoriâ, & tot geſtis truculentis, quibus in omnes illos invaſit, à quibus majeſtatem ſuam peti, vel tyrannidi ſuæ periculum aliquod imminere ſenſit? An mirum itaque tale quid Herodi hîc à Matthæo adſcribi, cui, ut inquit Ioſephus libro XIX. cap. 13. *πονηρὸν ἦν ἦθος ἐπὶ τιμωρείαν ἀπότομον, καὶ κατὰ τῶν ἀπηχθημένων ἀταμίευτον.* 6. An teſtis etiam affirmatiuus unus non præferendus negativis plurimis? quantò magis teſtis affirmativus hic præferendus non contradictioni vel negationi ſed ſilentio tantùm multorum aliorum? 7. Sic non de nihilo, quod notat *Ioſephus*, totam Herodis gentem intra annos non ita multos excidio devotam fuiſſe, qui innoxiorum infantum cædibus domos & vicos complures cruentârat, & ſolitudinem alienis induxerat familiis ac orbitatem.

III. Si *Ioſephi* ſilentium vrgetur, urgeamus exempla plurimorum Scriptorum, quibus hæc vel illa ſive ex incuria, ſive aliis de cauſſis prætermiſſa. Quid obſtat etiam quominus dicamus ſtragem illam diſſimulatam fortè à Tyranno, & alio prætextu, alio titulo editam, & militum potius vel ſatellitum furori adſcriptam quàm Herodi? An nihil etiam rerum Iudaicarum prætermiſſum à Ioſepho, & minima maxima ab illo ſine ullo defectu relata? annon & in Veteri Teſtamento multa notata, quæ indubia Iudæis etiam, præterita tamen Ioſepho? an ob id fides abroganda talibus? Quis Scriptorum unquam eventus omnes, omnia geſta in una urbe conſignavit, minus in una gente? Adde, Ioſephum libro XVII. cap. III. inſigne Herodis facinus narrare, quod aliquomodo huc referri poteſt: Phariſæos Pherotæ uxori prædixiſſe, Deo decretum eſſe regnum ab Herode auferre, & in eius progeniem transferre, & novo regi omnia ſub manum ventura & proſperè ceſſura. Hanc prædictionem cædes complures ſequutæ. Etſi enim per adulationem aulicam talia ad Pherotæ familiam à Phariſæis tranſlata, res tamen eadem, indicium de transferendo regno, & novo rege conſtituendo, quod ſequutæ cædes. Quid obſtat reliquis cædibus, Herode ob varias id genus prædictiones in rabiem acto, & Bethleemitanorum puerorum cædes adjectas? & Phariſæos ſuam temeritatem, pueros illos rumorem publicum de rege Bethleemi naſcituro vel nato luiſſe? An mirum

rumoris illius & pœnarum ſubſequutarum partem à Ioſepho narratam, partem ſuppreſſam? Et ſi uni Ioſepho cædes Bagoæ, Cari, & aliorum referenti fidem habemus, cur minor habenda Matthæo referenti infanticidium Bethleemiticum, cujus tam aperta cauſa præceſſit, indicium nimirum de Meſſiâ recens nato, confirmatio Prophetica Bethleemum natalibus ejus decorandam, rumores in die purificationis de Chriſto Hieroſolymis in templo & viſo & celebrato ſparſi, furor Herodis verba ſibi data à Magis, ſe deluſum, qui putabat deluſos Magos, nec ob id auſos Hieroſolymam reverti, & conſpectum ſuum ſuſtinere. His omnibus Herodis pectus implentibus, & tyrannum vexantibus, mirum non eſt, tam horrendam ſtragem crudo & ſævo illius imperio Bethleemi exercitam fuiſſe. *Euſebius* ſane notat ad annum 11. Olympiadis CXCIV. Herodem circa tempus illud in quoſvis ſæviiſſe, εἰς τοὺς ὑφηγητὰς etiam τῶν ἱερῶν νόμων, multò magis ergo in infantes in vico ignobili natos? Si *Pſeudo-Philoni* etiam credimus in Sanhedrin ſummæ dignitatis & exiſtimationis homines à Tyranno circa idem tempus ſævitum, & illi nefariè oppreſſi. Quid obſtat cum talibus ſtragem puerorum unius vel alterius vici conjungere? Imò quum illa omnia quæ à Chriſto & circa Chriſtum geſta à Ioſepho fuerint prætermiſſa, ſive ſuppreſſa à Iudæis, ſive per calumniam aliò raptata, ſive extenuata vel traducta, & quum Ioſephus verbo tantùm Chriſti meminerit, an mirum ſtragem in vico ignobili & in confinio eius editam prætermiſſam? Quin potius habemus quod ſingularem Dei providentiam hac in parte miremur, qui pleraque ſacris Scriptoribus dicta indicta voluit profanis, vel exercendę fidei noſtræ, vel ſeparandæ Hiſtoriæ ſacrę à profanâ, vel aliis id genus de cauſis, de quibus prolixè actum *Dubiis* VIII. & XXXV. ubi in cauſas inquiſitum, cur vel nulla vel exigua admodum & obſcura ἀπογραφῆς œcumenicę mentio apud Scriptores paganos reperiatur? cur de ſtella etiam quę apparuit Magis altum ſit apud illos ſilentium? quarum cauſarum aliquæ ad hoc etiam argumentum referri poſſunt. Nec verò hic urgendum ſilentium reliquorum Evangeliſtarum, quum enim ab illis non relata fuerit Magorum Hiſtoria, nec ἑπόμενα eius relata fuêre. An verò ab illis negata quæ non ſcripta, & non preſuppoſita potius? Imò

ſingulari Dei providentiâ factum ut quædam ab uno Evangeliſtarũ ſcriberentur, quędam à pluribus, tum ne ex compacto ſcripſiſſe viderentur, tum ut ad diligentem plurium Evangeliſtarum collationem adduceremur. Nec reliquorum Evangeliſtarum fuit deſcribere Hiſtoriam Evangelicam Matthęi, ſed ſcribere, & ſcribere pro impulſu & dictamine Spiritus Dei, qui quędam iterata voluit à reliquis Evangeliſtis, quędam non item, illa tum ad maiorem ἀσφάλειαν, tum ad harmoniam horum teſtium oſtendendam, iſta ad vindicandam tum libertatem eorum tum ſinceritatem. *Egeſippus* cęteroquin jam olim Ioſephum perſtrinxit, quod divinam Chriſti reſurrectionem & pleraque eius opera ſciens volenſque prætereierit. Et ſanè Chriſtiani eo nomine cum illo expoſtulare poſſunt, & vel fidem illius vel diligentiam hîc deſiderate. Quàm præſtitiſſet multa alia ab illo vel pręterita vel ſuppreſſa potius quàm talia quæ & ſummæ dignitatis, & ſummę utilitatis. Merito verò παιδοκτόνȣ nomen infame Herodi hęſit, ſi *Cedreno* credimus, ex causâ quidem ſpeciali ob cædes filiorum, iuſto tamen Dei judicio ob hanc etiam ſtragem, quę memoriam tyranni bonis omnibus meritò exoſam reddit.

DVBIA LXXVII. LXXVIII.

LXXVII. Cur Deus permiſerit infanticidium illud Bethleemiticum, & ſtragem horrendam tot puerorum innoxiorum? LXXVIII. Quid de puerorum illorum *numero, oſsibus, reliquiis* ſit ſentiendum?

EXAMEN.

Cauſa mirandi. Gloſſema Salmeronis. *Limbi fabrica imaginaria. Rationes permiſsi infanticidij. Documenta* myſtica & moralia. *Duplex* permiſsio.

missio. *Qui pueri illi innoxij. Ius Dei* αὐτοκρατορικὸν *Beneficium cum supplicio deputatum infantibus Bethleemitanis.* Numerus *illorum temerè definitus.* Ossa *illorum* ὑποβολιμαῖα. *Quid Martyrum reliquiis debeatur, quid virtutibus.*

I. NON desunt scrupuli graves in speciem qui admirationem exprimant Lectori etiam pio & Christiano super hoc argumento, Deum permisisse tot pueros innoxios jugulari, & jugulari illius causâ, qui venerat pacem & salutem suæ genti conciliaturus, & jugulari sine parentum & gentis Iudaicæ impetu in Tyrannum & in satellites nefarios carnificinę illi exequendæ destinatos. Annon sic Christi cunabula funesta fuêre & fatalia miseris civibus Bethleemitanis? Vbi ὑπεροχὴ illa Bethleemi, de quâ tam magnificè vaticinatus fuerat Propheta Michęas? annon præstitisset Bethleemum Messię natalibus non decorari, & sic tot innocentum puerorum stragem averti, sanguinem cæsorum, lacrymas, ejulatus & mœrorem inconsolabilem illorum inhiberi, quibus sanguis ille charus erat & pretiosus?

II. Quanvis verò horrenda illa strages primo intuitu Lectorem vel vexare videatur vel offendere, tamen causę non desunt & complures & graves, cur divina providentia tale quid natalem Christi & Bethleemi quidem in natali vico excipere voluerit. Documenta enim tum *mystica*, tum *moralia* non pauca inde erui possunt piorum admirationi sistendę, & offensę illorum abstergendę, qui super hoc argumento tumultuantur. Pretermitto rationem frigidam quam Interpretes quidam Pontificij, & inter alios *Salmero* notat, Tract. XLIV. Tomo III. hanc stragem lætificasse Patres qui erant in limbo, & Angelos miro affecisse gaudio, dęmones verò confudisse, quos probabile sit facti sui pænituisse, quum viderent infantium animos deportari in sinum Abrahæ ab Angelis clamantibus, *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem,* &c. qui Christum & ejus matrem

lætabundi inviſerint. Non entis, ut notum, nulla accidentia, Limbi fabrica ἄγραφος, ἀντίγραφος, ἄλογος, adeoque imaginaria, ut & reliqua à *Salmerone* adjecta, & ſtructuræ illi ſuperſtructa. Aliis rationibus opus huic Dubio diſſolvendo, & æſtui Lectoris pij componendo.

III. Vt verò omnium aliorum, ſic & hujus rei ſumma ratio in Dei voluntate conſiſtit. Cauſæ tamen aliæ dari poſſunt non contemnendæ cur talis Deo voluntas ſederit. 1. Annon digniſſimus erat Bethleemitarum ſtupor & pœnâ & pœnâ gravi, qui puerperam & puerperam quidem è domo Davidicâ ortam detrudunt in ſtabulum, Chriſtum naſcentem nec excipiunt, nec venerantur, paſtorum Bethleemiticorum nuntium ſimul & gaudium, Magorum adventum & alia id genus Chriſti natales decorantia aſpernantur? Meritò ergo cives Bethleemitici luunt ſupinam illam & non excuſandam negligentiam, quod ſuæ viſitationis tempus & ſummum beneficium ſibi exhibitum inſuper habuerint. Nec novum, peccata parentum puniri in liberis, & infantes quandoque hanc etiam hæreditatis paternæ partem cernere. 2. Sic oſtenſum, quod ſit ingenium Tyrannorum, quod ſtudium Chriſtum naſcentem exſtinguendi, & cunabula ejus cruentandi. 3. Sic patefactus ſanguinarius Herodis animus, & larua detracta Tyranno ſimulanti deſiderium adorandi pueri recens nati. 4. Sic prædictioni divinæ ad Magos directæ fides adſtructa, Herodem quærere puerum *ad eum perdendum.* 5. Sic oſtenſum, quàm periculoſus morbus ſit ambitio, æmulatio, quis impetus ſummorum capitum, ubi affectati ſceptri ſuſpicio illos ſemel invaſit, vel ira corripuit, non coercita à Dei Spiritu. 6. Sic maturè indicatum, quæ ſit Eccleſiæ in terris facies, cruenta nimirum & ſanguine tincta, Chriſtum ſuis eſſe *ſponſum ſanguinis*, Eccleſiam tyrannorum perſequutionibus obnoxiam eſſe & futuram quandiu hîc peregrinatur à Domino. 7. Sic Eccleſia Novi Teſtamenti conformis reddita Eccleſię Teſtamenti Veteris, iſta Abelis, illa puerorum Bethleemiticorum cęde initiata. 8. Sic oſtenſum, piis à corruptione ſeculi alienis, crucem cum Chriſto & poſt Chriſtum & propter Chriſtum ferendam. 9. Sic oſtenſum, Chriſti regnum non eſſe de hoc mundo, illi enim cadunt ferro tyranni, quos Chriſtus ſibi vindicat, & in ſuorum,

censum adscribit. 10. Sic ostensum, Christum cuiusvis ætatis Martyres habere, provt cuivis ætati Salvator destinatus, & quorumvis bono venit. Ex ore infantium etiá & lactétium Dominum quandoque sibi perficere laudem. 11. Sic indicatus stupor tyrannorum arbitrantium ferro exscindi posse Christum: ut verò occisis pueris Christus evasit salvus, imò eorum strage & sanguine illustrius longè Christi nomen redditum, sic Martyres cędi possunt, Christus non item, nec illorum mortes & martyria ingloria, vel nominis & regni Christi fama obnoxia furori hominum, quin potius eo ipso emergit augustior, & à tyrannorum ferro vires & animos sumit majores. Conjunctim ergo hic ostensum, quid sint molituri hostes Christi, quid simulaturi, quid facturi, quid passuri fideles, quid profecturi Tyranni in Christi persecutione. 12. Sic declaratum, non sęvitiam magis quàm astutiam illis obesse quos Deus vult servatos. Nec consilium dari contra Dominum. 13. Sic etiam indicatum Tyrannos in innoxios sæpè promiscuè sævire, modò illorum clade involuatur Christus, vel illi quos sibi infestos credunt. Sic sæpe Achivi plectuntur ob deliria & impetum imperantium. 14. Sic ostensum, nullam ætatem à periculis & miseriis immunem esse, nulli non pro Christo militandum, ut enim in eo nec Scytha nec Græcus, sic nec puer nec senex, nullum gentis, nullum ætatis discrimen, quando glorię illius serviendum. 15. Sic declaratum, innocentum cędes sępe à Deo occultis quidem, justissimis tamen de causis permitti, nec cędes illis obesse, qui aliorum flagitiis & tyrannide pereunt. 16. Sic indicatum, non debere ex pœnis & ærumnis externis judicari de peccatis vel criminibus occisorum vel afflictorum, quasi pluribus illi peccatis obruti, graviorem mererentur crucem, non magis quàm illi ex Galilęis quorum sanguinem Pilatus dicitur miscuisse cum sacrificiis, vel quos turris Siloę oppressit. 17. Sic in personâ puerorum Bethleemiticorum documentum datum, omnia charissima etiam & pretiosissima Deo vindicanda, offerenda, immolanda, quæque parentes vitâ ipsâ chariora habere solent. 18. Sępe inter Iudæos à parentibus liberi Molocho Idolo nefandâ superstitione oblati, & inter ignitos eius amplexus exstincti fuêre. An mirum ergo Deum parentum impietatem

quanvis serò castigasse, & nefarias infantum cędes aliis cædibus ultum fuisse, quod verò Bethleemitani potius cives hîc mulctati quàm alij, factum ob rationes suprà indicatas. 19. Sic ostensum, per impios etiam & sęvissimos Tyrannos Deum exequi judicia sua. Quanvis enim Herodem non Dei Bethleemitas castigaturi voluntas, sed ambitio & rabies in suspectos grassandi ad hoc facinus impulerint, interim tamen per malam hominis mali voluntatem bene agit Deus, & sæpe per ipsa flagitiosorum scelera sine ulla mali contage exequitur justissima judicia sua. Sic Medicus ingluvie hirudinis utitur ad evacuationem sanguinis corrupti. Sic *virgâ furoris sui* Regibus & gentibus Deus olim sępe usus in castigando suo populo, Absalomo in castigando Davide, instrumẽtis pessimis in admirando redẽptionis nostrę opere promovẽdo: Sic ut Deus ursis olim usus & illorũ rabie ad lacerandos pueros Prophetã illudentes, sic rabie Herodis ad hoc facinus. 20. Hoc ipso etiã docetur quàm periculosum sit cõjecturis & suspicionibus indulgere, injurias vel veras vel imaginarias aliorum altè in animum admittere, super aliorum etiam molitionibus sibi crucem figere, quæ quamvis falsæ sępe non veræ, fictę non factæ, creditę tamen mirum quantum animos exasperant & accendunt. Alia id genus documenta complura *moralia* simul & *mystica* addi possunt causæ reddendæ stragis illius Bethleemi & permissæ & factæ.

III. Non ergò mirandum, Deum permisisse tot pueros innoxios jugulari, nam 1. *permissio* illa *physica* tantùm fuit, ut ita loqui liceat, non *ethica*, ut & peccatorum aliorum, non consistens in relaxatione legis, vel in approbatione facti Tyranni, sed in non impeditione duntaxat flagitij quod moliebatur homo nefarius, quod facile fuisset Deo impedire, si id placuisset directori omnium. Huc refer distinctionem permissionis *juris* & *facti*, interdum enim permittitur aliquid à Deo quoad *ius* tantùm, ut actus boni debiti ab homine, non editi tamen, interdum quoad *factum* tantùm, non quoad *jus*, ut actus mali prohibiti quidem, sed non inhibiti, interdum quoad *jus* & *factum*, ut actus bonĩ & imperati & editi ab homine, interdum nec quoad *jus* nec quoad *factum*, ut actus mali non prohibiti tantùm sed & inhibiti ac impediti. Sic interdum Deus aliquid permittit secundùm *justitiam* suam, interdum secundùm *potentiam*,

tiam, interdum ſecundùm utramque, interdum ſecundùm neutram. Vt verò permiſſio illa mali Deo vitio verti non debet, ſic nec concurſus ad actum malum, non magis quàm Soli concurſus ad maturationem plantæ venenatæ. Diſtinguenda enim hic actus, ἀταξία actus & judicium. Nec concurſus Dei vel violentus, vel coactivus, ſed attemperatus naturæ rationali, ut illa moueatur convenienter ſuis principiis, tum *directivo*, quod intellectus, tum *imperativo*, quod voluntas, tum *executivo*, quod locomotiva, ut homo agat & quod mens ſuadet, & quod voluntas imperat, & quod loco motiva exequitur, & id faciat quod & vult facere, & ſummo impetu vult. Et ut naturalia Deus movet per impulſum naturalem, animalia per impulſum animalem, ſic creaturas rationales movet Deus per impulſum conjunctum cum προαιρέσει, ſpontaneitate & libertate, alienum à neceſſitate tum *coactivâ* tum *naturali.* 2. Pueri illi innoxij dici poterant συγκριτικῶς tantùm, non ἁπλῶς, *comparatè*, non *abſolutè*, nam & illi in peccato concepti, in eodem nati juſtitiæ divinæ erant obnoxij, quanvis illorum corruptio ætate repreſſa nondum erupiſſet in nervum. Vt ergo in catulo lupi ferocia & rabies, in ſerpentis ovo venenum, ſic in infante ex peccatore nato peccatum reperitur & prima mali labes, adeóque reatus mortis tum temporariæ, tum æternæ. 3. Adde jus Dei αὐτοκρατορικὸν in creaturas omnes conſiderandum eſſe, cuius potentiæ & judicio omnes obnoxij, cujus gloria vitę etiam diſpendio redimenda. Vnde non injuſtè occidit Deus quos tamen injuſtè occidit Herodes, prout notum, in concurſu cauſarum bonarum & malarum, quicquid in effectu boni id cauſis bonis, quicquid mali id malis adſcribendum eſſe. 4. Adde, occulta Dei judicia eſſe poſſe, iniuſta non item, & illa adoranda potius eſſe quàm ſuggillanda. 5. Imò in hac ipſa infantum cæde beneficium illis cum ſupplicio deputatum, quippe qui in tenerrima ætate gloriæ divinæ operati fuêre, nec ærumnis duntaxat & calamitatibus ſeculi maturè ſubducti, ſed & à majorum ſuorum contage præſervati, ac inſigni martyrii coronâ redimiti. Tametſi itaque Christi cunabula funeſta videantur civibus Bethleemitanis, tamen infantibus illis revera glorioſa fuêre. Nec ὑπεροχὴ a Propheta jam olim notata ob id Bethleemo deceſſit, ſed acceſſit, quod marty-

rum turbam ingentem Dominus sibi ex Bethleemitarum numero sacram esse voluerit. Nec vita puerorum illorum melius & gloriosius impendi poterat, præterquam illi, à quo & vitam habuêre, & beneficium vitam ærumnosam cum meliore commutandi. Non mirum etiam nec ejulatus, nec renitentiam Bethleemitanorum civium obstare potuisse, quominus carnifices Tyranni facerent ingentem puerorum illorum stragem. Quid enim facilius militibus & multis dubio procul & armatis, quàm in imparatos invadere, & ætatem ferendo tantùm obnoxiam jugulare, vicum exiguum perrumpere, & in eo promiscuis cædibus grassari? Accedebat fortè etiam vi & potentię auctoritas regia, & mandatum principis, cujus iram Iudæi sæpe experti, & sanguinis quidem sui ac suorum dispendio. Quicquid verò ejus rei fuerit, sive sola vi rem peregerint bustuarij, sive violentiæ accesserit auctoritas, vel prętextus alij, certum, ex citatione & applicatione Vaticinij Ieremię, de quo in sequentibus, altum & inconsolabilem dolorem sedisse matribus Bethleemitanis, quę clamoribus & ejulatibus in totam viciniam sparsis filiorum cędes vel comitatę fuêre vel prosequutę. Sed arma illa imbellia nec Tyranni rabiem, nec satellitum furorem vel mitigare poterant vel inhibere.

IV. *Numerum* verò puerulorum illum protomartyrum Ecclesię Novi Testamenti definire, quem Scriptura non definit, temerarium potius quàm solidum, & gratis confictum. Quatuordecim millia jugulatorum ex *Æthiopum Missa* censentur in Ecclesia Romana, & capitum numerus accuratè in strage tumultuaria initus, si fabulis credimus, & Authoribus sequiorum temporum. Numerum Scriptura tacet, quem & nos sine dispendio veritatis sacræ ignorare possumus. Magnum satis fuisse, dubitari non debet, quum strages illa ad majorem cautelam, ne ulla ratione elaberetur Messias, non tantùm Bethleemi facta fuerit, sed & ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς, *in omnibus finibus eius*, prout eâdem de causa tempus extensum, & infantes ἀπὸ διετοῦς *intra bimatum* excisi, ne vel ætatis, vel staturæ beneficio carnificinæ isti subduceretur ille, quem petebat Tyrannus. De sensu verborum ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω actum *Dubio* XXVI.

V. *Reliquias* cęteroquin & *ossa* quæ infantum illorum esse perhi-

perhibentur,& in *Reliquariis* Romanis asservâtur,& plebi deludendæ cum aliis id genus mercibus obtruduntur, ὑποβολιμαῖα potius esse quàm γνήσια, suspecta saltem, fatentur Viri graves inter Pontificios. A quibus illa vel collecta vel seposita? an à Iudæis vel Christianis? An dubium, occisorum corpora à parẽtibus terræ mandata? Quî post multos demum annos effossa & distincta ab ossibus puerulorum aliorum? An vel à Christo, vel ab Apostolo, vel ab Ecclesiâ primitivâ, vel ab Ecclesiâ primitivæ propinquâ eruta vel asservata vel commendata, minus ad cultum prostituta? Annon solo aspectu scena detegitur, & fictæ merces pergulæ Romanæ & imposturæ institorum *ejusmodi* mercium? An bimulis & infantibus qui infra bimatum, quales Bethleemi iugulati, ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω, ossa illa adscribi possunt, quæ ob crassitiem & compagem suam maturiorem longè ætatem produ͂t: nisi infantes illos ex filiis Hanak descendisse fingamus in gratiam histrionum, qui hoc schemate plebem illudunt. Eadem itaque hic quoque quæ in reliquiis aliis fabula agitur, quali plebem quoque nostram *Genevensem* ante Reformationis tempora miris modis delusam fuisse ostendimus in *Genevâ restitutâ*.

VI. Quicquid verò ejus sit, quanvis λείψανα γνήσια etiam Martyrum vel aliorum id genus sanctorum Dei organorum reperiantur, illa condi debent, non exponi, sepeliri, non prostitui, honestè suæ matri reddi, non superstitioni fovendæ, & quæstui ex plebis stupore faciendo adhiberi. Nec ob id vel in sancta Dei organa sumus injurij, vel memoriam eorum exstinctam & abolitam cupimus, quod per calumniam Ecclesiis nostris impingi solet, quin potius debitum Deo honorem, debitum illis reddimus, dum Virorum Sanctorum pietatem, sanctimoniam, fortitudinem, constantiam & alia id genus dona Heroica, quibus eos Deus ad nominis sui gloriam instruxit, animo recolenda & vitâ exprimenda docemus, luctas etiam & pugnas Sanctorum Dei Athletarum debitis laudibus evehendas, Dei virtutem in illorum infirmitate celebrandam, & piorum animos ad sanctam imitationem, ubi id Dei gloria exigit, præparandos, nec verbis duntaxat & præceptis, sed fortibus etiam exemplis roborandos censemus. Hunc cultum Deo debemus, hos nobis stimulos, hoc præconium sanctis Dei servis, qui non

in Domino duntaxat sed & pro Domino exſpirarunt, & certaminibus variis gloriosè defuncti quieſcunt coram Domino à laboribus ſuis, obtinent ſtolas albas, nomen novum, ſtellam matutinam, & coronas cœleſtes, & perennaturâ beatitate in Agni comitatu perfruuntur.

DVBIA LXXIX. LXXX. LXXXI.

De ratione conciliationis *Ieremiæ* cum *Matthæo*, & quomodo ſint ſolvendæ ἀντιλογίαι apparentes quæ reperiuntur *Matth.* II. 18. in citatione loci *Ierem.* XXXI. 15. LXXIX. De *Mutatis* à Matthæo. LXXX. De *Omiſſis*. LXXXI. De *Additis*.

EXAMEN.

Iudæorum *querelæ & cavilla. Collatio verborum Ieremiæ & Matthæi.* Paraphraſtæ Chaldæi & LXX. *Verſio. Obiecta de* mutatis, *de* omiſſis, *de* additis. *Obſervatio* generalis. *Libertas in referendis aliorum verbis.* Chryſoſtomi *obſervatio. Quotupliciter aliquid in Scripturâ vel* ſit, *vel* dicatur. *Locus* Gal. IV. 22. *illuſtratus. Solutio* ſpecialis *obiectorum.* Maldonati *gloſſema impium.* Hieronymi *obſervatio.*

I. IDEM nobis labor hîc quoque occupandus, quo in vindiciis vaticiniorum ſacrorum in ſuperioribus diſcuſſorum perfuncti fuimus, quia eædem cauſæ recurrunt. 1. Difficultas tum in *citatione* verborum Ieremiæ, tum in *applicatione* eorun-

eorundem. 2. Cavilla hoſtium Evangelij. 3. Dubia & ſcrupuli varij, qui piis etiam & attentis Lectoribus hîc crucem figere poſſunt. Suo itaque ordine ſingula exequemur pro Methodi noſtræ inſtituto, & *primò* diſpiciemus de *citatione* verborum Ieremiæ, tum de *applicatione* eorundem ad ſtragem Bethleemiticam, & planctum ſuper illâ excitatum,

II. *Citationem* ergo quod attinet & collationem verborum Ieremiæ & Matthæi, Iudæi & alij Evangelij hoſtes Matthæum reum peragunt malæ fidei, & contendunt ab eo I. *Mutata* fuiſſe verba quædam Prophetæ. II. *Omiſſa* alia quæ leguntur apud Ieremiam. III. *Adiecta* alia quæ non habentur in textu Hebræo. Singula clariora erunt Lectori ex collatione verborum Scriptoris vtriuſque ſacri, quâ inſtitutâ animadvertent homines æqui, Iudæos hîc nodum in ſcirpo quærere, & nequicquam litem Evangeliſtæ noſtro movere.

Verba *Ieremiæ* ſunt cap. XXXI. 15.

כה אמר יהוה קול ברמה
נשמע נהי בכי תמרורים
רכל מבכה על בניה
מאנה להנחם על בניה
כי איננו :

Hoc eſt, de verbo ad verbum.

Sic ait Iehova, vox in Rama audita eſt, lamentum, fletus amaritudinum, vel *amaritudines: Rachel plorans ſuper filiis ſuis, renuens conſolationem admittere ſuper filiis ſuis, quia non* eſt *ipſe.*

Verba *Matthæi* ſunt cap. II. 18.

Φωνὴ ἐν Ῥαμᾷ ἠκούσθη, θρῆνος καὶ κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολύς, Ῥαχὴλ κλαίουσα τὰ τέκνα αὐτῆς, καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι, ὅτι οὐκ εἰσί.

Hoc eſt, de verbo ad verbum.

Vox in Rama audita eſt, lamentatio & fletus & ejulatus multus, Rachel plorans liberos ſuos, & noluit conſolationem admittere, quia non ſunt.

Paraphraſtes Chaldæus quibuſdam inſertis habet.

כדנן אמר ״ קלא ברום עלמא אשתמע בית ישראל דבכן ומתאנחן בתר ירמיה נביא כד שלח יתיה נבוזראדן רב קטוליא מרמתא רחל אליא ודבכן במרר ירושלם מבכיא על בנהא מסרבא לאתנהמא על בנהא כי גלו׃

Hoc eſt, de verbo ad verbum.

Sic dicit Dominus, vox in excelſo mundi audita eſt domus Iſrael flentis & gementis poſt Ieremiam Prophetam, poſtquam miſit eum Nebuzar-Adan princeps occidentium à Rama: Rachel lamentatur & plorat ob amaritudinem Ieruſalem, plorat ſuper filiis ſuis, renuit conſolari ſuper filiis ſuis, quia migraverunt, vel *deportati ſunt.*

LXX. *Interpretes* vertunt.

Οὕτως εἶπεν Κύριος. Φωνὴ ἐν Ραμᾷ ἠκούσθη, θρῆνος καὶ κλαυθμὸς, καὶ ὀδυρμὸς, Ραχὴλ ἀποκλαιομένη τοὺς υἱοὺς αὐτῆς, καὶ οὐκ ἤθελεν παρακληθῆναι, ὅτι οὐκ εἰσίν.

Hoc eſt, de verbo ad verbum.

Sic dicit Dominus. Vox in Rama audita eſt, lamentatio, & fletus & ejulatio, Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolationem admittere, quia non ſunt.

Ex collatione verborum Prophetæ & Evangeliſtæ infertur ab hoſtibus Evangelij, voces quaſdam *mutatas* fuiſſe à Mattheo, *omiſſas* alias, *adiectas* alias. I° *Mutatio* occurrit in his. 1. Ieremias habet *lamentum, fletus amaritudinum*: Matthæus habet, *lamentatio & fletus & eiulatus multus.* 2. Ieremias habet, Rachel plorans *ſuper filiis ſuis*: Matthæus habet, Rachel plorans *liberos ſuos.* 3. Ieremias habet, *quia non ipſe:* Matthæus, *quia non ſunt.* II° *Omiſſio* occurrit, tū præfationis, *Sic dicit Dominus*, tum etiam vocum poſteriorum, *ſuper filiis ſuis.* III° *Adjectio* vel *additio* occurrit in vocibus ὀδυρμὸς πολὺς, quæ non leguntur apud Ieremiam.

III. Inanes verò hæ ſunt argutationes hoſtium Evangelij qui hîc fluctus excitant in ſimpulo. Vt enim ex inſpectione verbo-

verborum diversitas quædam prætenditur in utroque Scriptore sacro, sic ex sola eorundem collatione observari potest summus Matthæi & Ieremię consensus, summa illius fides. Nec enim quicquam vel *mutatum*, vel *omissum*, vel *adjectum* à *Matthæo* quod vel sensum mutet, vel à verbis Prophetæ & eorum ἐνεργείᾳ & ἐμφάσει recedat. Vt id liqueat Lectori, notandum

1. *In genere*, sacros Scriptores Novi Testamenti non se adstrinxisse anxiè verbis Scriptorum Veteris Testamenti, sed satis habuisse mentem illorum summâ fide expressam Lectori exhibere, unde pro arbitrio & ductu Spiritus S. modò Hebraicam veritatem sequuntur, modò Versionem LXX. Interpretum Hellenistis familiarem, modò suis verbis sensum Prophetarum exponunt, & instituto suo applicant. Cur verò id vitio vertatur Scriptoribus θεοπνεύστοις adeoque αὐτοπίστοις, à Christianis Lectoribus de eorum αὐθεντίᾳ & αὐτοπιστίᾳ persuasis? cur ab hostibus Evangelij & nominis Christiani? quum nemo sibi hanc libertatem præreptam velit in citatione ullius Scriptoris, quin suis verbis mentem & sensum aliorum efferre possit, unde nihil frequentius in vulgari sermone, hæc vel illa ab hoc vel illo dicta vel scripta fuisse, tametsi totidem verbis nec dicta fuerint, nec scripta. Sufficit religiosâ fide mens dictorum & scriptorum exprimatur. Cur ergo minus liceat Evangelistis nostris quàm impuris Iudæorum Magistris, qui summâ licentiâ contextum sacrum sæpe allegant, non verba tantùm verbis substituendo, sed & mentem & scopum sacrorum Scriptorum prorsus pervertendo? Et sanè dictorum vel scriptorum substantia non hæret in verbis quibusdam præcisis, sed in conceptu, & notionibus certis ab Authore intentis, unde idem diversimodè dici potest, diversimode citari vel adstrictè ad verba, vel adstrictè ad sensum. Sic *Chrysostomus* in 1. Corinth.11.& XV. egregiè observat, quædam Scripta esse, μὴ διὰ τῶν ῥημάτων, ἀλλὰ δι' αὐτῶν τῶν πραγμάτων. Et posse reperiri τὸ αὐτὸ νόημα etsi non ἐπ' αὐτῶν τῶν ῥημάτων. Sic appositè dici potest, quædam *esse* in Scripturâ *non dici*, quædam *dici, non esse*, quędam *& esse*, *& dici*, quædam *nec esse*, *nec dici*, v.g. Esse tres personas S.Trinitatis, Spiritum S. procedere à Patre & Filio, filium esse consubstantialem Patri, infantes esse baptizandos & alia id genus non dicuntur totidem verbis in Scriptura, sunt

tamen in Scriptura, non κατὰ τὸ ῥῆμα sed κατὰ τὸ πρᾶγμα, non αὐτολεξεὶ, sed κατ' ἰσοδυναμίαν. Sic quando *Paulus* inquit *Galat.* IV. 22. *Scriptum est enim, Abrahamum duos filios habuisse,* &c. hoc ex illorum numero est, quæ sunt in Scripturâ, non dicuntur tamẽ totidẽ verbis. Sic contrà quædam *dicuntur* in Scripturâ, quæ *non sunt* in Scripturâ, v.g. Quando Deo affingũtur membra humana, vel affectus humani, quę ἀνθρωποπαθῶς dicta θεοπρεπῶς sunt intelligenda, aliud ergo ibi dicitur, aliud intelligitur quod symbolicis illis loquutionibus designatur & convenire potest majestati naturæ divinæ. *Alia* & *sunt* in Scripturâ *& dicuntur*, v.g. Deum esse unum, Deum esse manifestatum in carne, Iustificatos fide pacem habere erga Deum, & alia id genus &c. *Alia nec sunt, nec dicuntur*, v.g. Petrum esse caput Ecclesiæ, Ecclesiam non posse errare, panem transsubstantiari in corpus Christi, & alia id genus. Dicta hîc à Matthæo ex eorum numero sunt, quæ partim *sunt* in Ieremiâ & *dicuntur* à Ieremiâ, partim *sunt*, etsi non *dicantur*, quod ex collatione speciali singulorum liquebit, inde constabit verba Ieremiæ fidelissimè quoad substantiam expressa fuisse à Matthæo.

IV. In *specie* verò observandum quoad *mutata*, 1. Eodem recidere verba Ieremiæ *planctus, fletus amaritudinum*, & verba Matthæi, *lamentatio & fletus*, *& eiulatus multus*, imò Prophetæ verba optimè expressa fuisse nova voce adiecta. Notum enim *genitivos* illos abstractos magnam significare ἐπίτασιν. Vt itaque Hebræi vocant hominem desideratissimum, *Virum desideriorum*, hominem afflictissimum, *hominem dolorum*, ciuitatem sanguinariam & crudelem vel cruore plenam, *civitatem sanguinum*, sic *fletus amaritudinum* illis notat fletum amarissimum: talis verò fletus vel planctus non potest nõ esse ejulatio, & multa quidem ac diuturna. Sive ergo Matthæus hîc citatorem egerit, sive paraphrasten verborum Matthæi, religiosè ab eo mens Ieremiæ expressa. Adde & à LXX. Interpretibus tertiam & eandem quidem vocem adjectam fuisse quæ à Matthæo retenta. *Maldonatus* temerè imò impiè dicit Interpretem vulgatum duo tantum legere *melius, vt opinor*, quia apud Prophetam duo tantùm sunt, an ergo vulgatus Interpres melius Prophetæ mentem vel assecutus fuit vel expressit Evangelistâ? annon ipse fatetur, nomen abstractum תמרורים *amaritudines*, quod perperam

ram *Maldonatus* per concretum nomen vertit, ὀπίπασιν illam innuere? Sic & *alia mutatio* obtensa sine ratione. Ieremias utitur verbo *specifico*, Matthæus *generico*, ille *filiorum* meminit, iste *liberorum*, annon verò eôdem res recidit? Annon dum introducit Matthæus Rachelem plorantem super liberis suis, introducit illam plorantem super filiis suis, annon & filij liberi? qui virtutes *in genere* laudat, vitia culpat, laudat etiam sobrietatem, culpat intemperantiam, qui homines dicit esse ratione præditos, dicit Socratem etiam talem esse & Titium. *Tertia mutatio* speciem habet, vim non item. *Ieremias* habet כי אינגו verbo tenus, *quia non ipse*, id est, quia nemo superest: Matthæus ὅτι ὐκ εἰσὶ, *quia non sunt*. Notandum verò 1. Matthæum hîc sequutum fuisse Versionem LXX. Interpretum, qui sensum pariter, non verba Prophetæ respexêre. 2. Id non factum sine causa gravi, nec à Matthæo spectatam citationem solùm verborum Prophetæ, sed & ἔκθεσιν, ac declarationem. Quum enim voces כי אינגו *quia non ipse* nonnihil ambiguæ videri poterant, adeoque referri ad defectum consolatorum, quod nullus superesset qui solaretur populum afflictum, Matthæus verba supradicta substituendo interpretem agit Prophetæ, & ostendit, Ieremiam illa de filiis Rachelis intellexisse, Rachelem videlicet consolationem renuisse, eò quod בניה τέκνα αὐτῆς *filij eius* non supersint, vel non sint amplius superstites. Quid frequentius etiam enallage numerorum æquè ac temporum apud Hebræos? quum verò eadem locutio non sit ita accommoda græcis auribus, an mirum à Matthæo duritiem illam verborum Hebraicorum inflexam fuisse ad sermonem Græcum, & in numero plurali illa expressa, quæ ad plures pertinebant, sensu Prophetæ religiosè observato?

V. Quæ vero in *mutatis* Matthæi fides, ea etiam in *omissis* & *additis* elucet, quorum nomine flagellatur temerè ab hominibus protervis. 1. Falsum, omissam fuisse à Matthæo *præfationem*, *sic dicit Dominus*, annon Matthæus disertè habet, *tunc impletum fuit quod ait Dominus per Hieremiam Prophetam dicentem* &c. 2. Quanvis prætermissa fuisset præfatio, in eo parum situm, sufficit enim à Matthæo referri rem de quâ intendebat loqui, præfatio ob id non negata fuisset sed subintellecta, authoritas nimirum illius à quo hæc dicta. Sic leve est quod ob-

jicitur Matthæo, illum prætermisisse reiterationem verborum על בניה *super filiis suis*, præterquam enim quod & hîc Matthæus LXX. Interpretes sequutus fuit, qui eadem verba prætermisêre, nec temerè, nec mala fide id à Matthæo factum. 1. Quia verba illa repetita emphatica quidem sunt, necessaria non item, satis enim subintelliguntur ex antecedentibus. 2. Adde pleonasmos ejusmodi solennes esse Hebræis, Græcis non item. 3. Quum etiam aliquid omittendum fuerit, ne verbis Prophetæ hæsisse prorsus videatur Matthæus, nihil absque sensus imperfectione omittere poterat, præterquam voces illas reliquis satis superque contentas & subindicatas.

VI. Sic *adjecta* vel *addita* quod attinet, vocem ὀδυρμοῦ Matthæus habet à LXX. Interpretibus, eadem, ut suprà ostensum, genitivo illo Hebraico expressa habetur, πολὺν ὀδυρμὸν notat Matthæus tum ob ἐπίτασιν verbis בכי תמרורים *fletus amaritudinum* designatam, quâ epitheton illud abundè exponitur, tum ob ingentem luctum & diuturnum qui Bethleemitanis civibus & illorum vicinis ob carnificinæ illius horrorem, carnificum illorum immanitatem, & filiorum suorum cædes altè animo hæsit. Quod si ergo homini licet diversis verbis eadem interpretari, Spiritui sancto non minus licuit easdem res verbis diversis per sacros Scriptores efferre. Et hoc notat *Hieronymus*, Evangelistas & Apostolos quasi Hebræos ex Hebræis quod legebant Hebraicè suis sermonibus expressisse. Vnde modo metaphrastæ sunt duntaxat verborum Propheticorum, modò etiam paraphrastæ. His observatis Lectori æquo liquebit, nec malâ fide in citatione verborum Ieremiæ à Matthæo peccatum fuisse, nec quicquam vel mutatum, vel truncatum vel delumbatum, vel adiectum, quod *litteræ* apud Prophetam vim faciat. Restat ergo ut de *applicatione* verborum Prophetæ dispiciamus, & de *modo* ipso *applicationis*, utrum quæ *in citatione* verborum reperitur integritas, eadem etiam *in applicatione* reperiatur apud Matthæum, quod nobis demonstrandum *in sequentibus*.

DVBIA

DVBIA LXXXII. LXXXIII. LXXXIV.

LXXXII. De *applicatione* Verborum *Ieremiæ*, utrum illa ad ſtragem Bethleemiticam appoſitè fuerint *applicata* à Matthęo? LXXXIII. De *modo applicationis*, an verba *Ieremiæ* fuerint à Matthæo applicata *in ſenſu litterali*, an *in ſenſu myſtico*, an *in ſenſu accommodativo?* LXXXIV. Quid de *Martyrio* puerorum Bethleemiticorum, & eius appendicibus ſentiendum?

EXAMEN.

Querelæ Iudæorum. *Ordo tractationis. Obiectiones Iudaicæ* verbales *&* reales. *Expoſitiones minus probabiles confutatæ. Expoſitio vera loci Prophetici* generalis. *De captivitate duarum potius quàm decem tribuum agi. Rationes. Senſus, nexus, analyſis &* ἔκθεσις ſpecialis *verborum Ieremiæ. Quî Rachel introducatur plangens poſt obitum.* Πλάσεις *&* προσωποποιΐαι *frequentes.* Cauſæ *planctus Racheli adſcripti. Quis ſenſus vocum* ואינגו. *Quæ ratio applicationis.* I^a^ Opinio, *illam inſtitutam* in ſenſu litterali. *Teſtimonia & rationes. Confutatio primæ opinionis. Rationes oppoſitæ. Examen rationum ſuperiorum.* II^a^ Opinio, *applicationem inſtitutam* in ſenſu myſtico. *Iudicium.* III^a^ Opinio, *eam*

institutam in sensu accommodativo. *Opinionis illius* καζασκδυή. *Causa citati loci Ieremiæ à Matthæo. Confutatio obiectionum Iudaicarum.* Rama *an nomen* proprium *hîc* , *an* appellativum. *Ramæ origo & ratio nominis. Sensus verborum* ὅτι ὀκ εἰσί. *Quî pueri Bethleemitici* martyres. *Appendices illorum martyrio annexæ à Pontificiis. Iustificationis & meriti ratio explosa.* Cornelius à Lapide & Bellarminus *confutati.* Scholasticorum *disputationes inanes de vsu liberi arbitrij accelerato infantibus illis.* Augustini & Bernhardi *observationes. Quot species Martyrum. Conclusio disquisitionis instituta, & Matthæi fides vindicata.*

I. QVANVIS *Iudæi* Matthæo nostro dicam scribant in *citatione* verborum Propheticorum, gravioris tamen adhuc criminis illum reum peragunt, ob *applicationem* ab illo institutam : hîc enim quiritantur mentem Prophetę ab illo perversam, scopum mutatum, & sine ulla ratione ad stragem Bethleemiticam applicata, quæ nec de eâ à Prophetâ dicta, nec ad illam referri ulla veri specie possint. *Quatuor* verò nobis hîc præstanda Matthæo vindicando , & cavillis profanorum abstergendis. I. Proponendæ *obiectiones* Iudaicæ. II. Verus verborum Ieremiæ *sensus* & *scopus* exponendus. III. *Ratio applicationis* à Matthæo institutæ ostendenda. IV. *Objectionibus* Iudæorum *respondendum:* quibus excussis, & veritate assertâ sua Matthęo constabit fides, sua applicationi horum verborum lux & ratio.

II. *Objectiones* verò *Iudaicas* quod attinet , contendunt *Iudæi*, Ieremiam ibi loqui de planctu excitato à Rachele, non

ob cædem infantum Bethleemiticorum, ſed ob deportationem & captivitatem tantùm populi Iſraelitici. De hac loqui Prophetam probant, 1. *Ex nexu* horum verborum cum ſequentibus, ubi Deus ſubjicit conſolationem inſignem huic planctui, *& revertentur filij ad terminum ſuum.* Reverſionem verò opponi abductioni & captivitati, de quâ ſermo verſu antecedente. 2. *Ex verbis ipſis* Prophetæ, quę intelligenda ſint non de planctu excitando in Bethleem, ſed de planctu excitato jam olim in Ramâ, urbe & nomine & ſitu & tribu diversâ à vico Bethleemitico: Ramam enim, ut conſtat ex Hiſtoriâ ſacrâ, fuiſſe in ſorte tribus Benjamin, Bethleem in ſorte tribus Iuda. Non ergo verba Ieremiæ pertinere ad planctum mulierum Bethleemiticarum ob cæſos infantes, & ad ſtragem Bethleemi editam. Optimè verò loci illius deſignationem convenire deportationi populi abducti in captivitatem, quum conſtet ex *Ierem.* XL.1. per Ramam abductos fuiſſe captiuos: dubium enim non eſſe quin in tranſitu urbis Ramæ, vel in primâ ſtatione captivorum in Ramâ luctus & planctus ingens tum à civibus Ramæ, tum à miſeris illis Iudæis excitatus fuerit, qui ſe in exilium agi extra terram benedictam videbant. E Ramâ ſanè Prophetam Ieremiam honorificè dimiſſum fuiſſe à Nebuzar-Adan præfecto ſatellitum liquet ex *Ierem.* XL.1. 3. Adde, mirum videri, Rachelem introduci plangentem ſuper ſtrage editâ Bethleemi, & non potius Leam, quum tamen infantes illi Bethleemi jugulati Leæ poſteri fuerint, non Rachelis. 4. Si infantes etiam Bethleemitici martyrii coronam & felicitatem ob eam cõſequuti à Chriſtianis dicantur, quippe qui pro Chriſto ſanguinem fudêre, quęrunt *Iudæi*, cur de talibus dicatur *quod non ſint*? cur conſolationem renuat Rachel ob felicitatem ſuæ poſteritatis? Verbis verò illis, & planctui matrum locus & interpretatio commoda in abductione populi Dei in captivitatem. Hinc concludunt *Iudæi* vel *litteraliter* verba illa allegari à Matthæo, vel *typicè*: at nec litterę vel *ſenſui litterali* locum eſſe ob rationes expoſitas; nec *typo*, quum Iſrael peccatis & iræ Dei obnoxius nec poſſit nec debeat ſtatui typus infantium innoxiorum, quales à Chriſtianis fingantur fuiſſe mactati Bethleemi, nec abducti extra terram ſanctam in terram maledictam, idque ob ſcelera ſua conferri debeant cum iis

qui deportati vel evecti potius in cœlum à Christianis statuantur.

III. Antequam verò confutemus *obiecta* Iudæorum, *duo* præmittenda. I. Ἔκθεσις loci Ieremiæ II. Κατασκευὴ *applicationis* institutæ à Matthæo. Sensum & scopum Ieremiæ quod attinet, rejiciendæ opiniones minus probabiles, & producenda ac confirmanda vera. Ad *primum genus* pertinet, I° opinio illorum qui arbitrantur Prophetam loqui de singulari aliqua calamitate, cujus nulla exstet in Veteri Testamento mentio, quod *Iunio* Viro CL. non displicet in parallelis. At nihil attinet eò nos confugere, quum commoda verborum illorum applicatio detur in Scripturâ. II° *Alij* verba Ieremiæ retulêre ad excidium ultimum Hierosolymitanum, quod urbs illa experta sub Vespasiano & Tito, quam interpretationem *Hieronymus* refert Comm. in Ieremiam, & Iudæis quibusdam adscribit. Sed nec hęc opinio probari potest, additur enim statim *versu* sequente 16. *Sic ait Iehova, Cohibe vocem tuam à fletu, & oculos tuos à lacrymis, quia est merces operi tuo, dictum Iehovæ, quod reversuri sunt è terrâ inimici.* Idem promittitur *versu* 17. *Fore ut revertantur filij ad terminum suum.* Post vltimum verò excidium Hierosolymitanum nulla instaurationis, nulla restitutionis politiæ externę Iudaicę spes, quod Iudæos sedecim propè seculorum experientia docere debuit, & inanis ac vana sui Messię exspectatio, pręter oracula Prophetica aliam Ecclesiæ faciem portendētia, quam revera Ecclesia, Sacerdotio mutato, ad omnes Mundi angulos exporrecta sub Christo nostro consequuta est. Eodem nomine rejicienda quoque interpretatio aliorum, cujus meminit *Hieronymus*, qui verba Prophetæ ad captivitatem, & subversionem Hierosolymæ sub Hadriano referunt. III° *Alij*, ut *Origenes* & *Author* quæst. Vet. & Novi Test. arbitrati fuêre, verba Ieremiæ referenda esse ad internecionem illam & stragem gravem, quam Benjaminitæ passi leguntur *Iud.* XX. ob stuprum & vim illatam uxori Levitæ ab incolis flagitiosis Gibhæ, *Iud.* XIX. q.d. Propheta, Rachel Benjaminitarum mater immanes planctus excitavit super strage illa, ita ut vox ejus exaudiretur in Ramâ etiam vicinâ: *Vel*, tanta fuit Benjaminitarum strages, ut Rachelem ipsam etsi pridem fato functam permovere ad planctum debuerit: *Vel* in Ramâ fletus mulierum

rum Benjaminiticarũ ingens auditus, eò quod viderent tribum suam exscindi, & sic per Rachelem mulieres Benjaminiticæ, per filios posteri ejus intelligendi forent. Addunt aliqui, introduci etiam Rachelem plorantem filios suos à Deo percussos ob illud scelus, eò quod Leæ filii beatam mortem obierint occisi quippe in primo flore ætatis, in ætate innocente, & sanctissima de causâ, quique utpote pro Christo exstincti martyrij coronâ decorati fuerint, & sic fato suo superstites agnum sequantur quocunque ierit *Apocal.* XIV. posteri verò Rachelis ut scelerati & ingentis flagitij rei perierint, à felicitate & gloriâ omni in ęternum ob scelus illud patratum remoti, ideò Rachelem noluisse consolationem admittere, quod filij sui *non sint*, h. e. perierint prorsus justo Dei judicio, sine ullâ spe restitutionis. Ideò verò Leæ filiis demum occisis Evangelistam Rachelem plorantem introducere, quod tum demum filios suos altè plangere cœperit, quando sororis suę filios in tali causâ occisos animadvertit, ut æternę vitę hęreditatem cernerent. Ex alienâ enim felicitate intendi sensum miseriæ, adeoque & luctum. Hanc opinionem proponit *Author* quæst. Vet. & Novi Testam. quæ inseruntur operibus Augustini, eandem tuetur *Salmero* Tomo III. Tract. XLIV. Sed revera I. *contorta* est & cruda. 2. ἀνακόλουθος cum sequentibus, ubi reductio in terram sanctam opponitur abductioni quę pręcessit, & planctui illi occasionem dedit. 3. *Absurda*, absurdum enim est, ob felicitatem filiorum Leæ Rachelem demum plangentem introduci propter facinus ante multa secula commissum: æmulationi ne ejusmodi sinistrę & culpandę in cœlis inter beatos locus?

IV. Præferendam itaque censeo aliorum sententiam, qui arbitrantur, Prophetam loqui directè de captivitate & abductione populi Dei. Cùm vero illa duplex fuerit, una decem tribuum, altera duarum, Iudę & Benjaminis, quarũ illæ magno cum luctu & planctu in Assyriam deportatę & abductę fuêre, istę in Babyloniam, ut liquet ex II. *Reg.* XVII. XXIV. XXV. quęritur de quâ loquatur Propheta? Certum est de utrâque Ieremiam diversis in locis agere, & in utrâque causam luctus & planctus Racheli esse, in deportatione & captivitate decem tribuum, quippe quâ graviter unà cum aliis attriti & pressi fuêre Rachelis posteri Ephraim & Manasse: Imò eò magis appo-

sitè Racheli adscribi luctum ob cladem decẽ tribuum, quod regnũ illud Israëlis ordinariè designetur à Spiritu S. per Ephraim, & clades illa ἐξαιρέτως tribuatur Ephraimo, sive illa tribus plures reliquis calamitates passa fuerit, sive ab illâ initium captivitatis factũ fuerit, sive, quod magis probo, Ephraim princeps fuerit inter tribus reliquas ob insignem ejus multiplicationem, quâ tribus illa secundùm Iacobi benedictionem & tribum Manasse superavit, & tribus reliquas regni Israelitici. Non mirum ergo foret Racheli luctum adscribi aviæ Ephraim ob cladem Ephraim & aliorum sub imperio tribus Ephraim contentorum. Si vero hîc intelligamus cladem illatam Iudę & Benjamino, quâ, excisâ Hierosolymâ, tribus utraque in captivitatem abducta fuit, & hîc locus est luctui & planctui Rachelis ob stragem quam Benjaminitę posteri Rachelis sensêre. Et hęc quidem applicatio probabilior mihi videtur, sermonem Prophetę esse de captivitate duarum potius quàm decem tribuum. 1. Quia planctus Rachelis non in Samariâ vel aliâ aliquâ urbe decem tribuum excitatus legitur, sed in Ramâ quę erat in sorte tribus Benjamin. 2. Quia regnum decem tribuum inde à deportatione illarum nunquam restitutum legitur, restitutum verò legitur sceptrum Iudę & Benjaminis. Vnde melius longè cohærebũt verba Prophetæ & promissio versib. 16. 17. immediatè sequentibus adiecta. *Sic ait Iehova, Cohibe vocem tuam à fletu, & oculos tuos à lacrymis, quia est merces operi tuo, dictum Iehovæ, quod reversuri sunt è terrâ inimici. Est exspectatio tandem tibi, dictum Iehovæ, fore ut revertantur filij ad terminum suum.* Nisi malimus verba illa in genere ad instaurationem spiritualem Ecclesiæ & populi Dei referre, quod facit *Hieronymus*, qui docet id completum esse in passione Domini, & huc usque compleri *quando de toto orbe salvatur Israel.* Quod ipsum tamen sensum litteralem, & directam verborum illorum applicationem ad restaurationem populi Iudaici, qualis reverâ illi obtigit, non evertit, sed potius tanquam fundamentum instaurationi spirituali Ecclesiæ substernendum.

V. Hac interpretatione admissâ verba Prophetæ & cum antecedentibus & cum subsequentibus & inter se apposité cohærent. Quum enim Propheta in superioribus insignibus promissis erigere cœpisset Dei populũ, occupat *vers.* 15. per πρόληψιν cladem

cladem quæ eum erat exceptura, q.d. atqui videntur hæc promiſſa vel irrita reddi, vel oblivioni ſaltem tradi, calamitate illâ inſigni populi exponendi rabiei hoſtium ſuorum, vel qui nobis tam fauſta denuntiantur, cùm tamen hoſtium noſtrorũ violentiæ & captivitati ſimus futuri obnoxij? Reſpondet Propheta, utique ſanè, felicitas illa externa vobis promiſſa non obſtabit quominus caſtigandi ſitis & affligendi, imò in captivitatem ſingulari Dei decreto & judicio abducendi, & ob id planctus magnus excitandus à Rachele in Ramâ. Interim tamen ut habetur *verſu* 16. ſequente, deſolatio illa nec diuturna futura eſt, nec perpetua, etſi enim videatur præciſa ſpes omnis reſtitutionis populi, tamen ſic dicit Iehova, *prohibe vocem tuam à fletu, & oculos tuos à lachrymis, quia eſt merces operi tuo, ait Iehova, revertentúrque de terrâ inimici.* Et ſic optimè ſibi conſtant verba Prophetę, & ratio, cur in gaudiorum & beneficiorum denuntiatione ex abrupto inſeratur prædictio de planctu & luctu, quę alioquin morari poterat Lectorem.

VI. Habemus ergo in verbis Prophetæ, 1. *Decretum.* 2. *Decreti* illius *executionem*, vel ἐπίμβρον quoddam. *Decretum* proponitur his verbis, *ſic ait Iehova, dicere* enim Dei non tantùm eſt narrare, vel prædicere, ut notum, ſed ordinare, decernere, conſtituere ęquè ac *vocare*, q.d. Propheta nec fortuitò, nec pręter rationem clade afficietur Dei populus, ſed Domino ordinante, dirigente, volente. *Executio* decreti proponitur non tam per deſcriptionem cladis, quàm per deſcriptionem planctus ob cladem antecedentem, uſitatâ Hebręis *figurâ*, quâ *conſequens ponitur pro antecedente*, idque factum hoc loco ob πάθος maius: ſępe enim cladem & ſtragem patiuntur multi ſine ſenſu conveniente manus Dei, & ſine luctu debito. Adde, ſic per ἐπίτασιν repręſentari, cladem illam graviſſimam futuram, & ut talem à populo ſummè deplorandam, nec luctum tantùm, ſed & maximum luctum & planctum ſuper eâ excitatum iri. Aliâs enim ſæpe caſtigatus populus, ſed ſine caſtigationis illius ſenſu, unde Deus conqueritur de illius duritie, quod percuſſerit populum ſuum, & tamen ille non luxerit. Luctus verò ob hanc ſtragem, quam denuntiat Propheta, excitandus deſcribitur, 1. *In genere*, II. *In Specie*. *In genere*, Propheta congerit voces multas emphaticas ad luctum & magnitudinem luctus illius deſignan-

dam, *vocem auditam eſſe, planctum & fletum amaritudinum.* In *ſpecie* Propheta deſcribit 1. *Locum* ubi vox illa audienda, planctus ille edendus. 2. *Perſonam* à qua planctus. 3. *Obiectum* ſuper quo planctus edendus. 4. *Qualitatem* planctus. 5. *Cauſam* & planctus & magnitudinis planctus. I° *Locus* planctus illius indicatur *Rama*, quæ vox vel ſumi poteſt, ut *nomen proprium*, vel ſecundùm quoſdam, ut *nomen appellativum*: ut *nomen proprium*, notat urbem ſitam in ſorte tribus Benjamin: ut *nomen appellativum*, notat *excelſum*, vel *locum excelſum*, q.d. Propheta in loco excelſo auditum fuiſſe planctum, unde longè latéque extendi potuerit & diffundi. Et quidem planctum amariſſimum, indicatum tum per vocem geminatam, tum per genitivum pluralem, qui voci vel abſtractę vel concretę conjunctus ſummam αὔξησιν & ἐπίτασιν notat apud Hebræos. II° *Perſona* plangens introducitur *Rachel. Quæritur,* quo jure, quâ ratione, quum illa multis ante ſeculis occubuerit, priuſquam clade illa affectus fuerit Dei populus. *Reſp.* Notandum, hoc factum eſſe ob majorem emphaſin, patheticè ſimul & pro ſtylo Prophetarum, quando enim rei alicuius magnitudo deſcribitur, & illa exaggeratur ut magna, dici ſolet, illam talem eſſe ut mortuos etiam commovere queat, ſepulchra pervadere, & manes ipſos ad illius vel contemplationem, vel admirationem vel deplorationem excitare, q.d. Prophera, tanta ſanè hæc clades futura eſt, ut Racheli jam pridem exſtinctæ & fato functę luctum exprimere queat. Idem etiam alio ſenſu accipi poteſt, tantam futuram cladem & ſtragem populi Dei, ut nulli futuri fermè ſint ſuperſtites cladi illi lugendę & deplorandæ, mortuos itaque velut excitandos ad luctum edendum ob panicam ejuſmodi ſtragem. Sic ſolenne eſt Tragœdis in caſibus funeſtis & ſonticis ob πάθος maius per προσωποποιΐαν vel πλάσιν patheticam introducere umbras hominum, urbium, regionum plangentes in ſcena ob magnitudinem cladis quæ refertur. Sic Prophetæ alibi conteſtantur cælum & terram, Chriſtus inquit, lapides etiam clamaturos ſi hi vel illi tacuerint. Sic Paulus dicit creaturas etiam inanimatas συστενάζειν & συνωδίνειν. *Rom.* VIII.22. *Rachel* verò notanter introducitur plorans à Propheta, non quaſi patres Bethleemitici conſenſerint in illam ſtragem, quod ſupponit *Salmero*, quanvis ſine probabilitate. Dicendum potius perſo-

personę Rachelis hîc locum esse I. *Ob sexum* quia Rachel utpote mulier, aptissima ad designandum planctum sexus præsertim fœminini, quippe qui illi magis obnoxius in cladibus, ut tenerior & mollior naturâ, 2. *Ob σχέσιν matris*, quia Rachel introducitur ut mater plangens super filiis, adeoq; cum tenerrimo affectu. Adde, illam singulari desiderio liberorum pariendorum flagrasse, & maximo cum dolore Benjaminum peperisse, & in partu ejus exstinctam fuisse, adeoque meritò supponi, Rachelem prosequutam fuisse filium illum singulari amore, prout illa magis amantur, quæ majori cum difficultate obtinentur, quæ ob id ipsum chara magis videntur & pretiosa. Adde, Rachelem matris instar communis populi Dei proponi *Ruth*. IV. 11. Notũ verò per Rachelem designari matres Bethleemiticas propè sepulchrũ Rachelis habitantes & filiorum suorum cædes lugentes. III° *Obiectum* planctus illius etiam exponitur à Propheta, quod sunt *filij eius*, per quos vel conjunctim regnum decem tribuum simul & regnum duarum tribuum Iudę & Benjaminis intelligitur, vel potius, ut supra ostensum, posterius intelligendũ ob cladem ingentem, quam in captivitate Babylonicâ passum fuit. IV° *Qualitas* planctus est magnitudo ejus, quam Propheta describit ex eo, quod renuerit Rachel admittere consolationem, quo ipso sanè notatur ingens luctus, & talis quidem qui malagmata & lenimenta sui doloris omnia adspernetur. V° *Causa* etiam adjicitur à Prophetâ, cur in luctum tam inconsolabilem sit eruptura Rachel, כי איננו *quoniam non ipse*, *Enallage* numeri solenni Hebręis, pro כי אינם vel כי אינהם *quia non illi*, ut respondeat voci בנים quę pręcessit in numero plurali cum *affixo*. Nisi malimus τὸ איננו referre ad defectum solatij, renuit consolationem admittere Rachel, quia non erat qui solaretur. Prior tamen interpretatio & σχέσις ad filios præferenda videtur, quippe qui emphaticè bis repetuntur à Propheta in textu Hebręo, q. d. Propheta, clades illa tanta futura est, ut ne unus quidem sit futurus superstes, vel in statu aliquo tolerabili, omnibus aut libertate, aut vita simul cum libertate privatis, vel obtruncatis, vel in captivitatem abductis. Hac ipsâ phrasi etiam, quod non malè observatum, non tantùm notatur interitus aliquorum, sed & interitus subitus quasi rerum vel personarum quæ subitò velut evanescunt, & oculis nostris

BBBb

ſubducuntur. Idem de *Enocho* pio & ſancto à Deo ſubducto legimus *Gen.*v.24. & de impiorum obitu *Pſal.*xxxvii.36. *Et adhuc paululum, & non erit impius, & conſiderabis locum eius* ואינכנו *& non ipſe.* Vide *Ieſ.*xix.7. *Ierem.*xlix.10.l.20. & aliis id genus locis.

VII. Si jam inſtituatur quæſtio tum de *applicatione*, tum de *modo applicationis* hujus vaticinii ad ſtragem puerorum Bethleemiticorum ab Herode editam, quum alia mens Prophetæ fuerit, ſcopus alius in verbis illis, ad hunc nodum expediendum varia conquiruntur ab Interpretibus. *Tres* verò expoſitiones potiſſimùm hîc obſervari poſſunt, i. *litteralis*, ii. *myſtica*, iii. *accommodativa.* Quidam enim i. arbitrantur, hæc Ieremiæ verba *in ſenſu litterali* directè, & tantùm referenda eſſe ad ſtragem illam Bethleemiticam, nec iis deſignari deportationem ſive x. ſive duarum tribuum, vel ullam aliam Hiſtoriam quę contigerit tempore Veteris Teſtamenti. In hac ſententiâ ſunt inter alios *Lyranus*, *Hugo*, *Vatablus*, *Cornelius à Lapide*, & è noſtris Vir cl. *Franc. Iunius*, qui hæc prolixè exequitur parallelorum ſacrorum libro i. parall.vii. ubi docet Prophetam voluiſſe verbis illis proponere ſignum aliquod luculentum adventus illius, in quo complementum eſſet habiturum regnum Dei: Ieremiam ergo proponere ſignum illud ut exhibendum ſuo tempore, Matthæum deſcribere illud ut jam exhibitum. Hoc verò ſignum eſſe, planctum ingentem excitandum in Ramâ ob nefandum & ſanguinarium facinus; quod ſub adventum Meſſiæ patrandum eſſet. Meritò ergo Matthęum hoc vaticinium retuliſſe ad cladem Bethleemiticam, de quâ Propheta fuerit vaticinatus, & ob quam planctus ingens excitatus à matribus Bethleemiticis, reſpuentibus ſolatia omnia ab Herodis ſatellitibus oblata. *Rationes Iunii* huic expoſitioni firmandę ſunt: 1. Si de calamitate regni univerſi Propheta agere voluiſſet, non illum cumulaturum fuiſſe tot circunſtantias ſingulares. 2. Circunſtantias illas non reſpondere rebus geſtis ſub Vet. Teſtamento. Ramam enim in ſorte Benjamin ſitam eſſe, adeoque appendicem fuiſſe regni non Iſraelitici, ſed Iudæ. Nec Ramam intelligi poſſe quæ ſita in tribu Nephtali, eò quod Rachel introducatur plangens, quæ Ioſephi tantùm & Benjamini mater fuit, cui nihil commune cum captivitate reli-

quarum tribuum. 3. Matres etiam hîc tantùm introduci lugentes super filiorum calamitate, in clade verò generali omnes Israelitarum ordines super communi omnium clade & calamitate luxisse. 4. Matres quoque hîc dici planctum edidisse, non quod deportarétur filii, sed quod *nō essent*, malè itaque hęc referri ad deportationem populi. 5. Prophetam etiam toto illo capite vaticinari de rebus futuris, non autem narrare res præteritas. Deportationem verò decem tribuum multis annis antè contigisse. Restare ergo ut hęc Prophetia referatur ad designanda principia regni Christi, ad quod & antecedentia pertineant & consequentia, quod voluerit Deus ostendere infestum futurum quamplurimis calamitatibus, statui Ecclesiæ ordinario præfigurando.

VIII. Acuta sanè & subtilia quæ à Doctissimo *Iunio* tum loco Ieremiæ explicando, tum fidei Matthæi vindicandæ proponuntur, interim tamen rationes graves obstant quominus illi interpretationi subscribendum arbitremur. I. Obstat *connexio* horum verborum *cum immediatè sequentibus*, quæ docent clarissimè, Prophetam loqui de strage & abductione populi Dei, *vers.* 16. *Sic ait Iehova, Cohibe vocem tuam à fletu, & oculos tuos à lachrymis: quia est merces operi tuo, dictum Iehovæ, quod reversuri sunt è terrâ inimici.* Sic *vers.* 17. *Est exspectatio tibi, fore ut revertantur filii, ad terminum suum.* Ἀντίθεσις ergo manifesta inter abductionem & restitutionem, abitum, & reditum populi Dei, II. Obstat *connexio* eorundem *cum antecedentibus*, ubi pariter de reductione populi residui vaticinatur Propheta, *versu* 10. *Qui sparserat Israelem, congregat eum.* Hæc verò, quod satagit *Iunius* in notis, ad liberos novos tantummodò referre, quos Ecclesia sit habitura tum ex Israelitis, tum ex gentibus adoptatis, qui in terrâ inimici, id est Sathanæ latent, donec revertantur ad Christum & Ecclesiam, coactum videtur & contortum. 1. Qui enim illi *reverti* dici possunt in Ecclesiam, qui nunquam in Ecclesiâ fuêre? 2. Annon disertè refertur tum *terminus à quo*, unde illi sint educendi, tum *terminus ad quem*, quò sint ducendi, ille, *revertentur è terrâ inimici*, iste, *revertentur ad terminum suum.* III. Hæc interpretatio abruptam reddit & hiulcam Prophetę orationem, si hoc versu de singulari eventu ita obscurè vaticinatus dicatur. Vtique sanè, si Ieremias vel Messiæ,

vel exhibitionis Messiæ vel temporum ejus mentionem simul faceret, & doceret ejusmodi planctum illius ætate edendum, species aliqua foret ejusmodi expositioni. Sed quum nihil tale istic loci occurrat, si restringantur verba Prophetæ ad Historiam illam singularem stragis Bethleemiticæ, Iudęorum cavillis exponitur religio Christiana, fides Matthæi, & sinceritas Interpretum nostrorum, quum proclive illis sit è textu & collatione locorum parallelorum validis rationibus hanc expositionem impugnatum ire. IV. Adde, non opus esse eò nos confugere, quum detur commodior longè ratio & Matthæum vindicandi, & verba illa applicandi ad stragem Bethleemiticam, minus saltem obnoxia cavillis hostium Evangelij. V. Huc accedit, quod strages illa edita fuerit in vico Bethleemitico & vicis conterminis, adeoque in sorte tribus Iudæ, pręcipuè saltem, ex quâ infantes occisi. Si ergo Propheta tantùm de hoc casu vel eventu loqui sategisset, sanè non Rachelem, sed Leam plorantem introduxisset, vel stragem hanc aliis notasset & circunscripsisset verbis.

IX. Nec verò rationes opposite tanti sunt, quæ nos cogant vim Prophetę verbis facere. *Ad* I. *Resp.* Nec novum esse, nec insolens Prophetis per προσωποποιΐαν, vel πλάσιν eventus generales repræsentare per certas personas, certos locos, per designationem eorum qui vel plura egêre, vel plura passi, vel alioqui eminent in corpore aliquo. Sic per filios Iacobi duę gentes, sic status Ecclesiæ per Tzijonem, fideles per Iudæos, cultus Dei per ascensum in domum Domini, spiritualia sacrificia per מנחה & מקטר Iudæorum describuntur. Sic etiam, ut suprà ostensum, Rachel instar matris communis populi Dei in libro Ruth proponitur. *Ad* II. *Resp.* Circunstantias omninò respondere: ponamus enim de Ramâ sermonem esse quæ in tribu Benjamin, annon designatione partis vel membri tribus illius, unius videlicet loci ex tribu illâ, præsertim loci qui appellativè & emphaticè simul aliter intelligi poterat, designari poterat clades infligenda toti tribui? Adde planctum Rachelis subiectum vel ad cladem regni duarum tribuum, ob Benjaminem, vel secundùm alios, ad cladem regni decem tribuum ob Ephraim, & Manasse referri posse. *Ad* III. *Resp.* Peccari *falsâ hypothesi, & Elencho à dicto secundùm quid.*, matres enim hîc

in

inducuntur plangentes, non quod ſolæ planxerint, ſed quod magis planxerint, quàm ſexus & firmior & conſtantior. Noti ſunt teneri mulierum, matrum cumprimis affectus in ſobolem, & filios, unde excluſivam hîc ſubintelligendam ſupponitur, non probatur. Adde, hoc retorqueri poſſe per *βίαιον*, an enim credibile ſolas matres planxiſſe ſuper ſtrage Bethleemiticâ, & non patres etiam, quorum filij jugulati? & tamen matrum tantùm mentio ſub Rachelis perſonâ inſtituitur. *Ad* IV. *Reſp.* 1. *per conceſſionem*, utique filii ab hoſtibus occiſi reverâ non amplius ſuperſtites videbantur ſuis matribus, nec illis poterant reſtitui. Et ſanè gens tota exciſa tunc videbatur ab hoſtibus, & vix amplius ſuperſtes. Sic *Theophylactus* exponit verba *οὐκ εἰσὶν, ἐν τῷ βίῳ τούτῳ οὐκ εἰσὶν.* 2. *Per negationem*, nec enim verba Prophetæ vexanda, ſed in ſuâ latitudine accipienda. Sic illi etiam dicuntur non eſſe, qui diſparent, qui abducuntur è regione, è patria ſua, & à terra ſancta & terra benedictionis ſunt extorres? Imò omnes illi qui in poteſtatem hoſtium redacti miſeram vitam vivunt, & precarium ducunt Spiritum, vix amplius ſupereſſe videntur. *Ad* V. *Reſp.* 1° Gratis ſupponi, Prophetam toto illo capite res tantùm futuras proponere, non verò narrare præteritas, atqui vaticinia miſta capite illo paſſim leguntur. Sanè initio capitis ęterna liberatio promittitur populo, ſed poſt *verſu* 15. per *πρόληψιν* inſeritur, Eccleſiam non fore immunem à perſecutionibus ſub veteri æquè ac ſub Novo Teſtamento. Sic *verſu* 2. *populus* dicitur *inveniſſe gratiam in deſerto.* Sic *verſu* 18. Ephraim introducitur dicens, *caſtigaſti me ut caſtigarer*, & quæ ſunt alia id genus. 2° Ponamus etiam Iſraelem jam ante deportatum. 1. Annon loquitur Propheta in præterito, *vox* נשמע *audita eſt?* 2. Annon vaticinatur etiam de reditu & inſtauratione illius futurâ? 3. Annon vaticinium Prophetæ referendum ad deportationem duarum tribuum quæ poſterior abductione populi Iſraelitici X. tribuum, unde maior Racheli occaſio luctus, quod poſt X. tribus etiam abduceretur Benjamin cum Iudâ, & ſic nemo ſupereſſet ex filiis ſuis? de qua ultima deportatione agit Propheta *Ierem.* LII. 4.

X. *Secunda* opinio illorum eſt, qui arbitrantur *in ſenſu myſtico* Prophetæ verba accommodari ad cladem Bethleemiticam, calamitates enim Eccleſiæ Veteris fuiſſe typos calamita-

tum Ecclesiæ Novi Testàmenti. Quanvis verò hæc interpretatio & clarior sit & probabilior superiore, & certum sit *in genere* calamitates Ecclesiæ Veteris typicas fuisse respectu calamitatum Ecclesiæ Christianæ, tamen non video quî strages totius populi dicatur *typus in specie* cædis puerulorum unius vel alterius vici, deportatio, occisionis, deportatio populi rebellis & impij ob scelera sua cædis puerulorum in primo ætatis flore exstinctorum ob Christum & ejus causâ. Sic durius, Ramam dici typum Bethleemi, & quæ sunt alia id genus?

XI. *Tertia* opinio est Virorum Eruditorum, *Buceri*, *Chemnitij*, *Iansenij*, & aliorum, *in sensu tantùm accommodativo* hoc loco verba Ieremiæ à Matthæo allegari & applicari ad infanticidium Bethleemiticum, quasi dicat Matthæus tunc de novo impletum fuisse, quod dictum fuit jam olim à Propheta de clade alia populi Dei, eo quod non novus tantùm planctus excitatus fuerit in confinio Ramæ, sed & non minor illo qui jam olim editus fuit in captivitate populi Dei: adeoque non minus verè & jure id dici posse de illâ clade, quàm id olim de alia clade in eadem regione in populum Dei effusâ dictum fuerat. Et hęc quidem opinio mihi probabilior videtur reliquis. 1. Quia nec applicatio *in sensu litterali* locum habet, nec applicatio *in sensu typico*, ut ostensum, quanvis enim calamitates Ecclesiæ veteris in genere typi fuerint calamitatum Ecclesiæ Novi Testamenti, in specie tamen ratio typi vix reperiri posse videtur inter cladem populi totius & stragem puerorum in uno vel altero vico diversissimis de causis editam. 2. Quia non novum est Matthæo loca Veteris Testamenti adducere interdum per *modum probationis*, interdum per *modum allusionis* tantùm. Exempla suprà adducta *Dubio* LXXII. Quum verò Rama propinqua fuerit Bethleemo, & Rachel propè Bethleemum sepulta, & agatur apud Prophetam de pláctu ab eâ excitato, & de planctu excitato super filiis & super excidio filiorum, utique nullus locus alius cladi huic illustrandæ convenientior allegari poterat ab Evangelistâ, ad luctum matrum Bethleemiticarum patheticè exprimendum. 3. Quia Matthæus phrasi diversa utitur, nec enim inquit, hoc vel illud factum esse, *ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam dicentem*, sed tantùm, *tunc impletum fuisse quod ait Dominus per Ieremiam Prophetam dicentem*. Phra-

seως verò hujus latitudo suprà excussa, & ostensum eâdem phrasi uti Spiritum S. in iis quæ constat sensu tantùm accommodativo usurpari.

XII. *Causæ* verò cur citatio loci illius occupata fuerit à Matthæo,& ad illum allusum ab eo hoc loco,hæ inter alias dari possunt. 1. Quia suæ genti potissimùm scribendo id præstare sategit,quod & suæ gentis Scriptoribus solenne erat, & Iudæis gratum, insertio nimirum & citatio crebra verborum Propheticorum. 2. Sic obviam itum scandalo, quod è strage illa & morte infantum capi poterat ne infelici præsagio gravarentur Christi cunæ. Matthæus verò locum illum citando ostendit, non novum esse Ecclesiam premi à Tyrannis, strages & clades pati, habere sponsum sanguinis. Hanc stragem divinâ providentiâ administratam æquè ac priorem populi. Et hoc observavit jam olim *Chrysostomus*, & appositè quidem. 3. Sic etiam tacitè à Matthæo citatione cladis illius & planctus insinuantur Lectoribus consolationes eximiæ quæ abundant toto illo capite, de reliquiarum conservatione, & amore Dei in suum populum,ut ostenderet Matthęus,nihilomagis strage illa detractum fuisse Dei populo vel Regno Christi,ac olim deportatione populi in captivitatem, Deum reliquias suas & semen sanctum semper servaturum, & curaturum, ut tandem emergat, & ab ipso ferro tyrannorum nova sumat incrementa. 4. Adde, suavem hîc dari allusionem ad Rachelem ob sepulchrum ejus quod exstabat in agro Bethleemitico, *Gen.*XXXV. 19. adeoque in loco ubi committebatur illa carnificina. 5. Sic etiam pathecticè exaggeratum sanguinarium Herodis facinus,q.d. Matthæus, tantam tum fuisse calamitatem inflictam Bethleemitis, ut vel mortuorum luctu opus esset, quum viventium planctus haudquaquam dolori par esse posset, imo viventium planctum ad mortuorum usque aures pertigisse, & eos ad parem luctum excitasse. 6. Sic etiam innuere potuit Matthæus, non tantùm neminem dignè satis deflere potuisse stragem illam,sed ne ausos quidem fuisse Bethleemitas metu Tyranni vel furore satellitum eius cladem illam ejulatibus suis prosequi, quod ne miserrimis quidem invideri solet, ita ut denuò Rachelis demortuæ planctu opus fuerit,sicut jam olim in clade populi Dei. Id verò eò convenientius dici poterat de strage illâ Bethleemi-

tica, quod populus Dei nocens fuerit subactus & abductus ab hostibus, pueruli verò illi innoxii iugulati. 6. Sic solenne Scriptoribus, casus graves, & affectus illos consequentes alienis potius verbis exprimere quàm suis ob πάθος majus. Quia itaque altus imò inconsolabilis dolor pertentabat pectora afflictissimarum matrum, & ejusmodi dolor mutus est & voci viam intercludit, quæ in mediocri tantùm calamitate laxatur, introducitur apposite Rachel velut communis populi Dei mater cum planctu & lachrymis & multo ejulatu. Hęc sufficiunt *& modo applicationis* exponendo, & ipsi applicationi vindicandæ. Et sanè dubium non est quin *sensu accommodativo* vel *transsumptivo* ad quasvis clades populi Dei, ad quemvis luctum verba Prophetæ applicari queant. Frustrà verò contendunt multi & inter illos *Cornelius* à *Lapide* in Comment. in *Ierem.* XXXI. non dici posse impleri Scripturas in sensu accommodativo tantùm. Suprà *Dubio* LXXII. contrarium ostensum, & indicatum quot modis Scriptura impleri dicatur, & quid super hoc argumento sit sentiendum.

XIII. Reliquum est ut *respōdeamus* ad *obiectiones Iudaicas*, quibus excussis tum hostium Evangelij protervia, tum Matthæi fides patebit Lectori pio & candido, & constabit nihil à Matthæo factum, quod vel Prophetæ verbis vim faciat, vel sensum corrumpat & scopum. 1. *Objic.* Prophetam loqui de planctu excitato à Rachele non ob cædem infantum Bethleemiticorum, sed ob deportationem & captivitatem populi Israelitici. *Resp.* 1. *Peccari ignoratione Elenchi*, nec concludi institutum. Non negatur Prophetam de planctu super captivitate populi Dei excitato loqui *in sensu litterali*, negatur verò id quod *in sēsu litterali* de illa clade dictum, analogicè & per accommodationem quandam non potuisse à Matthæo ad cladem aliam referri. 2. Ostensum suprà, ob promissum sequens de restitutione verba illa potius referenda videri ad abductionem Iudę & Benjaminis quàm ad deportationem decem tribuum.

XIV. 2° *Objic.* Ieremiam loqui de planctu non excitando in Bethleem, sed in Rama, quid verò hoc ad luctum mulierum Bethleemiticarum? *Resp.* 1. Posset dici cum multis, inter quos è Veteribus *Hieronymus*, τὸ רמה *appellativè* sumendum pro *excelso*, q.d. Evangelista, planctum illum fuisse longè

latéque

latéque dispersum, prout illa majori sono aures feriunt, quæ è loco sublimiori efferuntur: vel planctum illum in excelsis Iudææ editum, notum enim, Hierosolymam & tractum vicinum in situ magis edito fuisse: vel planctũ illum ad cœlos usque pertigisse, qui sunt verum Rama. Sic *Iuvencus* docet super illa strage *cœlum* fuisse *pulsatum querelis*. Huic interpretationi accedit *Syrus*, qui & ipse Rama *appellativè* accepit, pro רמה substituẽdo רמתא. quod Chaldæis & Syris collem designat & locum editũ. 2. Non opus tamen ut eò cõfugiamus, & huic applicationi sua constat veritas retẽta etiam significatione ordinaria & propria τ8 Rama quæ potius hîc intelligenda videtur, tũ quia significatio illa magis ordinaria, tum quia Propheta potius dicturus fuisse videtur, planctum excitatum במרום vel in plurali במרומים *in excelsis*. Adde, Evãgelistam non retenturum fuisse vocem Hebręam, sed illam redditurum per voces græcas., ἐν τοῖς ὑψίςοις vel per tale quid aliud. Quum etiam LXX. Interpretes & *Paraphrastes Chaldæus* retinuerint τὸ Rama, causæ nihil est cur nomen proprium mutemus in appellativum. Si verò *instent Iudæi* quid planctui in Rama edito commune sit cum strage Bethleemitica, & luctu super illa oborto, Ramam enim sitam fuisse in sorte tribus Benjamin, Bethleemum verò in sorte tribus Iuda. *Resp.* Notum esse, tribus Iudæ & Benjaminis conjunctas fuisse inde à scissione regni, & unum ex utraque sceptrum conflatum, unde mirum videri non debet, quod uni accidit alteri adscribi. Synecdoche ejusmodi freques sacris Scriptoribus. Sic sub Iudâ Benjamin comprehenditur, I. *Reg.* XII. 20. quum constet ex *cap.* XI. *vers.* 31. 32. decẽ tribus per decem fragmenta designatas cessisse Ieroboamo. Nam II. *Chron.* XI. in Rehabeami fide Iuda & Benjamin perstitisse leguntur, qui tamen I. *Reg.* XI. 32. *tribus una* vocantur. Sic R. *Levi* Iudæ nomine Benjaminem simul connotari ait, quod Benjaminis regio fuerit intra ambitum regionis Iudæ, secundùm alios, quod regio Iudæ assignata tractu oblongo Meridiem versus in sortem tribus Benjamin se exporrexerit. Vide Commentarium eruditum *Constantini l'Empereur* Viri CL. in *Codicem Middoth* cap. III. qui ibidem notat ipsum templum Hierosolymitanum ex parte in portione tribus Iuda, ex parte in portione tribus Benjamin situm fuisse, ex *Talmudistarum* sententia, anteriores videlicet templi partes

atrium mulierum, & atrium populi ac Sacerdotum, idque ad altaris usque frontem in Iudæ portione fuisse, שכינה verò sive divinitatis habitationem & loca alia sanctiora fuisse בחלקו דבנימין in portione Benjamini. An mirum ergo quod in tribu Iuda contigit, per locum vicinum in sorte Benjaminitarum situm expressum fuisse, cum tanta utriusque tribus fuerit conjunctio, ut prospera & adversa ad utramque pertinerent? 2. Adde, Ramam propinquam admodum fuisse Bethleemo, quod colligitur ex *Iud.* XIX. 10.13. Levita enim sub occasum solis Hierosolymâ exiens dicitur adhuc destinasse iter Ramam versus. Idem Bethleemo discesserat post meridiem, & tamen eadem die putat se perventurum in Rama. Nec absurdum, Ramam in duarum tribuum velut confinio sitam, quod colligitur ex *Iud.* XIX. 1.13. & 16. pro alterutra sumi, vel Prophetam innuere, planctum talem excitatum fuisse in tribu Iuda, qui pertigerit Ramam usque in tribum Benjamini. Sic *Maldonatus* acutè satis notat τὸ ברמה *in Ramâ* posse accipi pro *usque ad Rama*, quasi planctus matrum Bethleemiticarum eo usque fuerit exauditus. 4. Potest etiam dici, sic Spiritum S. indicasse luctum & planctum illum ad utramque tribum se extendisse, infantes enim occisos fuisse Bethleemi, & tamen planctum simul excitatum in Rama. Non mirum etiam, in loco duabus tribubus contermino permistos habitasse Benjaminitas Iudæis, quippe qui cum tribu Iuda coaluerant, vel in primis à reditu è captivitate Babylonicâ, nec distinctum amplius nomen obtinebant. Durius est, quod *Iustinus* Dialogo cum Tryphone refert, Ramam locum esse in Arabiâ, ad quem pertigerit Bethleemitarum clamor. 5. Posset etiam dici, non clamorem tantùm, sed & carnificinam Herodis fortè eo usque pertigisse, quod *Origeni* jam olim placuit; quum non tantùm infantes Bethleemitici jugulati dicantur ab Evangelistâ, sed & strages simul facta ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς *in omnibus finibus eius.* 6. Adde, non infrequens esse sacris Scriptoribus loci alicujus commemoratione per allusionem aliud quid nomine proprio ipsius loci innuere. Sic Matthæus post Prophetam loquens de luctu excitato in Ramâ, simul innuit luctum in excelso auditum, adeoque longè latéque diffusum, tum quia Rama tale quid significat, tum quia in loco edito sita dubio procul fuit, unde

unde & nomen traxit, quod colligitur partim ex consuetudine Hebræorum, partim ex 1. *Reg.* XV.17. ubi Bahasa rex Israelis ascendens contra Iudam dicitur ædificasse Ramam, ne sineret ad Asam Regem Iudæ egredi aut regredi quicquam. Hinc probabile, Ramam fuisse locum munitum natura simul & arte. Sic *Theophylactus*, Ἡ Ῥαμὰ τόπος ἦν τῆς παλαιςίνης ὑψηλὸς. τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ ὄνομα. 7. Hoc verò vel in primis notandum, Evangelistam Prophetæ verba applicare, ut dictum, tantùm per *accommodationem* vel *transsumptionem* quandam, per quam alibi etiam gesta ad similia applicantur. Vnde, ut operosius, illis qui applicationem *in sensu litterali* factam statuunt, rationem reddere, cur Evangelista locum alleget, in quo non mentio de planctu excitato in Bethleem sed in Rama, quum tamen hic agat de strage edita, non in Rama sed in Bethleem, sic facillimum illis se expedire, qui applicationem tantùm *in sensu accommodativo* à Matthæo institutam contendunt, q.d. tunc simile quid contigisse Bethleemi, quale quid contigit jam olim in Rama, planctum nimirum ingentem ibi editum fuisse, & talem quidem qui ad mortuos usque pertingeret, & Rachelem iam demortuam in planctus societatem vocaret. Quod ipsum quoque ad quanvis stragem alibi editam eadem ratione referri potest.

XV. 3° *Objicitur.* Absurdum esse, Rachelem induci plorantem, non Leam, quum tamen strages edita fuerit non inter posteros Rachelis, sed Leæ, ex qua natus Iuda & Bethleemitani cives. *Resp.* Nec hoc absurdum, Racheli planctum ob hanc carnificinam adscribi, non ob æmulationem felicitatis filiorum Leæ martyrij corona decoratorum, quod placuit olim *Authori* quæstionum in Vetus & Novum Testamentum, sed 1. quia sepulchrum Rachelis Bethleemo propinquum erat, *Gen.* XXXV.19.20. 1.*Sam.* X.2. Rachel per προσωποποιΐαν egregiam introducitur plorans stragem infantum propè se editam. 2. Idque eò magis, quia non tantùm cognationis & proximitatis jus arctum intercedebat inter Rachelem & Leæ liberos, verum etiam quia Benjaminitæ Rachelis posteri unum duntaxat corpus constituebant, ut suprà dictum, cum tribu Iuda quæ ex Leæ posteris. 3. Adde, carnifices Herodis dubio procul in vicinum Benjaminitarum limitem etiam irrupisse, & nefarium fer-

rum in aliquos quoque è Rachelis posteris strinxisse ; quum disertè testetur Evangelista stragem illam editam etiam ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς *in omnibus finibus ejus.* Nec obstat Hierosolymam interjectam fuisse inter Ramam & Bethleem, non ergo verisimile videri in Ramâ quoque occisos infantes, præterquam enim quod Herodes ausus fuit in vicis ignobilibus, quod non audebat in metropoli regni , nihil attinet statuere, carnificinam illam etiam in Ramâ factam, satis enim est in vicis quibusdam finitimis Bethleemo qui essent in sorte Benjamin,& iugulatos fuisse infantes, & sanguinem fusum,quum per *accommodationem* tantùm , ut dictum , hæc ad stragem illam à Matthæo applicentur, simile quid nimirum tunc Bethleemi & in finibus ejus contigisse quale quid contigit jam olim in Rama,tempore deportationis populi.

XVI. *Objic.* Non convenire, Rachelem introduci plorantem super filiis suis, *eo quod non sint*, quum tamen illi utpote martyrijgloriam adepti tunc potissimũ esse cœperint,& ad decus eximium fuerint evecti. Respondent quidam. 1. Rachelem meritò dici consolationem respuisse, eò quod consolatione non egeret, quasi liberi sui non essent , vel quasi non essent vivi, non enim consolatione illi opus fuisse , quum in statum meliorem liberos suos translatos videret. Sed responsio illa coacta, sic enim nec planctui vel luctui opus fuisset Racheli, quem tamen cum summa ἐμφάσει verba Prophetæ exprimunt. 2. Nec illa responsio solidior, non de liberis hoc dici sed de defectu consolatorum , renuisse videlicet Rachelem consolationem admittere, non eo quod non essent liberi, sed eò quod non essent consolatores, vel omnibus excisis, vel omnibus occasionem lugendi habentibus , id enim contrarium verbis propheticis, dicitur enim disertè Rachelem noluisse consolationem admittere על בניה *super filiis suis.* Adde,sic non dicendum fuisse Rachelem respuisse vel renuisse consolationem, sed simpliciter eam nullã consolationẽ habuisse vel sensisse,eo quod non adessent qui eam solarentur in suo luctu. 3. Sic responsio ab æmulatione felicitatis posterorum Leæ, Christi causâ occisorum,ut suprà dictum,contorta est & indigna Rachele. 4. Doctissimus *Beza*, verba ὅτι οὐκ εἰσὶ *objectivè* sumit non *causaliter*, Evangelistam non exponere causam quamobrem non admiserit conso-

consolationē, sed innuere potius super quâ re noluerit consolatione ulla ad moderationem animi revocari. Sed nodus semper manet, quomodo illi dicantur non esse, qui & martyrij coronâ redimiti, & ad beatas sedes translati fuêre. Et objectum satis superque indicatum designatione geminâ filiorum Rachelis. 5. Vera & solida hujus nodi solutio est, τὸ *non esse* non ἁπλῶς hic sumendum sed κατά τι, Rachelem non plorasse super liberis suis, quasi planè non forent superstites, vel quasi funditus excisi forent, sed quod non essent scilicet in vivis, nefariè videlicet jugulati, sine spe restitutionis illorum in vitam præsentem. Sic *Theophylactus* οὐκ εἰσὶν, ἐν τῷ βίῳ τούτῳ οὐκ εἰσὶν, ἐπεὶ αἱ ψυχαὶ ἀθάνατοι. *Non esse* ergo hic tantùm est non superesse, vita privari, desinere esse inter homines. Sic τὸ ואינני legitur frequenter apud Scriptores sacros. Vide inter loca alia *Psal.* XXXIX.14. *Ierem.* XLIX.10. Et sanè sic Scriptura loquitur ex sensu humano, illi enim videntur non superesse, qui non supersunt in vivis, vel non amplius sunt superstites. Sic iudicat mundus actum esse de iis qui jugulati vel excisi, quanvis sæpe si ob Dei causam iugulentur tunc demum verè incipiant & esse & vivere. Nec ob id à luctu vel planctu omni abstinemus, quanvis persuasum habeamus nostros ad beatas sedes præmissos, quos vel mors naturalis à nobis avulsit vel violenta. Duo verò illa egregiè se excipiunt apud Prophetam. 1. Affectus humanus & carnalis matrum, quæ nolunt admittere consolationem ob filiorum suorum stragem. 2. Correctio divina, *quiescat vox tua à ploratu*, &c.

XVII. Martyrii cæteroquin coronam secundùm quid non negamus cum plerisque ex Veteribus infantibus illis, modò observetur hoc martyrium *passivum* potius fuisse quàm *activum*, *impropriè* potius sic dictum quàm *propriè*, quum ad verum martyrium non tantum requiratur strages vel cædes, & causa illius sancta, sed & voluntas ac intentio eam ob sanctam causam Christi nomine subeundi. Sine causâ verò Theologi Pontificij puerulos hos Bethleemi jugulatos per martyrium suum justificatos contendunt. Sic inane est glossema *Cornelij à Lapide*, ubi de martyrio horum puerulorum loquens inquit, prout justificantur infantes *ex opere operato* per sacramentum baptismi, sic idem per martyrium illorum fieri, qui fit baptismus

sanguinis. Nihil attinet hîc digredi in confutationem *operis operati* re & nomine barbari & à Grammaticis & à Theologis jam dudum explosi. Satis, hîc observetur Iustificationem ex *opere operato* sive per Baptismum sive per martyrium, commentum esse humanum ἄγραφον, ἀντίγραφον, & ἄλογον. Hoc tamen largiri possumus *Cornelio* ut ex opere operato per sacramentum baptismi justificantur infantes, sic & per martyrium justificari, h.e. neutro modo, nec enim in talibus quærenda justificationis causa quæ alibi docetur. Ipse *Bellarminus* libro v. de Iustificatione cap. XI. de horum puerorum martyrio loquens inquit, sanctos innocentes privilegio singulari gloriam martyribus debitam accepisse, quamvis illam propriè non meruerint, quum actio illa necessaria fuerit, non libera. Id verò generale & commune censemus Martyribus omnibus, quorum nemo vel meretur, vel mereri potest gloriam, actu debito, imperfecto, per Dei gratiam singularem præstito, & nullam habente proportionem cum præmio subsequuto. Hinc Martyres etiam stolas suas dealbant in sanguine agni, & coronas suas ad pedes ejus projiciunt. Gloriam Martyribus dari fatemur, deberi negamus. Effatum Apostoli universale est, *Donum Dei vitæ æterna.* Frustrà etiam *Scholastici* anxiè hic disputant, an usus liberi arbitrii infantibus illis ex singulari privilegio acceleratus fuerit, vel non, & illud quidem ex singulari privilegio, ut voluntariè martyrium pati possent. Vide *Thomam* IIa IIæ quæst. CXXIV. art. I. Fundamentum enim falsum toti illi Theologiæ substratum, ejusmodi actus ex libero arbitrio procedentes esse meritorios, quod πρῶτον ψεῦδος. *Augustinus* cæteroquin egregiè & appositè Sermone LXVI. inquit, infantes illos non quidem habuisse ætatem, quâ in Christum passurum crederent, habuisse tamen carnem in quâ pro Christo passuro passionem & mortem simul sustinerent. Et sanè moriendo tantùm, non loquendo Christo testimonium perhibuêre. *Bernhardus* triplex Martyrum genus constituit, martyres *voluntate* solùm: martyres *voluntate & opere*: martyres *opere* solùm, primo sensu omnes pij martyres sunt, secundo illi qui sanguinem Christi causa alacriter fundunt, tertio loco censentur infantes isti Bethleemitici, & alij quos inopina strages Christi causâ in tenerâ ętate vel sine prævia deliberatione oppressit.

XIX. Cæ-

XIX. Cæterùm superioribus super Ieremiæ vaticinio & ejus allegatione expensis, liquebit Lectori cavilla Iudaica contra Matthæum nostrum contorta, utut speciosa, levia tamen esse & inania, ut & *dilemma* subjectum, vel *litteraliter* verba Prophetæ applicari à Matthæo, vel *typicè*, neutrum verò locum habere posse, *non prius*, quin pervertatur sensus & scopus Ieremiæ, *non posterius*, quum nec scelerati Iudæi typus dici possint infantium innoxiorũ, nec deportatio populi Dei in captivitatem typus esse queat evectionis horum puerorum in cœlum. Peccatur enim *insufficiente enumeratione*, nec enim vel *litteraliter*, vel *typicè* applicata à Matthæo verba Ieremiæ, sed per meram *accommodationem* vel *transsumptionem* tantùm, ut alia loca quæ *Matt.* XIII. & XV. & alibi extant. *Typi* ratio nonnisi generalis hîc dari potest, quatenus calamitates Ecclesię Veteris Testamenti sunt typus calamitatum Ecclesiæ Novi Testamenti. *Inst.* Scripturam aliquam non videri impletam in simili. *Resp.* Contrarium liquere ex locis allegatis *Dubio* LXXII. ubi ostensum multa loca non posse dici aliter impleta quàm *in sensu accommodativo.* Concludimus ergo non *in applicatione* magis quàm *in citatione* verborum Ieremiæ à Matthæo peccatum fuisse, sed planctum veterem ad argumentum de quo Evangelista agit appositè & patheticè sine ullâ verborum vel sensus corruptelâ traductum, quod erat ostendendum.

DVBIVM LXXXV.

Quî dicuntur mortui esse qui quærebant animam pueri *Matth.* 11. 20? quum tamen & solus Herodes eam quæsierit, & solius Herodis obitus commemoretur?

EXAMEN.

Duplex solutio reiecta: Vera proposita, & confirmata. Syllepsis & enallage numerorum frequens. Exem-

pla. Loci varij illustrati. Exod. xxxii. 4. Ios. vii. 11. Iud. xii. 5. 1. Sam. 1. 1. xviii. 20. Psal. 11. 1. Iesa. xi. 1. Nah. 11. 6. Ioh. vi. 45. Act. xiii. 40. & xv. 15. Matth. xxvi. 8. xxvii. 44. Act. vii. 53. Hebr. ix. 23. Apoc. 1. 4. *Locus insignis* Epiphanii. Quærere animam *genus loquendi* μέσον. *Parallelus inter Christum & Mosen. Pœna Herodis.*

I. NON opus prolixâ dissertatione ad hujus *Dubij* solutionem, quod levius. 1. *Glossa interlinearis* numerum pluralem refert ad Scribas & Phariseos, qui unà cum Herode mortem Christi moliti fuerint. Sed 1. id precarium & ἄγραφον, 2. Contrarium *Iosepho*, qui docet Pharisæos de novo Rege Pheroræ uxori vaticinatos, & in adventus ejus spem erectos fuisse. Certum quidem, utrosque animam Christi petiisse, sed Christi adulti demum, ex quo ille hypocrisin Pharisaicam perstringere, & in hominum nefariorum scelera invehi cœpit, qui pietatis obtentu plebem emungebant, & eius stupore ad quæstum suum utebantur. Liquet cæteroquin ex Iosepho, magnam ejusmodi hominum stragem ab Herode editam. 2°. Sic verba illa τεθνήκασι οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου referri possent ad carnifices Bethleemum missos stragi illi puerorum faciendæ, quod plerique iustâ Nemesi unà cum Herode exstincti fuerint, sed & hoc à conjecturâ tantùm, & sine certâ probatione.

II. Solidior responsio pendet à consideratione styli sacri, in quâ frequentes reperiuntur συλλήψεις & ἐναλλαγαὶ ejusmodi ut temporum, sic numerorum, pluralis pro singulari, & vice versâ. Exempla passim obvia sunt. Sic *Exod.* xxxii. 4. de vitulo fusili dicit populus, *Hi Dij tui, Israel, qui eduxerunt te è terrâ Ægypti*, quod repetit Deus *versu* 8. & *versu* 31. Moses inquiens, *peccavit populus iste peccato maximo, quod fecerunt sibi Deos aureos.* Etsi τὸ אלהים & uni Deo vero, & pluribus fictitiis promiscuè

ſcuè adſcribatur. Vnde quandocunque de vero Deo effertur, quanvis conjungatur cum verbo plurali ob terminationem nominis, in ſingulari tamen numero utrumq; reddendum. Vide *Gen.* XXXV. 7. *Ioſ.* XXIV. 19. & alia id genus loca. Sic *Ioſ.* VII. 11. *Acceperunt de anathemate, & furati ſunt, & mentiti ſunt, & repoſuerunt illud inter inſtrumenta ſua*, quum tamen hoc Hachanis tantùm crimen eſſet, etſi reatus omnium. Sic *Iud.* XII. 7. dicitur Iephte ſepultus *in civitatibus* Gilhaditarum, h.e. in aliquâ ex illis. Sic 1. *Sam.* 1. 1. Erat vir quidam de *Ramathaim* h.e. de Ramâ alterâ è duabus non Gilhadis, ſed Tzophæorum, ut ibidẽ additur. Sic huc referri poteſt quod legitur 1. *Sam.* XVIII. 21. בשתים *in duabus* gener meus eris hodie h.e. in alterutra filiarũ mearum. Sic quod legitur *Pſal.* II. 2. *Reges terræ* conſtitiſſe, & *dominatores* conveniſſe in unum contra Dominum & unctum eius, Petrus *Actorum* IV. 27. ad Herodem applicat & ad Pilatum, quorum ille Rex, iſte רוזן *dominator*, etſi id ſive *typum* ſpectemus, ſive *antitypum* cumprimis ad plures quoque referri poſſit, contra quẽ frequentiſſimæ Regum & Dominatorum coitiones. Sic *Ieſa.* XI. 1. dicitur ſurculus germinaturus *è radicibus* Ieſſe, pro è radice Ieſſe. Sic nihil frequentius numerorum æquè ac perſonarum enallage & tranſitu ab uno ad aliud apud Prophetas. *Nah.* II. 6. mentio fit *portarum fluviorum*, quod vel de portis Ninives cum *Hieronymo*, vel de portis ſive oſtiis Tygridis eam alluentis intelligendum. Sic *Ioh.* VI. 45. dicitur ſcriptum eſſe in Prophetis, quod exſtat tantùm *Ieſa.* LIV. 13. Sic *Act.* XIII. 40. denuò in Prophetis dictum dicitur quod *Habac.* 1. 5. duntaxat reperitur, quanvis & ratio alia à volumine plurium Prophetarum inter ſe colligatorum in talibus duci poſſit. Sic *Act.* XV. 15. Amoſi verba vocantur verba Prophetarum. Nota ſunt etiam exempla Evangelica, *Matth.* XXVI. 8. diſcipulos dici indignatos fuiſſe, quum tamen id Iudæ tantùm adſcribat *Iohannes* cap. XII. 4. 5. Sic pluribus latronibus adſcribitur *Matth.* XXVII. 44. quod ab uno duntaxat factum teſtatur *Lucas* cap. XXIII. 39. Sic Iudæi dicuntur accepiſſe Legem εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, pro διὰ διαταγῆς h.e. διακονίας ἀγγέλων, *Act.* VII. 53. Sive potius τοῦ ἀγγέλου, antonomaſticè, & κατ' ἐξαίρετον talis, Angeli nimirum federis. Et ſanè duplicem enallagen ibi occurrere notavit iam olim Interpres *Syrus*, qui reddit verba illa ביד פוקדנא דמלאכא ad verbum,

per manum mandati Angeli, h.e. mediante miniſterio Angeli. Sic dicit Apoſtolus *Hebr.* IX.23. κρείττοσι θυσίαις purificari cœleſtia, unicam Chriſti victimam πλείονα θυσίαν plurali numero deſignando, quæ ſola typicis omnibus reſpondet. Sic τὰ ἅγια ſæpe in Epiſtola ad Hebræos deſignant τὸ ἅγιον. Sic *Apoc.* I. 4. τὰ ἑπτὰ πνεύματα unum deſignant Spiritum in ſeptem Eccleſias variis donis effuſum. *Epiphanius* hanc enallagen & notat, & illuſtrat ex vulgari loquendi modo & applicat ad exemplum de duobus latronibus Hæreſi Manichæorum, quæ LXVI. §. XLI. Edit. Petav. Εἰώθαμεν γὰρ, inquit, τὰ ἑνικὰ πληθυντικὰ λέγειν, καὶ τὰ πληθυντικὰ ἑνικά. Φάσκομεν γὰρ, ὅτι διηγησάμεθα ὑμῖν, καὶ ἑωράκαμεν ὑμᾶς καὶ ἥκομεν πρὸς ὑμᾶς. Καὶ οὐ δύο οἱ λέγοντες, ἀλλὰ εἷς ὁ παρών. ὁ δὲ εἷς κατὰ τὴν συνήθειαν τῆς χρήσεως ἐκ προσώπου πολλῶν πληθυντικῶς διηγεῖται, οὕτω πληθυντικῶς περιείληφεν ἡ τοῦ εὐαγγελίου ὑπόθεσις, &c. h.e. ex Verſione *Petavij*, *Solemus enim ſingularia nonnunquam numero multitudinis efferre, & contra pluralia ſingulari: velut cum dicimus, narravimus vobis, & vidimus vos, & venimus ad vos, quum interim non plures ſint, ſed unus duntaxat qui loquitur, verùm unus communi loquendi conſuetudine ex plurium perſonâ ſermonem inſtituit. Sic ab uno Evangeliſtâ pluralis uſurpatus eſt numerus*, &c.

III. Ex his exemplis liquet, non abſurdum eſſe, quanvis ſolus Herodes mortuus fuerit, & ille ſolus animam pueri quæſierit, Evangeliſtam noſtrum in numero plurali loqui & dicere tyranno exſtincto, mortuos eſſe illos qui quærebant animam pueri, quum præſertim tyrannus ille multo ſatellitio ſtipatus in Chriſtum graſſatus fuerit, & carnifices multos in eius perniciem armaverit, quorum rabies exſtincta tyranno exſtincto, ſive divina ultio debitas jam ab hominibus nefariis pœnas exegiſſet, quod incertum, ſive illorum impetum omnem ſufflamінаſſet Deus, qui ſceleratum ferrum in Bethleemiticos pueros ſtrinxêre, & *animam* h.e. vitam pueri Hebraiſmo conſueto, petiêre. Vide eandem phraſin eodem prorſus ſenſu 1. *Reg.* XIX. 10. 14. & *Rom.* XI. 3. quanvis hoc genus loquendi alioquin μέσον ſit, quod benè obſervat *Druſius* in Præteritis, & Scriptura docet *Prov.* XXIX. 10. Sic gemina locutio occurrit *Exod.* IV. 14. & evidens eſt verbis Evangeliſtæ alluſum ad revocationem Moſis in Ægyptum, qui infanticidio ſubductus, infanticidâ ſublato,

iiſdem

iiſdem penè verbis revocatus legitur, *revertere in Ægyptum, mortui enim ſunt omnes qui quærebant animam tuam.* Hinc etiam collatio illa παράλληλος aliquomodo firmatur & illuſtratur, quá inſtituimus (in expoſitione verborum, *Ex Ægypto evocavi filium meum)* inter populum Iſraeliticum, & Chriſtum primogenitum Dei, inter utriuſque conditionem, & beneficium ſubſequutum. Vtique ſanè negari nequit, liberatorem typicum & verum iiſdem verbis revocatum, & ſuavem dari comparationem inter Chriſtum & Moſen, uterque infanticidio ſubductus, uterque revocatus, uterque Dei voce revocatus, uterque poſt obitum tyrannorum, uterque Dux populi Dei conſtitutus.

IV. Mortem cæteroquin Herodis quod attinet, quomodo ille inter ſummas animi & corporis anguſtias exſpirârit, iuſtâ Nemeſi variis torminibus excarnificatus, & ultricem Dei manum expertus, oſtenſum in ἐξηγήσει Hiſtoriæ Herodis *Dubio* II. *Ioſephus* ſanè rotundè profitetur lib. XVII. cap. VIII. examen illud morborum & calamitatum, quod hominem nefarium & tam multo ſanguine domeſtico ſimul & extero cruentatum oppreſſit, ad divinam ultionem à Viris ſapientibus relatum fuiſſe, ἐλέγετο, inquit, ὑπὸ τῶν θειαζόντων, καὶ οἷς ταῦτα προαποφθέγγεσθαι σοφία πρόκειται, ποινὴν τοῦ πολλοῦ δυσσεβοῦς ταύτην ὁ θεὸς εἰσπράσσεσθαι παρὰ τοῦ βασιλέως, quanvis Ioſepho alia ultionis cauſa ſpectata, & vera vel ignorata fuerit vel diſſimulata. Furorem cæteroquin Herodis, infanticidium nefarium, & eius appendices incomparabili Dramate expreſſit feliciſſimè *Daniel Heinſius* ſummum ſeculi decus in *Herode infanticida.*

DVBIVM LXXXVI.

Quomodo dicatur Archelaus *regnaſſe* in Iudæa pro Herode patre *Matth.* II. 22?

EXAMEN.

Cauſa dubitandi. Criminatio hoſtium Evangelij. Solutio duplex. Archelaus hæres regni ex aſſe ab Herode ſcriptus. Epitome Hiſtoriæ Archelai.

Archelaus accusatus & defensus. Iudicium Cæsaris. Latitudo verbi מלך *& nominum* ממלכה & מלכות מלך. *Vsus laxus nominis* βασιλέως *apud* LXX. *Quid* βασιλεύειν, βασιλεία Suidæ, βασιλεὺς *Authori* Etymologici, Eustathio, *& Scriptoribus aliis.*

I. DVBITANDI causa evidens ex Iosepho. Obvium enim Lectori ex collatione eorum quæ Iosephus super hoc argumento habet cum verbis Matthæi, nec regnum cessisse Archelao, nec titulum regium, nec Iudæam integram, sed partem, etsi præcipuam. Hæc etiam ab hostibus Evangelii occasio arrepta in Matthæum invadendi, & eum vel ignorantiæ, vel incommodæ locutionis arguendi.

II. Duo verò sufficiunt Matthæo vindicando. I. Inspectio ipsa narrationis Iosephi. II. Consideratio styli sacri. *Prius* quod attinet, non dicemus cum *Baronio*, Augustum ultimas Herodis tabulas ratas habuisse, & Archelaum Regem ab eo institutum, quod contrarium prorsus relationi Iosephi, quo nomine meritò castigatur ab Eruditissimo *Casaubono*. Ea enim quæ Iosephus tradit super hoc argumento, hæc sunt, ut liquet ex *lib.* XVII. Antiq. Iud. Iosephi cap. X. XI. XIII. Herodem Antipatro occiso tabulas testamentarias mutasse, regiones aliquot inter Antipam, Philippum, & Salomen sororem distribuisse, Archelao verò destinasse regnum. Addit Iosephus, à morte Herodis cohortes in Theatrum Hierichuntinum coactas, iis litteras Herodis prælectas, laudatam militum fidem, & imperatum obsequium erga Archelaum Regem à se designatum. Tabulis supremis à Ptolemæo perlectis, Archelaus à militibus Rex salutatur. Ille plausum militum admittere, cohortes & plebem è throno aureo blandis verbis demulcere, à regio tamen titulo se abstinere, diadema ab exercitu oblatum detrectare, votorum modestiam profiteri, reverentiam erga Cæsarem, & tabulas paternas, quibus Cæsari supremum jus ab Herode

Herode de omnibus ſtatuendi relictum , ſive jure ut à Rege qui ὑποφόρος ſecundùm quoſdam, ſive potius gratis demerendo Cæſari, à Rege, qui cęteroquin ἀνυπεύθυνος & αὐτοκράτωρ. Archelaus interim ſupremam poteſtatem invadit, Iudæos tumultuantes immiſſo milite compeſcit, & Romam navigat cum amicis, occupandæ Cæſaris gratiæ, & firmandæ poteſtati. Antipas prioribus tabulis regni hæres ſcriptus idem molitur cum ſuis. Lite conteſtata coram Auguſto, Antipater Salomes filius Archelaum reum peragit vſurpati regni, ſtragis factæ, ſolii regii conſcenſi, juris in mutandis militiæ præfectis occupati, & omnium illorum, quę regis eſſent. Cæſarem ab Archelao ante ſpretum adhuc illudi, ejus ſuffragium occupato regno quæri ab homine, cui paternum funus, inter prima vota & gaudia, Cęſaris autoritas, ludus, ingenium ſubdolum & ſævum, animus infidus, patris ſimul & Cæſaris contemptor. Antipæ regnum deberi ſcripto hæredi à patre ſano adhuc & ſuæ ſpontis, Archelaum ſubſtitutum delirio potius Herodis, quàm conſilio, & eo ipſo dignitate movendum , quod regnum non exſpectaſſet à Cæſare, ſed ſibi ipſe vindicaſſet. His ab homine facundo ſummâ vehementiâ dictis, *Nicolaus* pro Archelao dicere, crimina obiecta amoliri, odia Antipatri & complicum ingerere, Herodis ſupremam voluntatem urgere, ad Cæſaris virtutem & fidem provocare, Archelaus genua Cæſaris advolvi, & dignitatem geſtu potius quàm verbis petere. Cæſar Archelao erecto eum regno digniſſimum pronuntiat, addit, tabulas paternas & commoda Archelai ſibi curæ fore, iuvenem inani ſpe implet, ſed ſententiam differt & judicium. Iudæi interim Oratores ſuos Romam mittunt, Herodis tyrannidem, Archelai ſævitiam ingerunt, Regem deprecantur. Cæſar tandèm re ſecum deliberatâ Archelaum non Regem conſtituit, ſed ἐθνάρχην, tributâ ei Idumæâ , Iudæâ, & regione Samariticâ, regium ἀξίωμα pollicitus εἴπερ τὴν εἰς αὐτὴν ἀρετὴν προσφέροιτο. His perſpectis, nemini mirum videbitur, Archelaum dici regnaſſe ab Evangeliſtâ, qui Rex ab Herode ſcriptus , Rex à cohortibus ſalutatus , regium ἀξίωμα ſibi vindicavit, & thronū regium ad tempus occupavit. Et quanvis Cæſar nomen regium illi negârit, nec Archelaus ex aſſe Herodis hæres fuerit, mediam tamen regni partem & cum eâ ſpem nominis regii obtinuit, & reverâ ſi non nomine regio,

poteſtate tamen regia per complures annos præfuit Iudææ, adeoque meritò dici potuit ab Evangeliſta βασιλεύειν ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας ἀντὶ Ἡρώδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, quum eius imperio nec Philippi, nec Antipæ fratrum ſive dignitas ſive ditio conferenda eſſet.

II. Accedit verò & ſolutio alia à ſtylo H brӕo, quę nodum omninò ſolvit, ſi ſpectetur latitudo verbi מלך quod LXX. non tantùm reddunt per verbum ſpecificum βασιλεύειν, ſed & per verbum genericum κρατεῖν, ut מלך Chaldæorum illi adſcribitur in genere, cujus eſt conſulere, conſilium dare. Sic nomen concretum מלך illis non tantùm βασιλέα notat, ſed & ἄρχοντα in genere, ἡγούμενον, item ϛρατηγόν. Sic iidem nomina abſtracta ממלכה & מלכות interdum βασιλείαν vertunt, interdum ἀρχήν. Sic LXX. vocem מחקק vertunt interdum ἡγούμενον, ἄρχοντα, interdum βασιλέα. Sic מושל quod cõmune & genericum ab iiſdẽ redditur ἄρχων, ἡγούμενος, δυνάϛης βασιλεύς. Sic נגיד quod ἄρχων, ἡγούμενος, ἐπιϛάτης, LXX. etiã vertunt βασιλέα. Sic נדיב interdũ ἄρχων interdum βασιλεύς. Sic נשיא iiſdem ἄρχων, ἡγούμενος, ἡγεμών, & βασιλεύς. Sic קצין ἡγούμενος, ἄρχων, ἀρχηγὸς & βασιλεύς. An mirum ergo cum tanta ſit latitudo tum Hebræarum vocum tum Græcarum in Veteri Teſtamento ſive apud Scriptores αὐτοπίϛους, ſive apud LXX. Interpretes, illum dici βασιλεύειν, qui ampliſſimæ ditioni & cum ſummo imperio præeſt, quum exigui tractus, imò urbium ſingularum dynaſtæ ſæpe regum titulo in ſacrâ Scripturâ honeſtentur? *Suidæ* βασιλεύειν eſt ſimpliciter ἐξουσιάζειν καὶ ἄρχειν. Eidem βασιλεία promiſcuè eſt ἀρχὴ ἀνυπεύθυνος, quæ illorum etiam eſſe poteſt, qui principatum gerunt, & infra regium ἀξίωμα ſubſidunt. *Etymologicum magnum*, βασιλεὺς σημαίνει τρία, τὸν θεόν, καὶ τὸν βασιλέα, καὶ τὸν οἰκοδεσπότην. Origines ibidem datæ huic nomini genericæ ſunt & laxæ. Sic *Gloſſarium* βασιλεὺς Auguſtus, regnator, rex, princeps, qui aliâs πρωτοϛάτης, προεϛώς. Imò ne Authores quidem profani ſtricto ſemper ſignificatu vſurpant vocem βασιλέως, *Euſtathio* βασιλεῖς quilibet qui ἔνδοξοι: ſic βασιλεύειν eſt regere ſimpliciter, nõ regnare tantùm, βασιλεύεσθαι regi, ut apud *Plutarchum* in Alexandro, ὑπὸ τῶν ἱερέων βασιλεύεσθαι. Cur minus Matthæo noſtro liceat? cur illi vitio vertatur, quod nulli Scriptorum vitio verſum? Et ſatis habet Evangeliſta noſter

præſidij

præsidii sive in origine, sive in vsu hujus verbi tum apud Scriptores sacros, tum apud profanos. Vnde & in hac criminatione ἀϛεργητὴ ἐν πυέλου, & nodus quæsitus in scirpo. Illud hîc maximoperè notandum, singulari Dei providentiâ factum, ut Christo Rege exhibito nullus amplius Rex Iudæorum designaretur, prout & eodem exhibito Sacerdotium pilam & ludum inter Iudæos redditum suprà ostendimus, Deo Iudæos ad alium Regem & alium Pontificem vocante.

DVBIVM LXXXVII.

An allegatio Matthæi, *cap. 11. 23.* Christum *Nazarenum* vocandum, petita sit ex dictis Prophetarum, non redactis in scripta?

EXAMEN.

Difficultas loci. Iudæorum *cavilla.* Pontificiorum *illatio de imperfectione Canonis sacri. Methodus Authoris.* Duplex *Interpretum & opinionum* classis. Osiandri *opinio. Consensus & dissensus inter Osiandrum & Pontificios.* Triplex *Prophetarum genus ab Osiandro constitutum. De ultimo Prophetarum genere Matthæum loqui.* Rationes *Osiandri. Examen sententiæ Osiandri. Hypotheses eius falsæ. Rationes oppositæ. Exceptio Osiandri examinata, & rationes adiectæ.*

I. I ullus locus in toto Novo Testamento calumniæ & cavillis hostium Evangelii opportunus videtur, & Lectori attento crucem figere potest, fatendum, hunc præ omnibus aliis & maiori specie urgeri, & difficiliorem pati solu-

tionem. Vnde *Iudæi* petulanter hîc pro more ſuo in Matthæum invehuntur, & 1. *crimen falſi* illi impingũt, quod id per Prophetas dictum aſſerat, quod nulli Prophetarum dictum vel ſcriptum. 2. Cavillantur, *illationem* inanem ſtrui, Chriſtum Nazarenum vocãdum ob habitationem in urbe Nazareth. 3. Concludunt, Ieſum noſtrum non eſſe Meſſiam nec Chriſtum Dei, eò quod Nazarenus fuerit, quum Meſſias non Nazarenus eſſe debuerit, ſed Bethleemita. Inter *Chriſtianos* etiam non deſunt, qui his Matthæi verbis abutuntur ad dogma hetedoxum de *imperfectione Canonis ſacri* ſtabiliendum, hinc concludendo, deeſſe vel unum vel plures ex Prophetis, quum ejuſmodi prædictio in libris Propheticis quos præ manibus habemus nuſquam reperiatur, & tamen diſertis verbis affirmetur à Matthæo, hoc ipſum, Chriſtum nimirum Nazarenum vocandum, jam olim prædictum fuiſſe per Prophetas, vel ergo falſum quid aſſeri ab Evãgeliſtâ, vel intercidiſſe ſive temporum iniuriâ, ſive hoſtium Evangelij artibus volumen quoddam Propheticum, è quo verba illa à Matthæo deprompta fuerint. Cum utriſque itaque nobis hîc agendum, & ſimul abſtergenda cavilla hoſtium Evangelij, ſimul etiam integritas Canonis ſacri, & ſinceritas Evangeliſtæ noſtri à Sophiſtarum illatione vindicanda. Quod quidem præſtare conabimur, I. Ἀνασκευῇ opinionum vel falſarum, vel minus probabilium ſaltem. II. Κατασκευῇ veræ originis, veræ etiam interpretationis verborum Matthæi, quâ propoſitâ & probatâ tum à *Iudæorum* cavillis, tum à *Pontificiorum* illatione veritas ſacra aſſerta reperietur & vindicata.

II. Quum verò Interpretes Chriſtiani ſive veteres, ſive recentiores in varia imò diverſiſſima hîc eant, potiſſimæ opiniones & ſententiæ ad certas claſſes facilioris cognitionis gratiâ nobis revocandę, quarum *duas* conſtituimus. I. *Negativam* unam. II. *Affirmativam* alteram. Quidam enim *negant* reperiri verba illa in Codice Prophetico Veteris Teſtamenti: *Affirmant* alij. De utriſque & illorum fundamentis nobis, quantum fieri poterit, διὰ βραχέων diſpiciendum.

III. Qui, *negant* verba illa in Codice ſacro reperiri, *in re* quidem conveniunt, non conveniunt tamen ſive *in modo rei*, ſive *in conſectario* quod inde educi ſolet. Duplex itaque opinio hîc quoque nobis diſtinguenda, una *Andreæ Oſiandri*, altera *Interpretum*

terpretum multorum inter *Pontificios*. *Osiander* simul & Interpretes illi negant verba illa in Codice Prophetico exstare, sed nec supponit *Osiander* illa unquam scripta exstitisse, quod supponunt Pontificii, nec vult *Osiander* volumen aliquod Propheticum è Canone periisse, quod satagunt iidem, & confutat ibidem *Osiander* Annot.cap.xi. De *Osiandri* sententia hoc loco nobis agendum, rejecto examine sententię Pontificiorum quorundam ad *Dubium* sequens.

IV. *Osiandri* sententia hûc redit, hunc nodum dissolvendum esse ex evolutione ambiguitatis latentis in voce προφητῶν, *triplex* enim fuisse *genus Prophetarum*. 1. Prophetas, qui quandocunque res postulabat oracula, visiones, & somnia fatidica impetrabant, tales Prophetas fuisse Mosen & Samuelem, & alios quos prisca ætas *videntes*, vulgus Iudæorum *priores* Prophetas vocare consuevit. 2. Aliud fuisse genus Prophetarum, qui oracula quidem sacra excipiebant, sed per intervalla tantùm, quando videlicet Deo visum illos ejusmodi lumine collustrare, & per eos populum docere, vel monere, vel objurgare. Illos, inquit *Osiander*, à Iudæis *posteriores* vocatos, eo quod maxima eorum pars ferè post Salomonem sub Idololatris Regibus fuerit, ut Esaias, Hieremias, Ezechiel, & duodecim Prophetæ minores, quum sublimius illud Prophetarum genus circa Davidis tempora ferè desierit. Vtrosque ex his Prophetis sua de Christo vaticinia litteris prodidisse. 3. Addit verò *Osiander*, *tertium* adhuc genus Prophetarum fuisse, qui quanvis oracula, visiones, & somnia fatidica nunquam à Deo obtinuerint, tamen à superioris generis Prophetis tanquam à præceptoribus eruditi, & sancti Spiritus internâ unctione edocti, litteras Propheticas rectè intellexerint, easque aliis enarrare, ex iis recta consilia dare petentibus, & quæ rectâ ratiocinatione ex eorundem dictis necessariò consequerentur, perspicere potuerint. Illos à prisca ætate filios Prophetarum, à Paulo Corinthiis scribente simpliciter Prophetas vocatos. Priorum Prophetarum scripta omnia in integro esse, posterius autem genus, quod in docendo plurimum versabatur, à scribendo ferè semper abstinuisse. Concludit itaque *Osiander* de hoc ultimo Prophetarum genere loqui Matthæum, non de duplici classe priori, quando inquit Christum ab illis vocatum fuisse Nazarenum, filios ni-

mirum illos Prophetarũ hoc per consequentiam eduxisse è locis aliis. *Rationes* potissimę *Osiandri* sunt à λέξει Matthæi. 1. Matthæum non citare certum Prophetam, nec dicere hoc prædictum fuisse à Propheta, sed uti numero plurali, & dicere, hoc dictum fuisse διὰ τῶν προφητῶν. Id ergo non in certo quodam Propheta quærendum esse. 2. Matthæum non dicere, hoc esse *scriptum*, sed *dictum* à Prophetis. Vltimum itaque genus Prophetarum ex scriptis reliquorum Prophetarum vel in primis ex loco *Iesa.* XI. coniecisse, Christum habitaturum in Nazareth, & ob id vocandum Nazarenum. 3. Constare ex libris Talmudicis, Christo jam exhibito Iudæorum Magistros omnia veteris populi Dei charismata sibi arrogasse, & inter alia non modo hoc infimum Prophetiæ genus, sed & supremum. Facillimum verò etiam fuisse infimo Prophetarum generi prędicere à qua vrbe cognomen esset habiturus Christus. Constitisse enim eum oriturum de domo Davidis, domum verò illam pręter Hierosolymam certa oppida inhabitasse, ut regia familia semper nota esset, indubitatum ergo fuisse, eum in aliquo illorum oppidorum habitaturum, & cognomen inde accepturum. Manifestum autem esse ex Evangelio, Bethleemum & Nazarethum in illorum numero fuisse. Ergo sic ratiocinari potuisse illos Prophetas, Christus nascetur de semine Davidis: Ergo habitabit unà cum parentibus in uno aliquo oppidorum regio generi destinatorum. Non habitaturum verò Bethleemi, quum inde egressurus dicatur à Michæa, nec Hierosolymitanum vocandum, eo quod secundùm Zachariam ut hospes Hierosolymam venturus esset. Superesse ergo oppidum Nazareth, & quum Christus נצר vocetur ab *Esaia* cap. XI. dubium esse non potuisse quin Nazareth florem illum, à quo denominata est, aliquando inter cives suos habitura esset. Hoc itaque in vulgus notum ut certissimam Prophetiam ab Evangelista citari potuisse.

IV. Iudicium nostrum quod attinet, statuimus, subtilitatis laudem illam *Osiandri* Viri Eruditi interpretationem habere posse, soliditatis non item. 1. Quia supponitur, non probatur, triplex Prophetarum genus exstitisse, quum tamen in sacris duo tantùm Prophetarum genera reperiamus, Prophetas *propriè* sic dictos, alios sic dictos *impropriè*, & per κατάχρησιν quandam,

dam: ad *primum* genus pertinent illi quos contradiſtinguit in duas claſſes *Oſiander*, ſed gratis, & ſine fundamento, ad *ſecundum* Interpretes Prophetarum. *Hypotheſis* ſubſtrata, precaria, vel Moſen, vel Samuelem vel ullum alium Prophetarum ſemper & ſuper omnibus reſponſum à Deo impetraſſe, & velut habitum quendam prophetandi habuiſſe, quum tamẽ donum Propheticum, non per modum habitus, ſed tantùm per modum influxus vel irradiationis vel coruſcationis cujuſdam ſpecialis ad actus à Deo conſtitutos Prophetis fuerit conceſſum, unde & ipſi quandoque hærebant & hallucinabantur, donec illaberetur animis illorum lux illa extraordinaria. 2. Adde, diſcrimen & ingens quidem fuiſſe in gradu ὑπεροχῆς inter Moſen, & Samuelem, quum illi multò maior cum Deo interceſſerit familiaritas, ut ita loqui liceat, communicatio & frequentior & illuſtrior, quam ὑπεροχὴν Moſes habuit præ omnibus Prophetis aliis, cum quo Deus dicitur locutus fuiſſe de facie ad faciem, ut vir cum amico ſuo. 3. *Tertium* genus *Prophetarum* impropriè ſic dictum qui erant ἐξηγηταὶ vel ὑφηγηταὶ τῶν προφητῶν in Eccleſiâ exſtitiſſe non negamus, tales verò a Matthæo hic commemorari negamus, quũ nulla in toto Novo Teſtamento occurrat citatio, quæ non è Canone Veteris Teſtamenti, & Prophetis illis, qui Canonis partem conſtituunt, petita fuerit. *Paulo* ſanè ſermo frequens de tertio illo Prophetarum genere, apud Evangeliſtas verò altum de illis ſilentium. 4. Adde, nullum alium inter Evangeliſtas, vel Apoſtolos, nec Matthæum ipſum ullibi quicquam ex ejuſmodi Prophetis allegare, nec citationem ejuſmodi firmam vel ſolidam futuram fuiſſe, non procedentem à Prophetis αὐτοπίστοις, adeoque ἀνυπευθύνοις. 5. Adde, donum illud extraordinarium interpretandi Scripturas, æquè ac donum linguarum in Novo Teſtamento demum ad Evangelii confirmationem indultum videri, quum in Veteri Teſtamento nulla illius mentio occurrat. *Filij* enim *Prophetarum*, Prophetarum diſcipuli erant & κατηχούμενοι, qui ad pedes illorum ſedebant, & doctrinam ſacram ex ore illorum hauriebant. Vnde ſupponitur, non probatur tales novum quoddam & diſtinctum Prophetarum genus conſtituiſſe. 6. Si etiam ab ejuſmodi Prophetis publicè fuiſſet aſſertum ex verbis Eſaiæ, Meſſiam habitaturum in Nazareth, & inde illum denomi-

nandum esse Nazarenum, utique non ausi fuissent dicere Christi hostes, *Ioh.* VII. 41. *nunquid è Galilæa veniet Christus?* & Nathanael, *Ioh.* I. 47. *potéstne è Nazareth aliquid boni esse?* Excipit *Osiander*, ab hominibus impiis & avaritiæ ac ambitioni suæ operantibus aperta etiam & clara jam olim negata, hodiéque negari. Sed nequicquam, nec enim verba Prophetarum vel olim à Pharisæis, vel hodie ab ullo Christianorum negata, sed sensus tantùm & consequentiæ, quæ ex verbis Prophetarum nectuntur, ubi errori sæpe velum, & locus fraudi. Si verò apertis verbis à Prophetis illis prædictum fuisset, Christum Nazarenum vocandum, nunquam hostes Christi eò impudentiæ procedere ausi fuissent, ut inde Iesum nostrum non esse Messiam probare satagerent, unde id ipsum per βίαιον facile à quovis potuisset concludi, & in stuporé Authorum retorqueri. Nec verò vel à Nicodemo, vel ab aliis tale quid legimus Magistris illis unquam impactum fuisse.

V. *Rationes Osiandri* petitæ à phrasi Matthæi leves sunt & insufficientes probando instituto. 1ª Matthæum non meminisse certi Prophetæ, sed loqui de pluribus. *Resp.* Id singulari consilio & ratione factum, ut infrà ostendetur, peccatur verò ab *Osiandro Elencho non causæ*, qui falsam illius λέξεως causam substituit pro verâ. 2ª Matthæum non dicere, hoc scriptum esse, sed dictum tantùm. *Resp.* Verba non esse vexanda, sed mentem & stylum sacrorum Scriptorum attendendum, à quibus constat promiscuè adhiberi phrases illas, hoc *dictum* esse, vel hoc *scriptum* esse. Sic suprà *versu* 15. verba Hoseæ, *ex Ægypto vocavi filium meum*, dicuntur dicta non scripta & à Domino & à Prophetâ, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ Κυρίου, & διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος, quæ tamen verba scripta exstant apud Hoseam ut notum. Sic *versu* 17. eodem sensu phrasis illa adhibetur, quando dicit Matthæus, tunc impletum fuisse τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Ἰερεμίου τοῦ προφήτου λέγοντος, quod tamen scriptum exstat expressè, in volumine Prophetico Ieremiæ, ut suprà ostensum. Loca gemina his habentur *Matth.* XIII. 14. 35. XV. 7. & alibi passim. Vide *Matth.* XXI. 4. *Rom.* X. & XI. ubi Prophetæ dicuntur λέγειν vel κράζειν quod tamen scripsêre. 3ª Prophetis ultimis facillimum fuisse prædicere, ex quâ urbe cognomen habiturus esset Christus. A remotione enim aliorum locorum assignatorum domui Davidis illos colligere potuisse, Iesum

Nazarenum vocandum, & quæ ſunt alia id genus. *Reſp.* 1. Supponi gratis, & ſine neceſſitate, ut infrà oſtendetur, tale quid ab ultimo illo Prophetarum genere prædictum fuiſſe. 2. Supponi gratis, neceſſariò Chriſto cognomen hærere debuiſſe ab urbe aliquâ. 3. Supponi gratis, regiam familiam certa oppida incolere debuiſſe, vel Nazareth ex illorum numero eſſe debuiſſe, & pro tali vulgò agnitam fuiſſe. Hæc enim ἄγραφα & precaria. 4. Παρερμηνείᾳ peccari in vaticiniis Michææ & Zachariæ, quaſi egreſſus apud Michæam opponeretur moræ Chriſti in Bethleem, quum notum ſit egreſſum illum tantùm notare nativitatem Chriſti in Bethleem, non diſceſſum è Bethleem. Sic nec ex ingreſſu Chriſti extraordinario in urbem Hieroſolymam ſolidè concludi poterat, Chriſtum non ibi commoraturum. Imò contrarium potius inde colligi potuiſſet, prout Reges & Principes illas urbes ut plurimùm incolere ſolent, ad quas cum apparatu extraordinario accedunt. 5. Chriſtum per נצר ab Eſaiâ deſignatum, certum eſt, an verò inde ſolide concludi potuit à Prophetis illis, vel Nazareth oppidum Chriſtum inter cives ſuos habiturum, vel inde cognomen Chriſto futurum? His expenſis liquebit Lectori plurima gratis in hac interpretatione ſupponi, nec illam ſufficere nodo propoſito diſſolvendo, quanvis appareat, eam pio ſtudio ab Authore propoſitam fuiſſe.

DVBIA LXXXVIII. LXXXIX.

LXXXVIII. An allegatio Matthæi, *Ieſum* vocandum *Nazarenum*, petita fuerit ex libro quidem Prophetico, non amplius tamen exſtante? LXXXIX. An inde ſequatur, vel Scripta quædam Prophetica intercidiſſe, vel Canonem Veteris Teſtamenti eſſe imperfectum?

EXAMEN.

Pontificiorum *quorundam opinio. Origo &*

ſcopus. Libri ſacri qui interverſiè Veteri Teſtamento putantur. Perfectio Scripturæ. An libri quidam ſacri interciderint. Suppoſitiones falſæ Pontificiorum. Aſſertiones contrariæ aliorum. Rationes, nullum librum Canonicum intercidiſſe. Iudæorum *ſcrupuloſa religio circa libros ſacros. Iudicium de* Theſi *&* Hypotheſi. *Diſtinguenda Scripta Prophetarum. Iudicium* Auguſtini. *Teſtimonia allata diſcuſſa.* Orthodoxorum *Theologorum ſuffragia vindicata. Pontificiorum δόξαι ſuper hoc argumento geminæ aſſertionibus Iudaicis.*

I. SVBDISTINXIMVS ἐξήγησιν & vindicias difficillimi illius loci in *Dubia* varia, ne vel diffuſior, vel confuſior redderetur ἐξεργασία, ſi omnia illa, quæ ſuper hoc argumento neceſſariò ad pleniorem eius dilucidationem dicenda, velut *per ſaturam* in unam Diatribam conjicerentur. Perſpicuitati ergo & gratiæ Lectoris ſimul operandum cenſuimus, diſtincta ſingulorum enarratione. Vt verò *Dubio* ſuperiori anatomen propoſuimus diverſarum opinionum ſuper hoc argumento, & *claſsis negativæ* ſententiam *primam* excuſſimus, quæ *Andream Oſiandrum* Authorem habet: ſic hoc *Dubio* ſequente Theologorum quorundam *Pontificiorum* ſententia nobis diſcutienda eſt, qui contendunt cum *Oſiandro* hunc locum ἄγραφον eſſe in ſcriptis Propheticis, ut illationi illi ſit locus, ſcripta quędam ſacra intercidiſſe, & Canonem S. Scripturæ eſſe imperfectum. Id verò illi fini tantùm propoſitum, ut ſternatur *via traditionibus* Romanis, & ἐθελοπερισσοθρησκείαις variis, quæ ab iis contra & citra Scripturam in Religionem Chriſtianam ſunt infartæ. Noſtri inſtituti non eſt in Loci Communis de perfectione S. Scripturæ pertractationem hoc loco excurrere, ſed id tantùm

tantùm agere, ut liqueat Lectori nullum huic illationi Pontificiorum ex hac allegatione Matthæi præsidium esse, subsidium nullum.

II. Certum quidem est, hanc opinionem jam olim Patribus quibusdam placuisse, *Chrysostomo* Homil. IX. in Matthęum & Homil. VII. super prima Epist. ad Corinthios, *Theophylacto* Chrysostomi abbreuiatori, & *Euthymio*, quibus accedunt etiam è nostris Viri Clarissimi, *VVittakerus* & *Musculus*, ille in Elenchticis de S. Scripturâ, iste in Commentario in Matthæum, qui omnes existimarunt aliquos libros sacros intercidisse: *Chrysostomus*, & *Musculus* speciatim volunt, Matthæum his verbis respexisse ad locum aliquem è scriptis Propheticis, non ex eorum numero, quæ hodieque in Canone sacro Veteris Testamenti reperiuntur, sed ex iis, quorum scripta sive temporum infelicitate, sive hostium Evangelij vel incuriâ vel fraude interversa, & Christianis erepta fuêre. In hoc censu à multis locantur è Veteri Testamento, Liber bellorum Domini, Liber justorum, libri Nathanis, Ahię, Semei, Gad, & Addo, quorum in libris Regum mentio, Carmina, parabolæ & aliæ Commentationes Salomonis de quibus mentio in sacris. Quidam à Babyloniis talia jam olim excisa & abolita satagunt, quidam ad Matthæi usque tempora conseruata, intercidisse tamen ab illo tempore, sive barbarorum incursionibus, sive bellorum injuriis, sive aliis Sathanæ & satellitum eius artibus. Hoc ipsum tanquam ἕρμαιον quoddam à Theologis quibusdam Pontificiis avidè arreptum, inter quos *Bellarminus*, & *Petrus Cottonus*, *Gulielmus Balæus*, *Alexander Regourtius*, Iesuitæ Galli, & alii id genus homines δουλεύοντες τῇ ὑποθέσει, quæcunque rima detur traditionibus suis stabiliendis, imperfectioni Canonis sacri probandæ, & omnibus ad Ecclesiæ Romanæ tribunal compingendis.

III. *Opus rupis perfectum* pronuntiat *Moses Deut.* XXXII. 4. nos S. Scripturam opus rupis Israelis, perfectam dicimus, *perfectione* utrâque tum *essentiali*, tum *integrali*, quippe cui à Spiritu S. ea tribuuntur, quæ Operis perfecti sunt, σοφίσαι εἰς σωτηρίαν, reddere hominé Dei ἄρτιον πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένον II. *Tim.* III. 15. 17. ex quâ Paulus omne Dei consilium super salute nostra & hausit & nobis aperuit, quanvis diserte profiteatur nihil à se

extra Mosen & Prophetas vel dictum vel doctum. Imperfectio, & defectus in necessariis vitium est, vel sapientiam Authoris proscribens, vel potentiam, utrumq; in Deum injurium, cujus tum sapientiæ in dictandis necessariis, tum providentiæ in iisdem conservandis detractum eunt, quicunque imperfectionem quam in se agnoscere debebant in sacro Canone querunt, & id illi impingunt, quod in scripto humano & ejus Authore vitiosum. Nos omnia in S. Scriptura proposita, iterata, illustrata, confirmata reperimus, sive quoad τὸ ὅτι & τὸ διότι simul, sive quoad τὸ ὅτι tantùm, quæ necessaria tum dirigendæ *fidei*, tum formandæ *vitæ*, tum instruendæ *theoriæ*, tum commonstrandæ *praxi* Christianæ, nec supra vel præter id quod Scriptum sapere cupimus, nec illos sapere censemus, qui diversum hîc sapiunt, & S. Scripturæ ipsi mendacium imprudentes impactum eunt, dum illam imperfectam pronuntiant, quæ se perfectam docet, & id ei tribuunt, quod illa à se amolitur.

III. Paucis verò nobis dispiciendum tum *de thesi*, an quidam libri Canonici interciderint, tum *de hypothesi*, an ex libro interverso Matthæi allegatio petita fuerit: *Thesin* quod attinet, responderi posset, 1. Ἀρνητικῶς, libros ullos sacros intercidisse, quum illi, qui objiciuntur vel partem eorum quos habemus constituant, vel nunquam libri fuerint, minus sacri & Ecclesiæ commendati. Librum justorum & bellorum catalogos potius fuisse quàm libros docuit jam pridem Eruditissimus *Iunius*. Scripta Prophetarum illorum Nathanis, Gad, Ahiæ &c. partem librorum Samuelis & Regum facere & Iudęi docent, & Patres quidam notant, & inter Pōtificios magni nominis Viri, *Sixtus Senensis, Paulus Burgensis, Ludovicus de Tenâ* Episcopus Hispanus, *Gaspar Sanctius*, aliique Viri graves fatentur. Codices sacros in excidio Hierosolymitano prorsus intercidisse, commentum est, non veritas. Salomonis physica & ethica vel scripta fuisse omnia, vel sacra, nec Scriptura docet, nec authoritas probata. II. Responderi potest συγχωρητικῶς, cōcesso etiam, libros quosdā sacros ab Authoribus sacris scriptos periisse, tria supponūtur ab Adversariis, singula gratis & sine fundamento. 1° Volumina illa Canonica unquam fuisse, vel in Canonem relata. 2°. Eandem rationē esse librorum & dogmatum necessariorum: Libris quibusdā interversis interversa esse dogmata necessaria ad salu-

tem

tem quasi eadem diversis locis vel non exprimi potuerint, vel nō expressa fuerinr. Τὰ αὐτὰ sæpe scripta docet Paulus *Phil.* III. I. 3°. In libris interversis illas exstitisse traditiones, quas Ecclesia Romana sequitur, & commendat. Quibus fidiculis id expressum ibūt Theologi Romanēses? Libros verò Canonicos intercidisse, negarūt jam olim *Origenes* & *Augustinus*, negant è Pōtificiis multi, v.g. *Salmero* Tomo I. Prolegomeno L. Can. IV. & sex quidē rationibus adiectis, ubi & Epistolā ad Laodicenses explodit, negat *Stapletonus* rigidissimus cæteroquin illorum assertor quæ ad rem Romanā faciunt, libro II. de Author. Script. cap. I. negat *Cornelius Iansenius*, in Harmon. Evang. negant alii. Nec admittit *ratio*, sive illū respiciamus *qui* Scripturam *dedit*, sive illos *quibus data*, sive id *quod datum*, sive finē *cur datum*. Et sanè si Canonici libri interciderint 1. quid fiet tum sapientiæ, tum potentiæ, tum bonitati Dei, si ille tanti pretij thesaurum Ecclesiæ suæ ostensum quidem, sed subductum voluit, & corpus Scripturæ lacerum & truncum & bona sui parte mutilum hodiéque exstare? 2. Quid de Ecclesiæ Veteris, cui data Scriptura, fide & curâ dicemus, quarum vel alterutra vel utraque hîc rea peragenda? 3. Cui ignorata non scrupulosa tantùm sed & superstitiosa prorsus Iudæorum anxietas non in libris tantùm sed & in apicibus librorum sacrorum numerandis, conferendis, custodiendis? Vnde meritò Christianorum *capsarij* dicti Augustino, & tantùm abest ut volumē sacrum integrum interversum voluerint, ut contrà profiteantur totum mundum ruiturum in תוהו ובוהו antiquum, si vel una vox in Scripturâ mutetur. An ulli stupenda diligentia Masoretarum in conferendis & putandis apicibus nota, cui persuaderi possit libros integros exscindi potuisse & interverti? 4. Cur data Scriptura nisi ut Canon esset fidei & vitæ? an Canoni demi potest quin desinat esse Canon, & nomen illud amittat, & rem nomine designatam? Notum omnibus, Canonem esse μέτρον ἀδιάψευστον πάντων πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον, & truncum ac mutilum Canonem non esse Canonem, sed oppositum in apposito. 5. An ante Servatoris adventum libri illi interversi, vel post? si ante, cur tanta jactura Christo vel indicta, vel dissimulata, qui minora non prætermittit? cur altum de tali dispendio apud Evangelistas & Apostolos silentium? cur Apostolus inter ἱερο-

χαὶ Iudæorum nominat, ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, cur non ſimul vel inter ἀδικήματα vel inter ἀτυχήματα ſaltem Iudæorum, quod λόγια illa ex parte interverſa? Si poſt Servatoris adventum librorum illorum ſtrages facta, an à Iudæis & Chriſtianis conſpiratum ad hoc facinus? atqui nota capitalia Iudæorum in Chriſtianos odia, & ſummum ſemper inter utroſque ut religionis, ſic animorum divortium. Si à Iudæis, cur id paſſi Chriſtiani? vel quî diffuſa toto orbe volumina ab unâ gente, & gente diſperſâ & gente tenaciſſimâ litteræ verbi divini, interverti potuêre & exſcindi? ſi à Chriſtianis, cur id diſſimulatũ Iudæis? cur non impactum Chriſtianis? cur Codex noſter cum illorum Codice intra eaſdem lineas? 6. An ab illis hoc flagitium tentatum, qui volumina illa divina credidêre, an verò ab iis qui illa credidêre humana? Si à priori hominum genere, an credibile tales voluiſſe θεομαχεῖν, & cui bono? quo fine id tentatum fuiſſet, vel factum? ſi à poſteriori, cui bono denuò in illis exſcindendis opera poſita? An ignotus Chriſtianorum Veterum in Codicibus ſacris conſervandis ardor, convitium factum *Traditoribus*, decretæ in illos pœnæ? Si libri illi dicantur excisi à gentibus, nec Iudæi id paſſi fuiſſent olim, nec Chriſtiani à Chriſto exhibito. Sin verò tempore excidii Babylonici intercidiſſe dicantur, id, ut dictum, gratis affirmatur, nec id vel Scriptura docet, vel recta ratio admittit, quum Codices ſacri paſſim in populi manibus exſtarent, & vitâ ipsâ pretioſiores eſſent Iudæis, & vix homini ſano perſuaderi poſſit, Ezechielem, Ieremiam, Danielem & alios Viros ſanctos Codicibus ſacris deſtitutos vixiſſe. Cur non inde reſtituti, vel cur non æquè ab Eſdrâ reſtituti fuêre ac alii? Imò ſi id detur, quod non abſurdum tantũ, ſed & falſum, eo ipſo quo diverſimodè circa ſcripta illa cuſtodienda ſe divina providentia habuit, ſupponitur, non probatur, ejuſdem generis & dignitatis illa fuiſſe quę interiêre cum iis quæ conſervata vel reſtituta dicuntur. 8. An à Iudæis plures unquam libri Canonici Veteris Teſtamenti agniti? an à Targumiſtis expreſſi? an à LXX. Interpretibus verſi? an à ſacris Novi Teſtamenti Scriptoribus citati? 9. Quî factum etiam, quod libri Hiſtorici potius exciſi fuerint quàm *Dogmatici*? cur in illos potiſſimùm rabies hoſtium exarſit qui minus neceſſarij Eccleſiæ, minus apti ad gentilium idololatriam & Iudæorum ſuperſtitio-

ſtitionem & peruicaciam expugnandam? Cur illa nobis relicta, quæ jugulum & vitalia petunt cauſæ utrorumque? 10. An omnia etiam à Prophetis dicta vel ſcripta, divina, authentica? Sic & Epiſtola Davidis ad Ioabum ſuper Vriæ cæde divina erit, ſic reſponſum præcipitatum Nathanis ſuper templi conſtructione, ſic Samuelis in diſcernendo Rege inter filios Iſai hallucinatio. Sic alia id genus, quæ in ſacris reperiuntur. Aliud ſanè Prophetas hoc vel illud ſcripſiſſe, aliud, ſcripſiſſe ut Prophetas. *Auguſtinus* egregiè & appoſitè rem totam paucis edisſerit lib. XVIII. de Civit. Dei cap. XXXVIII. ubi diſtinguit inter illa quæ à Prophetis ut ab hominibus *hiſtoricâ diligentiâ* ſcripta, & ea quæ à Prophetis ut à talibus *divinâ inſpiratione* ſcribi potuêre, inter ſcripta *quæ illis*, & inter ſcripta *quæ Deo* tribuenda, inter ſcripta pertinentia *ad ubertatem cognitionis*, & ea quæ pertinent *ad authoritatem Religionis*, in qua authoritate demum Canonem cuſtodiri ait. Et ſanè prout illa quæ à Iudice dicuntur, interdum ab eo dicuntur quà Sempronius eſt, interdum quà Iudex eſt, & dicit ſententiam è tribunali quorum iſta vim habent, illa non item: ſic à Tabellione ſcripta diverſi generis ſunt, quædam privata, quædam publica, quædam publicam fidem merentur, quædam non item, quędam à iurato coram teſtibus, & ſecundùm formulas, quędam ab injurato & privato & ſine formulis ſcribuntur, quæ ob id haudquaquam inſtrumenta publica & authentica eſſe cenſemus: Sic nec omnia quæ à Prophetis vel aliis Sanctis Dei viris ſcripta Canonica cenſenda, & vel authoritatis indubiæ, vel neceſſitatis in directione Eccleſiæ.

III. *Hypotheſin* noſtram quod attinet, quæritur, an ex libro quodam ſacro qui interciderit allegatio Matthæi petita fuerit? Si hoc affirment Pontificii, 1. Contradicunt multis ex ſuo ſodalitio, & magni quidem nominis Theologis, qui denominationem illam Nazareni de quâ Matthæus, è ſcriptis Propheticis hodieque exſtantibus eruunt, inter quos *Salmero*, *Ianſenius*, *Maldonatus*, *Lucas Brugenſis*, alii 2. Id gratis affirmant, & ſine probatione, unde id illis conſtat, unde id Iudæis, unde ſibi, unde nobis perſuadebunt? Annon eâdem facilitate id negari poteſt ac affirmari? Recurrent-ne ad traditiones ſuas? atqui nulla talis exſtat, atqui nihil ſuper eâ re ab Eccleſia defi-

nitum, atqui traditionum fundus precarius, imò proscriptus diu à nostris, nec quicquã è Scripturæ verbis pro traditionibus Romanis dici potest, quod non à quibusvis Hæreticis in rem suam eâdem ratione verti possit, argumento affirmativè ducto à genere ad speciem, sed illatione vitiosa. 3. Adde, ejusmodi libros ex quibus allegatio Matthæi petita censetur, vel exstitisse tempore Matthæi, vel ante ipsius ætatem desiisse. *Si prius*, cur hic titulus Messiæ ignoratur à Scribis & Pharisæis? cur Christus per contemptum vocatur Nazarenus? cur objicitur Nicodemo à Synedrio è Galilæa Prophetam non surrecturum? Sin improbitas hominum illorum menti tenebras offudit, cur à Nathanaele homine ἀδόλῳ id non observatum? cur character Christi ab eo versus in argumentum dubitandi de Christo? *Si posterius*, & jam ante tempora Matthęi interversi fuêre libri sacri, cur Matthæus utitur testimonio, quod ἄγραφον, quod ἄδηλον, quod vel nullius vel exigui saltem ponderis, præsertim apud homines qui quærebant quod cavillarentur? annon summi stuporis & ἀκρισίας extremæ fuisset, Matthæum se objicere citatione non necessariâ criminationibus hostium, & Evangelium suum à limine proscribere coram hominibus nefariis, qui avidissimè vestigabant rimas omnes, per quas in Dominum & discipulos ejus invaderent? 4. Et sanè libri eiusmodi fingi nequeunt, quin la·us prębeatur Iudęis hodieque criminandi, scripta hypobolimæa supponi, Matthæi fidem nonnisi mendacio liberari, falsariam manum admoveri Dei verbo, & illi Codici addi, cui nihil addi sine contemptu Authoris & anathematum ejus potest. 5. *Chrysostomo* & ὁμοψήφοις opponimus *Origenem*, *Augustinum*, & Patres alios, qui hîc in alia omnia ivêre, nec vel providentiæ divinæ, vel Ecclesiæ honori, vel nostræ fidei consultum judicarunt admittere, libros aliquos & Canonicos & pro talibus Ecclesiæ datos intercidisse. Imò Chrysostomo opponimus Chrysostomum ipsum, qui quędam scripta profitetur, ut in superioribus à nobis ostensum, μὴ διὰ τῶν ῥημάτων, ἀλλὰ δι' αὐτῶν τῶν πραγμάτων, quomodo proclive nobis allegationem Matthæi è scriptis Propheticis eruere. Imò cum fundamentum *Chrysostomi* quo fultus de librorum quorundam sacrorum strage pronuntiavit, à nobis subrutum fuerit, & in Diatribis sequentibus sit subruendum, omnia illi fundamento superstructa eâ-

dem

dem operâ evertuntur. 6. *VVittakeri* & *Musculi* suffragia quod attinet, & si qui sunt alii ex nostris, qui in hanc sententiam pedibus eunt, quale quid etiam *Calvinus* innuit Commentario in Harmoniam Evangelicam, videri Deum aliquâ Scripturæ parte orbasse veterem populum, ut ejus ignaviam puniret, certum, ab illis distinctos fuisse libros sacros & Canonicos, necessarios & non necessarios Ecclesiæ, dogmatum item & librorum jacturam. Certum etiam eosdem, non obstante istâ opinione, perfectionem S. Scripturæ, plenitudinem doctrinæ & fidei ex eâ, & *ἀσφάλειαν* Ecclesiæ in eâ solâ populo proponendâ, & *traditionibus* aliis *dogmaticis* in religionis negotio proscribendis docuisse, probasse, & à consectariis quę ex illâ opinione duci solent à Pontificiis, vindicasse. 7. *Authoritates* cæteroquin humanas non moramur, ubi Scriptura præit, & recta secundùm eam ratio. *Bellarmini* assertiones in specie super hoc etiam argumento confutatæ habentur jam pridem à Viris Doctissimis, ut notum omnibus, *Iunio, Danæo, Kimedontio, Chamierio, Tileno, Amesio*, aliis, *Balæus* castigatus à *Riveto, Cottonus* à *Turretino, Regourtius* à *Mestrezato* Viris Clarissimis. Vnde non est quod actum hîc agamus. Concludimus itaque non libros Canonicos Scripturæ, sed fidem, candorem & reverentiam erga sacras litteras deesse illis, qui vel *thesin* illam tuentur, vel *hypothesin*, vel ex hypothesi thesin eliciunt & probant, & imperitis allegatione illâ Matthæi imperfectionem S. Canonis persuadere conantur, quam scriptam hodieque exstare ostendetur in sequentibus. De Novi Testamenti libris, qui intercidisse ab Adversariis supponuntur, hîc loqui nihil attinet, qui extra sphæram argumenti de quo agimus hoc loco. Hoc verò observandum, traditionum distinctiones, & fundamenta pleraque, quæ à Pontificiis iis substernuntur, è Iudęorum Cabbalâ petita esse, apud quos appendices similes verbo Dei astruuntur, lex in scriptam & non scriptam distinguitur, lex ore tradita supra scriptam sæpe evehitur, istius ex illa expositio petitur, & variæ ἐθελοπερισσοθρησκεῖαι hoc uno tibicine fulciuntur, quod non eruditis tantùm notum, sed & iis qui res Iudaicas vel à limine prospexêre.

DVBIA XC. XCI. XCII.

XC. An denominatio *Nazareni*, de quâ Matthæus, petenda è locis Propheticis, in quibus Christus vocatur נצר & צמח, *surculus* & *germen?* XCI. Cur Christus vocatus fuerit נצר, & צמח? XCII. Quæ sit origo quæ significatio nominis γεννησαρὲτ *Matth.* XIV. 34?

EXAMEN.

Sententia *affirmativa* duplex. Ἔκθεσις prioris. *Sedes huius allegationis. Eius* confirmatio. I. Authoritates. II. Rationes. *Cur Christus dictus Nazarenus. Quæ causa moræ Christi in Nazareth: Quæ scriptio vocis apud Iudæos, quæ derivata. Omnia de Christo prædicta.* Ὑπομνήξεις *Propheticæ. Iudicium* Authoris. *Rationes dubitandi de origine huius allegationis. Exceptiones variæ. Illarum examen. Primitiva pro derivativis apud Hebræos. Quæ Scriptio vocis Nazareth attendenda.* Ἀνασκευὴ *firmamentorum illius opinionis. Cur Christus vocatus* נצר & צמח. *An vox* נצר *soli Messiæ tributa. De scriptione tituli crucis Christi Romæ asservati diversæ* Pagnini & Cornelii à Lapide *relationes. Causa scriptionis Iudaicæ vocis Nazareth per Tsade. Origo & interpretatio multiplex vocis* γεννησαρὲτ.

Salme-

Salmeronis *observatio de B. Virgine excussa. An illa præservata à peccato Originis. Quæ laudes ei debitæ, quæ non item.* Ἀποθεώσεις *paganæ restitutæ in Ecclesiâ Romanâ.*

I. DISTINXIMVS in superioribus *duplicem* Interpretum *classem, negativam* unam, *affirmativam* alteram, super argumento de quo agimus. Quidam enim negant denominationem illam Nazareni Christo à Matthæo tributam scriptam exstare, affirmant alij. De *priori Interpretum genere* actum à nobis hactenus. Sequitur ut de illorum sententiâ dispiciamus, qui titulum illum in Scriptura quærunt, & ex eâ eruunt. Ab his etiam in diversa itur, *quidam* enim Nazareni nomen ducunt à nomine נצר & synonymo ejus צמח, quod à Prophetis Christo tribuitur: *alij* à titulo & instituto *Naziræorum* veterum, de utroque ad plenam hujus loci dilucidationem disquirendum.

II. Primæ opinionis illius consideranda 1. Ἔκθεσις. 2. Κατασκευή. 3. Ἐπίκρισις. Ἔκθεσις est Matthæum respicere ad diversa Prophetarum loca, quibus Christus vocatur נצר *surculus. Ies.* XI.1. *Egredietur virga de semine Isai, &* נצר *surculus de radicibus eius.* Priori designatam Christi originem è Bethleem, posteriori habitationem & educationem ejus in Nazareth. Sic *Ies.* LX.21. *Populares tui quotquot erunt iusti in seculum jure hæreditario possidebunt terram, ut surculus plantarum eius opere manuum mearum glorietur.* Addunt qui in hac sententia sunt, hac ipsâ de causâ Christum vocatum צמח *ut Zach.* VI. 12. & promitti, germen illud germinaturum è loco suo, videlicet ex urbe Nazareth, ubi sit germinaturus h.e. educandus. *Ecce vir* germen *nomen eius, & de loco suo germinabit, & ædificabit templum Iehovæ. Ipse exstruet templum Iehovæ, & reportabit gloriam, sedebitque ac dominabitur in solio suo, erit quoque Sacerdos in solio suo, & consilium pacis erit inter utrumque.* Comparationem itaque jam olim subindicatam inter germen efflorescens è surculo suo, & Christum prodeuntem ex oppido Nazareth, inter ædificationem tem-

pli prædictam à Prophetâ, & eandem re & opere præstitam à Christo. Σύγκρισιν in illo ipso convenientissimam dari, quum Christus tunc ad prædicandum Evangelium prodierit, quando prodiit è Nazareth. Nomen ipsum Nazareth etiam derivatum à נצר, *surculo,* sed tali, cui custodia circundata, qui ob teneritudinem suam munimento opus habet, ne conculcetur, vel à feris obteratur. Vrbem illam etiam sic dictam quasi locum surculosum, frutetis & virgultis consitum, vel urbem custoditam, munitam, vel urbem floridam. Prophetas itaque in Spiritu Christum sæpe vocasse *antonomastice*, & κατ' ἐξαίρετον נצר, ut innuerent illum habitaturum in Nazareth, inde proditurum, & ob id à Iudæis vocandum Nazarenum. Huc itaque interpretatio illa redit, ideò concessisse divinâ providentiâ Iosephum cum Christo in Nazareth, ut implerentur vaticinia Prophetarum, quibus Messiæ nomen נצר, unde denominatio oppidi Nazareth, jam antiquitus tributum, ut & cognatum nomen צמח, & sic probaretur etiam è loco educationis, qui Messiæ à Prophetis tribuitur, Iesum Nazarenum esse verum Messiam, sive τὸ ἵνα sumatur αἰτιολογικῶς, sive sumatur ἐκβατικῶς apud Matthæum, sive Iosephus eò divino impulsu concesserit, ut hoc fieret, sive eò concedendo id factum fuerit.

III. Κατασκευὴν vel confirmationem hujus sententiæ quod attinet, commendatur illa I. argumento *inartificiali*, & *assumpto.* II. Argumentis *artificialibus. Inartificiali* à loco Testimonij, à numero & pondere Eximiorum & magni nominis Interpretum quà veterum quà recentiorum qui in hanc sententiam pedibus eunt, inter quos è veteribus potissimùm *Hieronymus*, qui & in cap.XI. *Esa.*& in Epistola ad Pammachium de optimo genere interpretandi hanc sententiam omnibus aliis præferre videtur. *Illud*, inquit ad cap.XI. Esa.I. *quod in Evangelio Matthæi omnes quærunt Ecclesiastici, & non inveniunt ubi scriptum sit, & Nazarenus vocabitur, eruditi Hebræi de hoc loco assumptũ putant.* Et sanè Interpres Chaldæus istic loci & alibi sępè ubi occurrunt voces נצר & צמח Messiam designari disertè profitetur. Reperiuntur illæ *Iesa.*IV.2. XI.I. LIII.2. *Ier.*XXIII.5. XXXIII.15. *Zach.*III.8.& VI.12. Sic LXX. Interpretes vocem צמח interpretãtur ἀνατολὴν *Ier.*XXIII.5. capite verò XXXIII.15. βλαστόν.

Sic

Sic *Zach.* III.8. VI.12. צמח redditur per *ἀνατολὴ*, quò allusum *Luc.*I. 78. ubi dicitur Oriens nos invisisse ex alto. Inter Interpretes recentes plerique quorum nomen & fama ingens inter suos in hanc sententiam etiam concedunt, è quibus inter Pontificios *Salmero*, *Iansenius*, *Maldonatus*, *Lucas Brugensis*, *Emanuel Sa*, *Barradas*, *Baronius*, aliique, quorum postremus ad annum Christi LXVIII. antithesin eo nomine pluribus instituit inter florem hunc & Florum præfectum Romanum, & inter acta utriusque, quanvis parum pro dignitate Annalium. E nostris in hac sententia sunt Celeberrimi Viri, *Tremellius*, *Aretius*, *Pareus*, *Piscator*, *Polanus*, *Casaubonus*, *Martinius*, *Schindlerus*, *Ludovicus de Dieu*, & vel inprimis *Franciscus Iunius*, qui in parallelis suis parallelo VIII. acutissimè pro more suo hanc sententiam & proponit & pluribus exequitur.

IV. Argumenta *artificialia* quod attinet ducta *è natura* sive *subiecti*, sive *prædicati*, hæc potissimùm sunt. I. Extra controversiam esse Christum vocatum נצר in sacris litteris, & sæpius quidem nomine convenientissimo, verisimile ergo esse, id nomen debuisse hærere Christo in Novo Testamento, æquè ac nomina *Davidis*, *servi Iehovæ*, *germinis*, *salutaris*, *lucis*, & quæ sunt alia id genus, ut ostenderetur illum esse verum surculum domus David. Id verò factum convenientissimè denominatione illâ Nazareni, quæ Christo ob habitationem in oppido Nazareth tributa fuit. Divino itaque instinctu Iosephum hunc habitãdi locum sibi delegisse, quò Christus ab educationis suæ loco hoc nomen traheret, & qui pro vero נצר non agnosceretur, נצר tamen vocaretur ab hostibus suis, quanvis illorum ingratiis, & illis omnia alia cogitantibus. Imò id divinâ providentiâ sic administratum, ut sub hoc ipso nomine Nazareni, velut abjecto & despicabili lateret tutius, & Romanorum tyrannidem simul ac furorem Iudæorum declinaret. II. Idem probari videtur ex scriptione urbis Nazareth, quæ ubique per צ Tsade scripta reperitur, non per ז Zajin נצרת unde Christus נצרי. Eandem scriptionem observant etiam *Syrus* & *Arabs*. Sic apud Iudæos constans illa scriptio. Et *Pagninus* testatur in inscriptione affixâ cruci Christi quæ Romæ asservatur, Christum vocatum הנצרי cum Tsade. Imò apud Iudæos ipsa Nazareth quãdoque dicta נצר. Sic *David de Pomis* Lexicographus Iudęus

נצרי מי שנולד בעיר נצר הגליל רחוק מירושלים דרך שלשת ימים: Nazaræus h.e. *qui natus eſt in Netzer Galilææ remotâ Hieroſolymis itinere trium dierum.* Certum itaque eſſe, Nazareth urbem ſic dictam à voce נצר quaſi locum frutetis conſitum, hinc Meſſiam dictum נצרי *Nazarenum* velut *ſurculeum*, vel *ſurcularium*. Sic Chriſtianos vocari נצרים & נצריים item אומה הנצרית *nationem Nazarenam* διασυρτικῶς. Deum ergo ſingulari conſilio voluiſſe Ioſephum ejuſmodi urbem incolere, cui nomen à voce נצר, ut Chriſto ibidem in ejus contubernio & tutelâ agenti hæreret nomen idem, & ſic veritas reſponderet prædictionibus veteribus. III. Conveniens etiam fuiſſe, ut quemadmodum Chriſtus à gente, matre, tempore & loco nativitatis, conditione, doctrina, actionibus & paſſionibus, perſona ſimul & officio à Prophetis deſcriptus fuit, ſic etiam à loco habitationis deſcriberetur. Et ut illa omnia ænigmaticè vel allegoricè, vel typicè à Prophetis prædicta, ſic & hanc denominationem eodem ſtylo à Prophetis expreſſam fuiſſe, quæ Chriſto hæſit à loco, ubi maximam vitæ ſuæ partem tranſegit. Sic probat *Iunius* prolixè, omnia quæ in perſonis ſpectantur, genus, genituram, nationem, ſexum, educationem, habitum, animi conſtitutionem, conditionem, bona, converſationem, ſtudia, res geſtas, nomen, mortem, & ſi quę ſunt alia hujuſmodi de Chriſto ænigmaticè, allegoricè, vel typicè à Prophetis pro decoro & temporum conditione enunciata, *Eſa.* XI. I. *Gen.* XLIX. 10. *Eſa.* VII. *Eſa.* LIII. & aliis id genus locis. Eodem itaque modo educationis locum à Prophetâ jam olim ſubindicatum per ὑπαίνιγμα vel ὑπαίνιξιν, conſiſtentem non in totius ſententiæ, ſed in vocis tantùm unius tranſlatione. Idem à Zachariâ συνωνύμως expreſſum *cap.* VI. 12. per vocem צמח. IV. Addi poteſt & iſtud huic opinioni firmandæ, vel clarè, vel obſcurè, vel propriè, vel figuratè, vel αὐτολεξεὶ, vel κατ᾽ ἰσοδυναμίαν denominationem illam Meſſiæ apud Prophetas reperiri, non clarè, propriè & αὐτολεξεὶ, ut notum, ergo obſcurè, figuratè & κατ᾽ ἰσοδυναμίαν. Si hoc, nihil magis accedere videtur ad hanc nomenclationem nomine נצר. V. Adduntalij, non abſque causâ Chriſtum ita frequenter verſatum circa lacum *Genezareth*, h.e. circa *vallem ſurculorum*, ut eo ipſo oſtenderet ſe eſſe verum germen illud & ſurculum jam olim à Prophe-

Prophetis ἐξόχως hoc nomine designatum. Hinc Christum non in urbe Hierosolymâ, sed in oppido surculorum & circa stagnum vel lacum surculorum adeò crebrò hæsisse.

V. Si *quæratur* de causa, cur Christus adeò frequenter vocetur à Prophetis נֵצֶר & צֶמַח ejus rei prima causa est Dei sapientia & voluntas, quæ pro summa ratione esse debet, tametsi aliæ nobis occultæ forent & impervestigabiles. Accedunt tamen & aliæ multæ non contemnendæ. 1. Sic designata Christi nativitas terrena, quod instar surculi è terra proditurus esset, & è trunco velut succiso & omni ramorum, viroris, & florum gloriâ destituto. 2. Sic tenera & abiecta Christi conditio præfigurata, & *forma* illa *servi* quam ad tempus induit. 3. Sic viror, flos, odor, fructus suavis tum doctrinæ tum vitæ Christi indicata, נֵצֶר enim vertunt LXX. ἄνθος, *Symmachus, Aquila, Theodotio* surculum, צֶמַח LXX. βλαστὸν, ἄνθος, ἀνατολὼ promiscuè. 4. Sic regia Christi dignitas per ὑπαίνιξιν subindicata, quæ alibi exprimitur per שבט 5. Sic ostensum, illum esse & הנצור & הנוצר tum *passivè* tum *activè* & custoditum, & custodem, *custoditum*, videlicet singulari ratione à Deo, quum natura divina in eo habitatura esset σωματικῶς: *custodem*, quia idem custos *activè* esse debebat singulari ratione suorũ, quod nomen illi tribuitur *Iob.* VII. 20. *Psal.* CXXI. 4. & alibi. 6. Sic vita illius, sic virtus, sic succus vitalis & alia id genus quæ in surculo reperiuntur designata. 7. Sic indicata insitio & inoculatio fidelium in hoc surculo, qui ei per vim Spiritus & per veram fidem velut complantati & inoculati reperiuntur, & ex eo velut germina è surculo efflorescunt. Hæc & gemina his alia observari possunt & extendi super hac nomenclatione Messiæ. Id etiam observandum docet *Iunius*, vocem נצר nusquam apud Prophetas Hebraicè loquentes nisi duobus locis legi, & utrobique ad Christum tantummodò referri. Si objiciatur, idem nomen *Esa.* XIV. 19. de Rege Babyloniæ etiam dici, respondet *Iunius*, Prophetam ibi Chaldaissare μιμητικῶς, prout & singulis fermè versibus ejusdem capitis Chaldæas voces interspergit. Hoc ergo nomen velut sacrum Christo & peculiare fuisse illius sententiâ videtur.

VI. Si jam judicium ferendum sit de hac opinione, quum

illa & magnos Authores habeat, & rationibus probabilibus ſubnixa ſit, & conſtet Chriſtum per voces נצר & צמח jam olim à Scriptoribus ſacris deſignatum fuiſſe, ſuum illa pondus & momentum habere poteſt. Quædam tamen intercedunt, quominus illi planè ſubſcribendum cenſeam, & quominus apud me ſtatuere poſſim, hoc unum tantùm allegatione illâ ſpectatum fuiſſe à Matthæo. Non attingo, quod levius, de pluribus Prophetis Matthæum loqui, non de uno Eſaiâ, qui ſolus vocem illam נצר ad Meſſiam refert, nec eandem omnino rationem eſſe vocis צמח, alia me magis movent. I. Vix video, quomodo hac expoſitione vel fides vel allegatio Matthæi ſatis liberari poſſit, & vindicari à cavillis Iudaicis. Quanvis enim fateri cogantur Iudæi per נצר deſignatum fuiſſe olim Meſſiam ab Eſaiâ, per צמח à Zachariâ, quærent tamen, ubi Chriſtus fuerit dictus Ναζωραῖος, quod nomen à Prophetis Chriſto impoſitum diſertè refert Matthæus. II. Vix videtur eadem eſſe ratio nominis primitivi & derivati, appellativi & proprii, vel ſubſtãtivi & adjectivi, נצר verò primitivum eſt, appellativum, & ſubſtantivum: Ναζωραῖος apud Matthæum nomen derivatũ, ſive appellativum dicatur, ſiue Chriſto proprium. Nec qui נצר eſſe debuit ob id debuit vocari Ναζωραῖος. Conſequentia hîc vacillare videtur, & convelli poſſe, ſi hac ſola expoſitione ſtetur. *Excipit Iunius* Vir Eruditiſſimus, primitiva apud Hebræos ſæpe pro ſuis derivatis accipi, ut nomine Iſraelis & Iacobi & Iacobum deſignari & poſteros ejus, Heberi nomine & Heberum, & Hebræos, Canaan is, & Chami filium & poſteritatem ejus, Sidonis & urbem & incolas ejus, ſic & vocem נצר tum pro oppido Nazareth, tum pro Nazareno accipi poſſe. *Reſp.* I. Admitti *Elenchum parium*, illa enim conferuntur ut paria, quæ talia non ſunt, ex propriis nominibus patronymica & gentilitia fieri ab Hebræis, certum, an verò נצר nomen proprium qualia ſunt nomina Iſraelis, Iacobi, Heberi, Canaanis? 2. Sidonis exemplum propius ad rem accedit, ſed & illud nomen proprium, non appellativum, quale nomen נצר, quod primò ſurculum, ſecundariò demum urbem ſurculis conſitam ſignificare dicitur, ſed ſine fundamento certo in Scripturâ. 3. Adde, ſolenne quidem eſſe apud Græcos & Latinos urbium nomina pro incolis promiſcuè accipi, pro uno verò individuo, non

item.

item. Nec Sidon pro Sidonio, nec Roma pro cive Romano usquam reperietur. Etiamsi itaque per Nazareth Nazarethani promiscuè intelligi dicantur, per Nazareth tamen hominem unum vel è Nazareth oriundum, vel eandem urbem incolentem designari, novum & insolitum. III. Adde, non respiciendam esse scriptiònem vocis Nazareth, & Nazareni, qualis occurrit apud Iudæos, vel Interpretes alios inferioris ordinis, sed scriptionem quam Evangelista & scriptores alij sacri *αὐτπόδηνοι* habent, qui cum per ζῆτα Græcorum nomen utrumque scribant respondens τῷ Zajin Hebræorum, parum credibile illos respexisse ad נצר Hebræorum, vel oppidi illius nomen inde derivasse, cùm littera Tsade non exprimatur per ζ Græcorū, ubicunque verò occurrit nomen vel vrbis vel incolæ, legitur constanter *ναζαρὲθ, ναζωραῖος, ναζαρηνός.* Parum firma etiam ratio, quam nonnemo urget, nomen Nazareth duci à nomine Chazor quod occurrit *Ios.* XIX. 37. & En-chazor inde formatas voces Nazor, & Nazareth. Nam 1. hoc ipsum conjectura mera est, non ratio. 2. Sic cadit derivatio Vrbis Nazareth à Netzer, quæ tamen fundamentum est hujus opinionis. 3. Semper restat materia ambigendi, cur Novi Testamenti Scriptores Ναζαρὲθ & Ναζωραῖος scribant, non Νατσαρὲθ & Νατσωραῖος, vel per εὐφωνίαν, Νασσαρὲθ, Νασσωραῖος. Excipit *Iunius*, quum Iudæi Nazaræos appellaverint *Notzerim*, sive *Notzeriim*, Syri item & Arabes nomina cognata habeant ab oppido quod Syrè Notzerath, vel Natzerath vulgò vocetur, Græcos Evangelistas semper distinctionis ergo Ναζωραῖος scripsisse & Ναζαρηνός, litteramque Tsade quia stridula sit, suo more per simplex zeta expressisse. Sed opponimus, 1. Ante Evangelium scriptum nondum Christianis id nomen per contemptum impactum fuisse. 2. Interpretes *Syrus* & *Arabs* ἀλλότριοι sunt, non αὐτόπται, ὑποδῆνοι, non αὐτπόδηνοι, metaphrastæ vel interpretes Evangelistarum, non Evangelistæ, quorum scriptio attendenda. 3. Per βίαιον, eo ipso quo & Iudæi & Syri & Arabes Nazareth & Nazarenos per Tsade scribunt, utique idem observatum fuisset ab Evangelistis, si eò respexissent, vel illam illi Vrbi denominationem à voce נצר hæsisse judicassent. 4. Evangelistas Tzade Hebræorum per ζῆτα simplex exprimere consuevisse supponitur non probatur, nec ab

Evangeliſtis litteræ ſtridulę omittuntur, vel illi ita anxiè delicatis auribus conſultum voluêre. Res illis ſpectata, non verba, non ſonus, ſed ratio. An illi ob duritiem pronuntiationis refugêre vocem Βηθσαϊδὰ? Cur crudior vox Ναтσαρὲθ, vel Νασαρὲθ, vel Νασαρὲθ? prout in voce *Melchiſedeci* Apoſtolus ſequutus verſionem LXX. Tzade Hebræorum expreſſit per σ ſimplex. *Inſt.* Non exſtare in Veteri Teſtamento nomen oppidi Nazareth, ſive ob obſcuritatem loci, ſive ob aliam nomenclationem, ſive ob recentiorem ejus conſtructionem, incertum ergo quomodo ſit efferendum. *Reſp.* 1. Eo ipſo quo incertum, non urgenda derivatio à נצר tanquam certa & indubia. 2. Satis, id ipſum nomen cum derivatis expreſſum legatur apud Scriptores αὐτοπίσοις, quorum ſcriptioni nobis hęrendum potius quàm conjecturis.

VII. Ανασκευὴν quod attinet rationum oppoſitarum, *Hieronymus* hanc quidem originem adducit, ſed & ei conjungit aliam, de quâ diſpiciemus in ſequentibus. *Author Operis imperfecti* nec hoc ſtatuit, & ſi ſtatueret, tãti non eſt, qui nobis diſſentiendi libertatem adimere debeat. *Chaldæus Paraphraſtes* Meſſiam per נצר & צמח deſignari putat, & nos cum illo, ſed conſequentiæ & illationis ratio vacillat, an ob id Chriſtus Ναζωραῖος dictus fuerit à Matthæo. Interpretum Doctiſſimorum recentiorum judicia meritò in pretio, & ſuum pondus apud Lectorem attentum habere poſſunt, qui ſingulari cura eximia multa hîc tradidêre, *Iunius* pręcipuè qui prolixiùs, & penitiùs aliis hoc argumentũ excuſſit, cujus acumen ſummum, & Diatribe erudita ſuper hoc loco. Iudicium tamen & ratio aſſentiendi potiſſimùm è rationibus petenda, quas, quoad fieri potuit, ſuis nervis inſtruximus, non diſſimulatis illis, quę momentum aliquod habere videntur. Fruatur Lector judicio ſuo. 1ª *Ratio* mihi I. Ἐξαγώνιος videtur, extra controverſiam enim Chriſtum per voces נצר & צמח deſignatum, etſi idem nomen ab Eſaiâ Hebraicè ſcribente Regi etiam Babyloniæ tribuatur, quod fatetur *Iunius.* Nec opus, ut dicamus Prophetam ibi Syriſſare vel Chaldaiſſare, non enim ob id minus ſacrum hoc nomen, quanvis aliis quoque tributum legatur, ut nomina *Davidis, ſervi Iehovæ, Regis, Prophetæ, paſtoris, lucis, filij,* & alia id genus, quanvis non Meſſiæ tantùm ſed & aliis quandoque

doque tribuantur, etsi sensu dispari sive quoad *rem*, sive quoad *modum & gradum rei*. Sic applicationi vocis נצר ad Messiam non obstat, quod Daniel eandem vocem ad aliud subjectum applicet cap. XI. 7. quanvis ibi etiam nō Chaldaicè amplius scribat sed Hebraicè. 2. Ratio illa ἀνακόλουθος est, nec enim necessarium hoc nomen hærere debuisse Christo quoad litteram, sufficit, rem nomine designatam illi hæsisse, & omnia Christo optimè tribui posse, quæ per voces illas innuuntur. Nec dubium divinâ providētiâ Christum in urbe Nazareth receptum habuisse ob causas speciales, tum ut tutius ibi lateret, tum ut nomen appositum inde sortiretur. II[a] *Ratio* 1. *inconsequens*, quia sive Iudæorum, sive Syri vel Arabis scriptio invalida & infirma, collata cum diversa scriptione Scriptorum αὐτοπίστων & αὐτοδιδάκτων. Adde, *Cornelium à Lapide* ingenuè testari Commentario in *Esa.* XI. sibi titulum crucis, qui Romę in Basilicâ S. Crucis asservatur, studiosè diuque intuenti visum esse, litteras Hebræas non amplius certò discerni posse, & si discernantur נזרי potius scribi per Zajin quàm per Tsade, quod contrarium assertioni *Pagnini*. 2. Retorqueri potest, Iudæorum enim scriptio suspecta, qui hoc modo veram originem allegationis Matthæi, & nominis Christo tributi, ut suo loco videbimus, obscuratam & suppressam voluêre. Imò per hoc ipsum nomen Christianis insultant, quod ejusmodi Messiam sibi fingant, qui Nazarenus sit, adeoque Messias hypobolimæus, non verus, quippe qui debuerit esse Bethleemita. III[a] *Ratio* & ipsa *inconsequens*, non enim magis necessarium erat prædici à Prophetis moram Christi in urbe Nazareth, ubi educatus, quàm moram ejus in urbe Capernaum, ubi etiam habitavit, & plerunque vel in eâ vel in ejus confinio docuit. Patria *educationis* & *habitationis* prætermitti poterat, *nativitatis* non item, quæ ex characteribus potissimis Messiæ, unde illa studiosè à Michæa descripta, sic temporis notatio, sic originis, sic personæ, sic officij indicanda erat à Prophetis & quę sunt alia id genus, eandem ob causam. Notatio verò moræ Christi in Nazareth, nec ejusdem generis, nec ejusdem necessitatis quoad prædictionem, etsi certò Christo in illa urbe commorandum fuerit, ut Nazaręi nomen, de quo Matthæus, ei hęreret, ut videbimus in sequentibus. Υπαίνιξις, de quâ *Iunius*, obscurior est quàm ut possit sa-

tisfacere Lectori. Ea quæ citantur ex *Gen.* XLIX.10. *Eſa.* VII. XI. LIII. clariora longè, & alîus ſtyli. IV^ae *Rationi* ſatisfiet Dubio ſequente, ubi clariorem & propriam magis verborum Matthæi expoſitionem ſubjiciemus.

VIII. V^a *Ratio* Ab alluſione ad nomen lacus *Ge-nezareth* ſuavis eſt & jucunda, & vim in delectando habere poteſt, in probando non item. Diverſa enim *ſcriptio*, diverſa *origo* hujus vocis. Si *ſcriptionem* ejus attendamus recedit illa multimodis à voce נצר. Scribitur enim γεννησαρὲτ conſtanter apud Evangeliſtas. Vide *Matth.* XIV.34. *Marc.* VI.53. *Luc.* V.1. Sic *Syrus* habet non גי נצרת ſed גנסר, quod & ipſum alienum ab origine vocis נצר. Interpres quinetiam *Chaldæus* ab eâdem recedit, qui legit גינוסר *Num.* XXXIV.11. In *Talmud* vocatur גנושר. *Ioſephus* lacum illum vocat γεννησὰρ lib. III. de bello Iud. cap. XVII. Sic λίμνη γεννησαρῖτις occurrit apud eundem Antiq. lib. XVIII. cap. III. Idem nomẽ obtinet apud *Strabonẽ* Geogr. lib. XVI. Si de *origine* hujus vocis quæramus, varia illa apud *Authores* reperitur. *Scriptio* illius non permittit, ut ducatur à vocibus גיא vallis & נצר ſurculus. *Egeſippus* lib. III. cap. XXVI. & *Iſidorus* lib. XIII. cap. XIX. exiſtimarunt hoc nomen ducendum à γεννήσει ἀέρος ob criſpantes aquas, quibus auram de ſeipſo generet. Sed præterquam quod nomen illud Hebræum, non Græcum, & ratio etymologiæ levis eſt, & ſcriptio ipſa diverſam originem notat. *Duæ* aliæ probabiliores dantur, *una*, corruptum fuiſſe nomen illud, ut & alia multa inter Iudæos tunc temporis, & originem ejus eſſe à nominibus כנרת & כנרות quæ occurrunt Ioſuæ XII.3. XIII.27. XIX.34. à כנור cytharâ, ſive ob ſtridorem aquarum criſpantium, ſive ob flexuoſos anfractus, ſive aliâ de causâ nobis incomperta. Et origo illa eo probabilior, quia *Chaldæus* pro כנרת habet ordinariè גינוסר, inde enim id nominis & ſtagno & tractui hæſiſſe videtur. Eruditiſſimo *Maſio* ſane nomen Geneſara derivatur à nomine כנרת Commentario in cap. I. & XIX. Ioſuæ. Idem præfert *Druſius* Comment. ad voces N. Teſtamenti. *Alia* verò etiam datur *origo* nominis illius, quæ & ipſa probabilis, illud videlicet ducendum eſſe à vocibus גן & שר vel סר, quaſi tractus ille vocaretur hortus principis ob ſingularem amœnitatem, quâ eminuit in totâ regione Iudaica. Ioſephus ſanè notat libro III. de bello Iud.

lo Iudaico cap. XVIII. regionem illam admirandæ amœnitatis fuiſſe, παρατείνει, inquit, τὴν γεννησὰρ ὁμώνυμος χώρα, θαυμαστὴ φύσιν τε καὶ κάλλος. οὔτε γὰρ αὐτὴν τι φυτὸν ἀρνεῖται διὰ τὴν ποιότητα, καὶ πᾶσαν πεφυτεύκασιν οἱ νεμόμενοι. τοῦ δὲ ἀέρος τὸ εὔκρατον ἁρμόζει καὶ τοῖς διαφόροις. Sic idem *Ioſephus* tractum illum ut optimum deſcribit, lib. XVIII. Antiqu. cap. III. ubi dicit Herodem in Tiberii gratiam admiſſum urbem à ſe conditam vocaſſe Tiberiada, propè lacum Genniſareth, inquit, οἰκοδομεῖται πόλιν ἐπώνυμον αὐτῷ Τιβεριάδα (unde & nomen lacui illi hæſit, & is mare Tiberiadis interdum in ſacris vocatur) τοῖς κρατίστοις ἐπικτίσας τῆς γαλιλαίας ἐπὶ λίμνῃ τῇ γεννησαρίτιδι. *Egeſippus* idem confirmat loco allegato, dum inquit regionem illam prætendere Geneſar, ejuſdem nominis lacum, mirabili naturæ gratiâ & ſpecie pulchritudinis, ſpontaneos fructus ſoli ubertatem miniſtrare, & nemorum feracem in univerſa genera ſponte ſe ſubrigere, arborum pomiferarum & culturæ ſolertiâ imitari naturam, in quos voluit vſus optimæ fœcunditatis deflexiſſe gratiam, ut nihil ſit illic quod natura negaverit, nihil quod cultura prætererit. Quæ ſanè etymologiam poſteriorem non parum firmant. Huc accedit *Heſychius* qui ob id γεννησαρὲτ vocat πατρίδα ἀρχόντων.

IX. Quanvis verò liberam Lectori optionem relinquam rationes cum rationibus conferendi, nec magnorum Virorum iudicio quicquam detractum velim, vel ſententiam iſtam prorſus exploſam, quæ locum ſuum habere poteſt, tamen hęc & alia id genus obſtant quo minus in ſolâ illâ expoſitione verborum Matthæi hærendum cenſeam. Vtut enim concedatur & Chriſtum vocari *Netzer* in Scriptura, quod veriſſimum, & Nazareth urbem derivari à *Netzer* quod non incertum ſolùm, ſed & parum probabile ob ſcriptionem diverſam ſacrorum Scriptorum, nodus ſemper manet, qui Chriſtus ναζωραῖος à Prophetis dictus fuerit, quod affirmat Matthæus, idem enim eſſe Netzer & Ναζωραῖον vix perſuaderi poterit hominibus qui ſuæ ſpontis, & ſui judicij, minus hoſtibus Evangelij, id unum ſatagentibus, ut habeant unde ſacros Scriptores petulanter traducant, & in Religionem Chriſtianam deſpument. Quorum furor melius compeſci nequit, quàm ſi eiuſmodi interpretatio quæratur, quę magis accedat ad literam Scripturæ, & applicationem habeat convenientem tum naturæ ſubjecti, tum ſtylo & conſuetudini

HHHh

ſacrorum Scriptorum. Fateor tamen ultrò, ſi conſtaret ex ſacris vrbem Nazareth, quod habet, ut dictum, *David de Pomis* Lexicographus Iudæus, נצר olim dictam fuiſſe, probabilem ſatis iſtam opinionem futuram, fultam præſertim tot eruditiſſimorum Virorum iudicio. Interim diſpiciendum nobis *Dubio* ſequente annon probabilior reperiatur expoſitio alia, quæ magis hæreat verbis & Matthæi & Scriptorum Veteris Teſtamenti, adeóque aptior adhuc ſit vindicandæ tum fidei tum judicio Evangeliſtæ noſtri.

X. Obſeruat cæteroquin *Salmero* Tom. III. Tract. XLV. per Nazareth B. Virginem repræſentatam quæ cuſtodita fuerit ſingulari gratia & priuilegio, & præſeruata tum à peccato originali, tum à corruptione, tum à dolore partus, tùm à ſubiectione viri, tum ab incineratione & aliis id genus. Laudes omnes B. Virginis quæ in creaturam humanam congeri poſſunt libenter admittimus, & ſanctum hoc Dei organum ſupra fœminas omnes ſingularem Dei gratiam in terris, gloriam in cœlis infinitam & expertum eſſe, & experiri ultrò fatemur, nec vel ſanctitati eius vel felicitati, quo nomine invidioſis criminationibus, quamvis præter ius & fas, oneramur, quicquam detractum cupimus, interim laudes eius intra creaturæ ambitum coercendas, nec eam Deo exæquandam cenſemus. Parallelus cæteroquin inter Nazareth & B. Virginem frigidus eſt, præſeruatio ejus à peccato originis commentitia, nec vel Dominicanis & aliis magni nominis Theologis inter Pontificios probata, vel à Pontifice Romano definita, vel Scripturæ S. & veritati ſecundùm eam analoga. Nec luminibus ejus obſtruimus, dum illi id tribuimus, quod ipſa ſibi tribuit, quando de Seruatore ſibi gratulatur, quod ἡτλήματα eius actualia ſatis oſtendunt, quod Scriptura omnibus præter Chriſtum Seruatorem tribuit. B. etiam Virginem ab incineratione præſeruatam fuiſſe, & in cœlum corpore tenus euectam, cœli Reginam & portam deſignatam, miſericordiæ arbitram, adorationis, invocationis, fiduciæ, ſpei, votorum & cultus ſociam, bonorum diribitricem, malorum averruncatricem conſtitutam nec legimus in Scripturâ, nec credimus, nec credendum cenſemus, nec vel cum honore Dei, vel cum officio Chriſti, vel cum conditione creaturæ conciliari poſſe exiſtimamus, imo in hoc ipſo ἀποθεώσεως paganæ dolen-

dolendam πολυγυναικίαν, retentâ re, mutato nomine in Ecclesiam Christianam postliminiò invectam fuisse,ut & ritus innumeros alios paganos,dolemus,& Deum rogamus animitùs, ut corda nostra in illius solius cultu & invocatione uniat,in quem solum baptizati,qui solus pro nobis crucifixus,qui solus via,veritas,& vita, per quem solum pervenitur ad Patrem, qui solus etiam sessurus est in throno & venturus ad iudicandum vivos & mortuos, cui soli ab animalibus & Senioribus in Apocalypsi canitur canticum novum,& tribuitur benedictio,honor & gloria in secula seculorum.

DVBIA. XCIII.

XCIII. An Matthæus inquiens,dictum esse per Prophetas fore ut Christus vocaretur Ναζωραῖος, respexerit ad *Naziræos* veteres, & eos præsertim qui inter illos typi præ aliis Christi fuêre? XCIV. An Monachatui præsidium sit in *Naziræatu* Iudaico?

EXAMEN.

Ratio Methodi. Opinio postrema de origine allegationis Matthæi, quæ probatur, confirmatur, vindicatur. Confirmatio ducta ab argumentis *tum* assumptis, *tum* innatis. *Suffragia* Authorum *veterum & recentiorum. Quibus tributa olim nomina* Nezer *&* Nazir. *Vera sedes verborum Matthæi. Mira Dei providentia.* Lentuli *Epistola reiecta. Confirmatio assertionis superioris à convenientiâ tum* in verbis, *tum* in rebus. *Meßias verè debuit esse* Nazir. *Rationes.*

Cur Ioſeph & Samſon typi Meßiæ conſtituendi. Cur Ioſeph Nazir *dictus. Convenientia multiplex inter Ioſephum & Chriſtum. Convenientia inter Samſonem & Chriſtum.* Ἀνασκευὴ *obiectionum tum* verbalium, *tum* realium. Verbales *ſunt*, Iª *A voce* Ναζωραῖος. *Diverſa nomenclatio* Naziræorum, Nazoræorum, Naſaræorum & Nazaræorum. IIª *A ſcriptione vocis* Nazareth, *& nominum inde derivatorum. Commentum* Iachiadæ. IIIª *A diverſa huius tituli ſcriptione, quæ apud ſacros Scriptores. Cur* Galilæi *Iudæis inviſi.* IVª *A verbo* κληθήσεται. Vª *A vocibus* διὰ τῶν προφητῶν. Reales ſunt. Iª *A diversâ ratione tituli* Nazir *tributi typo, & antitypo.* IIª *A ſilentio Scripturæ.* IIIª *Ab* ἀλλοφυλίᾳ *Ioſephi & Samſonis, & peccatis iſtius.* IVª *A diverſo inſtituto* naziræorum *tum* nativorum, *tum* votivorum. *Diſtinctiones utrorumque. Solutiones obiectionum. Vnde oriatur ſcriptio vocis* Ναζωραίου. *Mutationes variæ nominum. Libertas Scriptorum in talibus.* Ναζωραῖος & ναζαραῖος *nomina tum* religioſa, *tum* gentilitia. *Diſtinctio nominum apud* Suidam. *Latitudo nominis* Prophetarum *in ſacris. Cur* Prophetarum *mentio apud Matthæum. Diverſa* σχέσις *rerum ratione cauſæ* primæ & ſecundarum. *Typi partiales concipiendi non totales.*

Qui

Quî Christus responderit Naziræis. An Symmachianis *hæreticis hinc præsidium. Christus Paulo* NAZIRÆUS. *Nomen Naziræi Christo ut honorificum tributum. Nominis illius* ἔκθεσις *in Scripturâ.* Nonni *errores circa hanc vocem. Coniunctio utriusque sententiæ non incommoda. An Monachatus origo petenda à Naziræis.* Bellarminus & Cornelius *à* Lapide *confutati. Diversissima utrorumque ratio.*

I. DISCVSSÆ hactenus à nobis opiniones variæ super denominatione illâ *Nazareni*, quam jam olim Christo tributam asserit Matthæus. I. An dicta tantùm fuerit, non scripta? 2. An scripta quidem, sed interversa in strage quadam, & excidio librorum Canonicorum, quod passa fuerit Ecclesia? 3. An Scripta hodieque reperiatur in locis Propheticis, in quibus Messias vocatur נצר & צמח *surculus*, & *germen*? Ostensum opiniones priores nullum, tertiam suum locum habere posse, illas ratione solidâ destitui, istam non sine probabilitate à Viris multis Eximiis urgeri, quædam tamen intercedere, quominus illi soli hærendum videatur. Restat Examen *secundæ* sententiæ classis *affirmativæ*, annon Matthæus illâ allegatione respexerit ad *Naziræos* veteres, & vel inprimis ad aliquos ex illis, qui præ aliis typi Messiæ fuêre, & quibus cum Messiâ magna & multiplex intercessit conformitas. Et hæc quidem opinio mihi superiore si non certior, probabilior tamen, & clarior & facilior esse videtur. Quod ut Lectori probetur, duo nobis præstanda, & opinio ista I. *Probanda.* II. *Vindicanda*, opus enim habet tum confirmatione, tum vindicijs, illa ad κατασκευὴν veri, istâ ad ἀνασκευὴν eorum, quæ illi & speciosè quidem vel solent vel possunt opponi.

II. *Prius* quod attinet ad duas classes hujus opinionis æquè ac prioris confirmatio revocari potest. I. Ad argumenta *inartificialia* & *assumpta*. II. Ad *artificialia* & *innata*, sive e-

nim *authoritate* hîc sit pugnandum, sive *ratione*, non erit nobis ἐρήμη δίκη. Si rem per *Authorum* suffragia disquiramus, in hac sententiâ fuit jam olim *Tertullianus*, qui lib.IV.§.VIII. adversus Marcionem inquit, *Nazaræus vocari habebat secundùm Prophetiam Christus creatoris, unde & ipso nomine nos Iudæi Nazaræos appellant per eum. Nam & sumus, de quibus scriptum est, Nazaræi exalbati sunt super nivem* &c. Huc accedit *Eusebius Cæsariensis* Demonstr. Evang. lib. VII. c. I. ubi ad vocem נזר allusum putat, quem sequitur *Paulus Burgensis*, in addit. ad *Psal.* CXXXI. *Hieronymus* eandem sententiam tradit, & non obscurè prefert, quando ex suo sensu loquitur, ut in cap. II. Matt. *Nazaræus sanctus interpretatur. Sanctum autem Dominū futurum, omnis Scriptura commemorat*, etsi ibidem subjiciat, *Possumus & aliter dicere, quod etiam eisdem verbis iuxtà Hebraicam veritatem in Esaiâ scriptum sit, Exiet virga* &c. *Theophylactus* quanvis ad caput II. Matth. diversas conjecturas referat, I. hanc nomenclationem non amplius reperiri, addita ratione, διὰ γὰρ τὴν ἀμέλειαν τῶν ἑβραίων, inquit, πολλὰ βιβλία ἀπώλοντο, καὶ ἀπὸ τῶν συνεχῶν αἰχμαλωσιῶν. 2. Id dictum fuisse, non scriptum, inquiens ἀγράφως δὲ τυχὸν ἐλέγετο παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, quo ipso præivit *Osiandro* in expositione à nobis suprà discussâ. 3. Tandem tamen in hanc sententiam concedit hac allegatione ad Naziræos veteres allusum fuisse. Σημαίνει δὲ, inquit, τὸ Ναζωραῖος, ἡγιασμένος, ἐπεὶ τοίνυν ἅγιος ὁ χριστὸς, εἰκότως ἂν λέγοιτο Ναζωραῖος. Ἅγιος γὰρ τοῦ Ἰσραὴλ, παρὰ πολλῶν προφητῶν καλεῖται ὁ Κύριος. Sic *Glossa* apud Lyranum. *Hebraica veritas in illo loco non dicit, Nazarenus de radice eius consurget cum ts litterâ quod non cōpetit Christo, sed bene Nazarenus, quod significat consecrationem & sanctificationem. Vnde hæc authoritas Evangelistæ Nazareus vocabitur, non fundatur in hac auctoritate Esaiæ*, &c. Huc accedit etiam *Rupertus* Abbas Tuitiensis & *Leo à Castro* in cap. XI. Esa. qui Ναζωραῖον titulum ducendum arbitratur à נזיר non à נצר. Sic *Ferus* Commentario in Matthæum *Nazaræum* interpretatur *sanctum*. E nostris hanc opinionem probarunt jam olim Summi Viri *Lutherus*, *Bucerus*, & *Calvinus*, quibus accessêre *Beza*, *Chemnitius*, *Tossanus*, *Scultetus*, Viri Eximij. Idem sequuti fuêre Theologi Genevenses in glossâ marginali, & CL. *Diodatus* noster in notis ad Biblia Italica. Eandem sententiam probat Vir incomparabilis *Daniel Heinsius* in Aristarcho sacro Exercit. sacr. cap. IV. Præ aliis verò dis-

rò diffusè hoc argumentum exequitur *Nicolaus Collado* Vir Doctissimus Tractatu peculiari, in quo multa eruditè notat tum ad κατασκευὴν tum ad ἀνασκευὴν.

III. Si quæratur jam ad quos locos Propheticos respexerit Matthæus, dum ait id prædictum fuisse per Prophetas, varij citari solent, & duplicis quidem generis loci. *Quidam*, in quibus Messias vocatur *Sanctus*, & *Sanctus sanctorum*, ut *Dan.* IX. 24. *Alij*, in quibus diserta nominis Naziræi fit mentio, & id illis tributum legitur qui typum Christi gessêre, inter quos eminuêre *Iosephus*, & *Samson*: Iosephus de quo *Genes.* XLIX. 26. *Benedictiones patris tui erunt super caput Ioseph, & super verticem Nazaræi inter fratres suos.* Idem repetit Moses *Deut.* XXXIII. 16. benedicens utrique tribui oriundæ à Iosepho, *Beneplacitum habitatoris rubi veniat super caput Ioseph, & super verticem Nazaræi inter fratres suos.* Sic *Iud.* XIII. 5. de *Samsone* dicitur, *Nazaræus Dei erit puer ipse ab utero.* Quæ denominatio sæpius eidem tributa legitur. Volunt ergo sententiæ hujus patroni, allusum fuisse à Matthæo sive ad *Naziræos votivos*, sive ad *Naziræos nativos*, sive ad utrosque conjunctim, & ad omnes qui ob dignitatem peculiarem sive Ecclesiasticam, sive politicam censebantur velut Naziræi, ut Pontifex summus, & Reges qui ob munus suum à vulgo videbantur secreti. Sic addunt, coronam sanctificationis quæ in capite summi Pontificis erat, vocatam fuisse נזר *Exod.* XXIX. 6. XXXIX. 30. oleum item unctionis summi Pontificis *Levit.* XXI. 12. Sic diadema regium vocari נזר II. *Sam.* I. 10. *Psal.* LXXXIX. 40. Meritò verò hæc ad Christum referri à Matthæo, quippe qui fuerit & verus Nazaræus, & verus Pontifex, & verus Rex *Psal.* II. 6. CX. 4. *Sanctus Sanctorum*, revera נזיר ἀφωρισμένος ab aliis, & præ alijs, idque ἐξόχως, designatus jam olim tum per Naziræos, tum per Reges & Pontifices veteres & legales. Mirabili ergo Dei providentiâ factum esse, ut Christus occasione educationis suæ in Nazareth vocaretur Nazarenus, à Iudæis quidem per jocum & contemptum, ob conditionem abjectam urbis Nazareth, à Deo verò sapientissimo consilio, in testimonium genti illi pervicaci alio planè fine, ut designaretur, Christum esse verum Naziræum, & antonomasticè quidem talem, verum antitypum & complementum Naziræorum legalium, Regum simul & Pon-

tificum,& aliorū Deo peculiari ratione consecratorum. Quum enim ab insignibus illorum munerum externis talis vocari non potuerit, quippe qui nec ritus legalium Naziræorum suscipere debuit, nec cidarin Pontificiam aut diadema regium gestare, tamen ut notum esset figuras illas in Christo esse adimpletas,& ipsi competere verum Nazaręatum,coronam tum Naziræorum, tum Pontificum, tum Regum, Christum vocandum fuisse Naziræum, à patria quidem, & diversam ob causam, eâdem tamen nomenclatione. Sic Deum hostibus suis quanvis illorum ingratiis denominationem illam honorificam expressisse. Sic de Messiâ loqui Psalten *Psal.* CXXXII. 17. 18. *Ibi efficiam ut germinet cornu Davidis, ubi aptavi lucernam uncto meo, inimicos ejus induam pudore, super ipsum verò florebit (Nezer) corona*, vel, *sanctificatio eius.*

IV. Quamvis verò illa omnia apposite observari possint, mihi tamen sedes allegationis Matthęi constituenda videtur in duobus potissimùm typis Christi,in *Iosepho* & *Samsone*, & titulo Naziræi, qui utrique tribuitur. Vterque disertè & αὐτολεξεὶ *Naziræus* vocatur, ille *Gen.* XLIX.26. *Deut.* XXXIII.16. iste *Iud.* XIII.5.17.XVI.17. Vterque typum Christi Servatoris gessit, & in eo ipso gessit, quatenus utrique Naziræi nomen hæsit. An mirum ergo antitypo applicari ab Evangelistâ, quod jam olim dictum erat de typo, & quod de typo dictum erat cum σχέσει singulari ad Messiam futurum? Quia itaque Christus utrique respondere debuit ut antitypus typis, nomen Naziræi gerere debuit, quod quia æquum non erat ut sortiretur à πολιτείᾳ vel θρησκείᾳ ceremoniali Naziræorum legalium,ut postmodum ostendetur,alia occasione obtinere debuit, quam divina providentia miro modo ex morâ Iosephi in Nazareth nasci voluit, vnde id nomen illi in vulgus etiam tributum,per contemptum quidem & probrum sæpè à causis secundis,sapientissimo tamen consilio & scopo ratione causæ primæ. Et sanè mirum, Iosephum omnia alia prius cogitantem Archelai metu compulsum fuisse ad secessum in Nazareth, in speciem, ut tutiùs lateret cum puero in loco ignobiliori, reverâ secreto instinctu, ut inde non humano consilio, sed divino planè Christo hoc nomen hæreret. Quod Dei consilium, & solum quidem, non hominum institutum respicit Matthæus, quando inquit hoc

factum

factum fuiſſe, ut impleretur quod dictum jam olim per Prophetas, &c.

V. Κατασκευὴν quod attinet hujus opinionis, non arceſſam ejus probationem ab hypobolimæâ *Lentuli* cujuſdam Proconſulis *Epiſtolâ*, quâ deſcribitur Chriſtus formâ & habitu Naziræorum, quippe quæ è recente fabricâ, & πονηροῦ κόμματος. Potiora ſunt quę huic opinioni ſi non plenam fidem, magnam tamen veri ſpeciem conciliare poſſunt, quæ ad duo capita revoco I. Ad *convenientiam in verbis*. II. Ad *convenientiam in re* verbis deſignatâ. Illa enim origo allegationis Matthæi probabilior judicari debet, quę & magis accedit ad verba Evangeliſtæ, & quæ naturæ rei ſive ſubjecto de quo agitur commodiſſimè aptari poteſt.

Si *verba* ſpectemus, illa ipſa quæ Matthęus habet jam olim dicta fuêre de typis, & in illorum perſona de antitypo. *Ioſephus* diſertè vocatur נזיר à Iacobo patre, & quidem in vaticinio, patre Prophetico ſpiritu loquente. Idem nomen non ſine ſingulari Spiritus S. inſtinctu repetit Moſes, & eidem vindicat. De *Samſone* adhuc clariùs id ipſum dicitur *Iud.* XIII. 5. כי נזיר אלהים יהיה הנער *quia Naziræus Dei erit puer ille*, &c. quę omninò reſpondent verbis Matthęi, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται. Si quærat jam *Iudæus*, ubi in Prophetis legatur Meſſiam vocandum Ναζωραῖον, pronum erit Chriſtiano regerere, id illis locis legi, ubi id nomen typis Meſſiæ, adeoque Meſſiæ ut antitypo in illorum perſona tributum reperitur.

Si ſpectemus etiam *rem* ipſam, quę denominatio Meſſię convenientius tribui poteſt titulo נזיר *Nazirei*? ſive per נזיר intelligamus ἀφωρισμένον, ſive ἅγιον, ſive ἐστεφανωμένον, annon Meſſias debuit ad peculiare munus velut ſeponi, ab omnibus aliis ſecerni, inſignem prę aliis ὑπεροχὴν obtinere, & perſonæ & muneris & actionum omnium ſanctitate prę omnibus aliis eminere? unde & *Sanctus* & *Sanctus Sanctorum* ἐξαιρέτως nuncupatus. Annon ille dignitatē regiam ſimul & ſacerdotalem in ſua perſona unire, diadema & cidarin geſtare, coronâ ſanctificationis redimiri, & oleo ſancto inungi debuit prę conſortibus? Vtique *Iudæi* non negabunt, Meſſiam debuiſſe eſſe ſanctum, & velut ſeparatum à communi hominum ſorte, verum ergo נזיר *Naziræum*, κεχωρισμένον, ἀφωρισμένον, ἅγιον, ἁγιάζοντα & ἡγιασμένον, in

ſumma talem qui Deo peculiari ratione ab utero ſacer eſſet æquè ac Samſon, & quicquid ὑπεροχὴν aliquam habere videbatur in vitâ ductorum populi Dei, id in ſe *eminenter* complecteretur. An quicquam hac ratione tribuitur Meſſiæ, quod infra illius dignitatem? vel quod non appoſitè illi tribuatur, imò quod non ſit ei tribuendum? Si urgeant *Iudæi*, Meſſiam noſtrum non obſervaſſe ritus legales Naziręorum veterum, oſtendetur infrà, cur id nec factum fuerit, nec fieri debuerit. Si negent Ioſephum & Samſonem fuiſſe typos Meſſiæ, I. id gratis negant, imò cōtra κυρίας δόξας ſuorum Magiſtrorum, qui docent omnia Meſſiam ſpectaſſe in Lege & Prophetis, omnia ad illũ referenda eſſe velut ad centrum Legis & Prophetarum. Addimus nos, illa potiſſimùm ad Meſſiam referenda eſſe, 1. quæ ſine illo vel inania prorſus, vel nulli uſui ſaltem fuiſſent in pædagogiâ legali. 2. Quæ eminebant in gente Iudaica, & ἀξίαν peculiarem habebant, v.g. perſonæ inſignes præ aliis, quarum vel conditio eminens, vel munus ſacrum fuit & peculiare. II. An abſurdum, illos typos Meſſiæ conſtitui, qui fuêre מושיעים *liberatores* ſuorum, quales fuêre Ioſephus & Samſon? annon Meſſiam exſpectant qui ſit מושיע *liberator*? annon liberationes externæ & corporales pręludia erant & velut teſſerę redemptionis potioris? III. An abſurdius, *Ioſephum* & *Samſonem* Meſſiæ typos conſtitui, quàm Davidem, quum tamen vel æquè magna vel major etiam reperiatur conformitas inter Ioſephum, Samſonem, & Meſſiam, ac inter Davidem & Meſſiam? Nulla ſaltem Meſſiæ injuria fiet, ſi Viri Eximij è gente Iudaicâ, & quorum operâ Deus genti illi ſingulari ratione benefecit, talia præſtitiſſe dicantur quæ aliquâ ratione adumbrare debuerint beneficia ſublimiora quę Iudæis exſpectanda erant à Meſſiâ? Quanvis verò negent *Iudæi*, vel Ieſum Nazarenum eſſe Meſſiam, vel quæ circa Ioſephum & Samſonem contigêre eximia, contigiſſe etiam circa Ieſum Nazarenum, ſufficit pervicaciam illorum non hiſtoriâ ſolùm ſacrâ revinci & refelli, ſed & profanâ, confeſſione multorum Chriſti hoſtium, multis quæ ipſi Iudæi de Ieſu noſtro tradunt, vel inprimis eventu & ſedecim ſeculorum propemodùm experientiâ. Chriſtiani utique non ſine ſingulari admiratione hæc animo revolvunt, & ſumma cum voluptate multiplicem illam χρείαν & ἁρμονίαν umbrarum

brarum veterum & corporis in Chriſto exhibiti contueentur. Sive enim perſonas Ioſephi & Samſonis reſpiciamus, ſive res geſtas, ſive paſſiones, ſive circunſtantias alias, quæ in perſonis notari poſſunt, mirum, tot lineas à divinâ ſapientiâ jam olim ductas, quę Chriſti noſtri perſonam, acta, paſſiones & alia id genus ita graphicè referrent.

VI. *Ioſephum* ſigillatim quod attinet, quæri ſolet, nec ſine ratione, cur ille vocatus fuerit נזיר inter fratres ſuos. Multi hîc variè philoſophantur, & contendunt nomen illud illi tributum fuiſſe, vel quod comam diu aluerit in carcere & ſqualore, & ibi intonſus delituerit, Naziræorum inſtar, vel quod moribus & innocentia ſeparatus fuerit à fratribus, vel quod ab iiſdem ſeparatus fuerit loco & converſatione, ſive in domo paterna, ſive ſeceſſu ſuo in Ægyptum, ſive morâ ſuâ in aulâ Pharaonis, quæ omnia jejuna & frigida. Potior *ratio* alia *duplex* hujus nomenclationis, *una* à ſanctitate Ioſephi, *altera* ab eius ὑπεροχῇ, qua utrâque eminuit præ fratribus, & inter fratres, & velut *corona* fuit & decus commune fratrum. Nec tantùm principatum ille geſſit in Ægypto, ſed & in ſuis poſteris inter Iſraelitas, non tam in Ieroboamo, qui Ephraimita, quod vult *Caietanus*, quàm in tribu Ephraim, quæ eminuit ſuo tempore præ aliis tribubus regni Iſraelitici, ſecundùm vaticinium Iacobi, unde & nomen hæſit integro regno decem tribuum, quod per *Ephraim* à Prophetis ſæpe deſignatur. Meritò ergo titulus Ioſephi נזיר אחיו redditur à LXX. *δοξασθεὶς ἐν ἀδελφοῖς Deut.* XXXIII. 16.

VII. Si excutiamus jam typum & *σχέσιν* quæ intercedit inter Ioſephum & Chriſtum, varia illa dari poteſt. Videatur inter alios ſuper hoc argumento *Nicolai Colladonis* Ieſus Nazaræus, qui id prolixè exequitur. Præcipua iſta videntur, Ioſephum nobis referri in Scripturâ S. ejuſdem quidem originis & naturæ cum fratribus, peculiari tamen ratione à patre dilectum, vitiorum fraternorum cenſorem, Prophetam etiam ſuper ſtatu futuro ſuimet ſimul & fratrum. Eundem odio habitum à fratribus, & gratis quidem, illo ipſo quod honorem & reverentiam illi conciliare debebat, illi creatum odium. Eundem morti adjudicatum à fratribus, venditum poſt & gentilium poteſtati objectum, dira multa paſſum, calumnias ſimul & pœnas, quanvis ſanctum & innoxium, feliciſſimè tamen ex omnibus

ærumnis & mirando quidem modo eluctatum. Eundem Servatorem externum redditum & fratrum suorum, & multorum Ægyptiorum. Omnia de illo prædicta præter spem fratrum adimpleta, eundem ex infimo miseriæ & calamitatis gradu ad summum dignitatis fastigium immediatè evectum, coronam & gloriam fratrum suorum redditum. Eosdem qui insultaverant illi, *Num regnando regnabis super nos, num dominando dominaberis nobis?* supplices ei factos & sæpius quidem. Fratres Iosephum, utut graviter offensum, beneficum tamen & facilem & admirandæ mansuetudinis hominem experiuntur, qui lachrymas suas cum illorum lachrymis miscet, qui sanguinem ejus non sitiverant tantùm, sed & fuderant fermè. De Iosepho dictum, non esse intelligentem, nec sapiẽtem qui cum eo conferri possit, omnem populum illius os osculaturum, illum constituendum super totam Ægyptum, neminem sine illo erecturum manum vel pedem. Commendatione Iosephi fratribus patet aditus ad gratiam Pharaonis, & hæreditatem, quam obtinuêre, quanvis artem alioquin exosam Pharaoni profiterentur. Acclamatum fuit Iosepho certatim ab Ægyptiis, *vivificasti nos, inveniamus gratiam in oculis Domini mei.* Fratres apud illum jam cognitum culpam deprecantur, & summâ cum mansuetudine excipiuntur. Cæteroquin malum omne quod cogitatum fuerat à fratribus contra Iosephum à Deo cõversum fuit in bonum & Iosephi & fratrum, & venditio ipsa Iosephi occasio reddita salutis & domus paternæ & Ægyptiorum. Nihil Iosephi, ne ossa quidem, in Ægypto relicta fuere. Si hæc omnia conferamus cum Historiâ, actionibus, & passionibus Servatoris nostri, verum umbrarum illarum corpus, figurarum complementum non sine admiratione reperiemus. Annon ille describitur particeps carnis & sanguinis æquè ac pueri, filius dilectus in quo pater acquiescit, & in quo solo alii filii, qui Doctorem & censorem egit fratrum, Prophetam etiam prænuntium status sui simul & fratrum? Idem odio habitus, & gratis, & inde illi conciliata invidia unde conciliari debuit gratia & amor. Idem contumeliosè habitus à fratribus, in sua venit, sed sui eum non recepêre, traditus in manus infidelium, eluctatur felicissimè ex variis ærumnis & ipsâ morte, & è summa exinanitione ad summam dignitatem conscendit, servator constitui-

tur

tur & fratrum suorum & multorum simul Ægyptiorum. Omnia de illo prædicta miris modis impleta. Fit ille corona & gloria fratrum. Qui noluêre illum regnare super eos, genua ejus advolvuntur. Illi etiam eum mansuetum & beneficum experiuntur, qui illum confixêre. Omnes creaturæ illum adorant, genua omnia coram illo flectuntur. Non sapientiæ tantùm summę laus illi tribuitur, sed & nomen supra omne nomen, & fines omnes terræ. Ipsius tantùm beneficio patet fratribus accessus ad Deum, qui artes alioquin summè Deo exosas erant professi. Acclamatum ei in cœlis & in terrâ. Malum omne quod contra eum cogitatum, pręter spem conversum fuit in bonum. Nihil ejus in terra reliquum, pręter spiritum, gratiam virtutem. Hæc dilatari possent & diffundi, unà cum circunstantiis aliis variis. Sed dicta hactenus sufficere debent hominibus duris etiam sive ad assensum permovendis, sive venię saltem impetrandæ, cur *Nazirai* titulum vel ratione sanctitatis, vel ratione ἀφοχῆς, vel ratione utriusque conjunctim Christo & Iosepho communem fecerimus, & dixerimus, typi rationem evidentem ob σχέσεις varias inter utrumque intercedere.

VIII. Eadem typi ratio & accommodatio & varia quidem, ex Samsonis Historia comparata cum Historia Evangelica multimodis erui potest, quam *Nicolaus Collado* Vir Eruditus cum curâ quoque exequitur. Præcipua quę in hoc parallelo notanda videntur, sunt ista: Nativitatem Samsonis extraordinariam fuisse, prędictam ab Angelo, & matri quidem, disertè dictum, illum Nazaręum futurum, idque διηνεκτικῶς ab utero usque ad diem mortis suę, illum futurum liberatorem populi sui, spiritum Dei in eum irruisse inde à pueris, ejus vim sese exeruisse in ætate maturâ, robur in illo extraordinarium animadversum totâ vitâ, acta mira, Leonem ab eo discerptum, & discerptum sine molimine arduo, è cadavere eductam dulcedinem, & cibos. Hostes & multos & graves ab eo fusos, & fusos sine armis, eorum exuviis ditatos suos. Non vincitur Samson nisi volens, & frustrà vincitur, donec adesset hora mortis. Ante hanc periodum nec vinculis cōstringi potest, nec ullo obice coerceri. A propriis fratribus traditur hostibus. Et fraus & vis ipsi illata carè constant hostibus. Voluntariè ille mortem subit, & in ipsa morte hostium victor singulari triumpho evadit.

His parallelis addi poſſent plurimi alij. Sed hi quos produximus demonſtrandæ χέσει inter Chriſtum & Samſonē abundè ſufficiunt, unde concludimus Samſonem quoque è potiſſimis Meſſiæ typis fuiſſe. Cui enim ignoratum, nativitatem Chriſti extraordinariam fuiſſe,& prædictam ab Angelo, & prædictam matri, & Chriſtum ſanctum Domini fuiſſe ab utero ad diem uſque mortis, illum fuiſſe liberatorem ſui populi, Spiritu Dei indutum ex alto præ conſortibus,ejus etiam vim ſe in Domino ætate potiſſimùm maturâ exeruiſſe, virtutem in illo admirandam animadverſam, ſermones μετ᾽ ἐξουσίας, opera divina, Leonem infernalem ab eo oppreſſum, carnem crucifixam converſam in cibum, hoſtes omnes ab eo fuſos, nullam vel rabiem,vel vim, vel dolum ejus virtuti obſtitiſſe, donec adeſſet hora mortis, quâ ſe à fratribus tradi, ab hoſtibus capi paſſus fuit. Ab eodem ultrò morti obviam itum,&in ipſa morte ſingularis triumphus ab hoſtibus reportatus, quibus mors illius fuit lethale telum. Quis verò his expenſis negare auſit typi rationem intercedere inter Chriſtum & Samſonem? In ſumma,vel negabunt Iudæi *in theſi* Meſſiam debuiſſe eſſe Naziræum, vel in *hypotheſi* Ieſum noſtrum talem fuiſſe. *Si prius*, id Meſſiæ detractum eunt, quod Scriptura illi tribuit, quod illi honorificum, quod ſanctitatem & ὑπεροχὴν ejus notat, quod ſaltem ſine abſurditate illi tribui poteſt, quem nemo niſi gloriæ illius detractor alium concipere poteſt præterquam ἀφωρισμένον Deo, ὅσιον & ἐστεφανωμένον, adeoque verum Naziræum. Cui verò definitio convenit, illi definitum ſine abſurditate negari nequit. *Si* in *hypotheſi* negent Iudęi *poſterius*, Ieſum videlicet noſtrum fuiſſe Naziręum Deo ſacrum, ad peculiare munus deſtinatum, ſingulari ſanctitate inſignem, gloria & honore coronatum, ſufficere debet hominibus æquis,virtutem Domini ſuos inter Iudęos ipſos teſtes habere, nec illum à Iudæis ὁμοχρόνοις peccati ullius convinci potuiſſe, cœleſte etiam Chriſti munus, & admirandam ejus efficaciam non ſolùm omnis generis teſtium ſuffragiis,ſed & plurium ſeculorum ſtupendis effectis ſe toti orbi commendaſſe, pervicacem Iudęorum gentem contemptum ejus totali politiæ ſuæ excidio luiſſe,& juſtiſſimas pertinacię ſuæ pœnas in hunc vſque diem dare, ſatiſque experiri,quicquid obtendant, potentiam ejus quem confixêre.

IX.

IX. Κατασκευῇ hujus ſententiæ propoſitâ, progrediendum nobis ad eorum ἀνασκευὴν, quæ illi opponi ſolent tum ab acutiſſimo *Iunio* lib. I. parallelo VIII. tum ab aliis ὁμοψήφοις, imò omnium eorum quæ aliqua ſpecie illi opponi poſſunt. Revocamus *objectiones* omnes ad duas etiam claſſes, quędam enim opponuntur *litteræ*, & dici poſſunt *verbales*, quædam *ſenſui* & applicationi, & *reales* diſtinctionis gratiâ vocari poſſunt. De vtriſque diſpiciendum. *Contra litteram* opponi ſolet I. vocem נזיר ſive *propriè* ſumatur in ſacris, ſive *appellativè*, neutro modo reddi ab Interpretibus ναζωραῖον, ſed *propriè* ſumptam verti à LXX. quandoque Ναζηραῖον per Ητα, quandoque Ναζαραῖον per Αλφα. Tametſi verò Veterum quidam, inter quos *Euſebius*, *Epiphanius*, *Gregorius Nazianzenus*, interdum legant Ναζιραῖος cum Ιῶτα, nuſquam tamen reperiri Ναζωραῖον cum Ωμέγα quod habet Matthæus. Hinc inquiunt, quum Græci deſtituantur litterâ reſpondente τῷ Tzade Hebræorum, voluiſſe divinam providentiam diſcrimen exſtare in vocali, ne confunderetur vox illa cum voce ναζηραίῳ vel ναζαραίου. Addunt, vocem נזיר *appellativè* ſumptam reddi à LXX. per voces ἅγιος, ἁγιάζων, ἡγιασμένος, ἢ δοξασθεὶς, ἠυγμένος & δεξάμενος: Ab *Aquilâ* ἀφωρισμένος: A *Symmacho* ἄθικτος. Notat etiam *Iunius*, vocem illam nuſquam exſtare in Novo Teſtamento, ſed periphraſticè reddi, ut *Act.* XXI. 23. ubi ναζηραῖοι deſcribuntur, *οἱ εὐχὴν ἔχοντες ἐφ' ἑαυτῶν*, *voto obnoxij*, ne confunderentur cum hominibus oriundis ex urbe Nazareth. Imò hoc nomen hæſiſſe poſtmodum *Nazaræis* quibuſdam hæreticis, quorum aliqui abolitum cupivêre Teſtamentum vetus, alij contra reſtitutum, quoad ceremoniarum etiam legalium obſervationem & pędagogiam veterem. Vnde *Iunius* diſtinguit quatuor genera hominum, qui hac voce ſive in S. Scriptura, ſive in Hiſtoria Eccleſiaſtica deſignantur. 1. *Naziræos* qui ſunt נזירים illi de quibus *Num.* VI. iique vel *nativi*, vel *votivi*, quorum illi deſtinatione alienâ tales, iſti propria. 2. *Nazaræos* vel *Nazarenos*, homines à Nazareth oppido Galilęæ ſic dictos, ſive ob ortũ, ſive ob incolatum. 3. *Naſaræos* νασαραίους per Σίγμα quaſi ἀφανιστὰς à *Syro* נסר quod ſit reſcindere vel abolere, eo quod libros Moſis & reliquam Scripturam Veteris Teſtamenti confictam adeoque abolendam crediderint. 4. *Nazaræos*, à quibus & nomina Naziręo-

rum & Nazoræorum ſive Nazarenorum confuſa fuerint,& res nominibus deſignatæ, quatenus unà cum Evangelio legalium ceremoniarum obſervationem ursêre, & id ex hoc ipſo loco probare ſategêre, Chriſtum videlicet Naziræum fuiſſe, ergo & Chriſtianos tales eſſe debere. *Vis* totius argumentationis huc redire videtur, diſtingui debere, & diſtinctas ſemper fuiſſe voces, Ναζωραῖϰ & Ναζηραῖϰ vel Ναζαραῖου, illam nomenclationem ab oppido Nazareth peti, iſtam à religione voti, illam Chriſto tribui, non iſtam, recedere ergo hanc interpretationem à verbis Matthæi, & confundere non confundenda.'

X. *Reſp.* 1. *indirectè* & per βίαιον, majorem longè diſtinctionem & diverſitatem intercedere inter נצר & *ναζωραῖον*, quàm inter *ναζωραῖον* & *ναζηραῖον* vel *ναζαραῖον*, ibi plurium, hîc unius tantùm litteræ mutatio occurrit. Eo ipſo itaque adſtringitur nodus, & fatendum, illorum ſententiam magis recedere à verbis, qui נצר Hebræorum & *ναζωραῖον* Matthæi idem eſſe contendunt. 2. *directè*, non negatur, diſtinctas eſſe res denominationem ab urbe, & denominationem à voto, negatur tamen, tum *in theſi* idem nomen diverſis rebus deſignandis adhiberi non poſſe, tum *in hypotheſi* nomen *ναζωραῖϰ* non utrumque deſignaſſe inter Iudæos tunc temporis, & diſtinctionem accuratam ſemper obſervatam fuiſſe inter *ναζωραῖον* & *ναζηραῖον*. 3. Eo ipſo quo LXX. Interpretes נזיר Hebræorum reddunt modò *ναζαραῖον* cùm Αλφα, modò *ναζηραῖον* cum Ητα, an vitio vertendum Matthæo quod loco *η* vel *α* ſubſtituerit *ω*? Et dubio procul id inde ortum, quod vox נצרת promiſcuè efferretur vel *ναζαρὲθ*, Hebræorum more, vel *ναζωρὲθ*, more Syrorum, prout Camets Hebræis *α* eſt, Syris *ω*. Hinc promiſcuè etiam homo ex oppido Nazareth oriundus vocabatur interdum *ναζαραῖος* ſecundùm terminationem Hebraicam, & *ναζωραῖος* ſecundùm terminationem Syram. Quum ergo Nazarethanis vel Nazarenis hæreret nomen utrumque ex æquo & *ναζαραῖος* & *ναζωραῖος*, & prius reſponderet τῷ נזיר Hebræorum, ſine abſurditate etiam נזירים poterant vocari *ναζωραῖοι*. 4. Adde, in *μεταφράσει* & tranſlatione ex una lingua in aliam, frequentiſſimè vel litteræ unius, vel plurium mutationem reperiri, quod in nominibus propriis vel in primis fieri *Nicolaus Collado* exemplis compluribus eruditè oſtendit. Nec id è ſcriptis profanis

dunta-

duntaxat doceri poteſt, ſed & è ſacris. Conferantur nomina Hebræa & Græca Moſis, Mariæ, Samſonis, Ieſaiæ, Salomonis, imò plerorumque, maior longè diverſitas reperietur inter hæc quàm inter ναζωραῖον & ναζηραῖον. 5. Imò cur נזיר redditur à Græcis ναζηραῖος vel ναζαραῖος potius quàm νασὶρ? Cur nos pro Græco ναζωραῖος dicimus Nazaræus vel Nazarenus, vel Nazarethanus? niſi quia libertas ſcriptionis & elocutionis magna ſemper fuit in μεταφράσει & ἐκθέσει verborum Scriptoris alicujus. Sic נצרת promiſcuè modò ναζαρὲτ ſcribitur, modò ναζαρὲθ, interdum ſine, interdum cum adſpiratione. 6. LXX. Interpretes prudenter interdum vocem נזיר retinuêre, ſed inflexam ad terminationem græcam, modò eam ſuæ gentis hominibus per ἔκθεσιν declarandam cenſuêre, unde modò vertunt ναζαραῖος vel ναζηραῖος, modò ἅγιος, ἡγιασμένος, & quæ ſunt alia id genus. Nec Matthęus ab iis recedit, qui ob diverſam elocutionem vocis נצרת, ut dictum, utitur voce ναζωραῖυ. 7. Cauſam Scriptionis per Ω Matthæo fuiſſe diſtinctionem hujus vocis à voce ναζηραῖυ, ſupponitur, non probatur, verior oſtenſa à diverſa pronuntiatione Hebræa & Syra nominis נצרת. 8. Meritò nuſpiam exſtat in Novo Teſtamento vox illa, quia Chriſto propria eſſe debuit, & velut ſacra. Vnde quando ſermo de aliis, periphraſis adhibita. 9. Diſtinctiones Naziræorum, Nazoræorum, Naſaræorum, & Nazaræorum, de quibus *Iunius*, locum habere poſſunt in συγκρίσει, ad διάκρισιν faciliorem ſingulorum, quod non obſtat quominus iidem fuerint olim ναζωραῖοι & ναζηραῖοι vel ναζαραῖοι, quamvis aliquibus hoc nomen hæſerit ab oppido, aliis à voto. 10. A *Nazaræis*, vel *Symmachianis* hæreticis res non confundendas imperitè confuſas fuiſſe concedimus, Naziræatum videlicet veterem & Chriſtianiſmum. Nominum illorum confuſio fortè etiam in argumentum erroris rapta, ſed ſine cauſâ, quum nec Naziræatum externum & ceremonialem ſuſceperit Dominus, nec ſuſcipere debuerit, ut oſtendetur in ſequentibus. Vnde quum ipſe Chriſtus non ſe adſtrinxerit ritibus illis legalibus, minus huic jugo obnoxij cenſendi erant Chriſtiani. Non ergo errori illi cauſa in nominum ναζωραῖυ & ναζηραῖυ promiſcuo uſu, ſed in rerum non confundendarum confuſione. Obſervato verò fundamento vero denominationis Naziræi tributæ Chriſto, de quo

& hactenus, & in ſequentibus res plana eſt, & *Symmachiani* ἀναπολόγητοι.

XI. *Secundò* objicitur huic opinioni, vocem נזיר ναζαραῖον vel ναζηραῖον ſcribi cum Zajin Hebræorum, & perpetuò quidem, quando deſignat Naziræum ſive *nativum*, ſive *votivum*. Nazareth verò oppidum Galilææ ſemper ſcribi per Tſade Interpretibus *Hebræo, Syro, Arabi*. Eandem ſcriptionem eſſe vocis נצרי quæ ναζωραῖος. Sic *Hieronymum* ad Marcellam Nazareth interpretari florem, ducta voce à נצר non à נזר. Idem liquere ex titulo crucis Romæ aſſervato. Iudęos conſtanter hodieque Chriſtum vocare הנצרי, Chriſtianos נצריים vel אומה הנצרית: Magnũ ergo diſcrimen eſſe inter נזיר & נצרי: Ergo & inter ναζηραῖον & ναζωραῖον, non tantùm in vocali, ſed & in conſona. *Reſp.* 1. Dubio ſuperiori oſtenſum, Interpretum Syri & Arabis authoritatem non eſſe ἀνυπεύθυνον, titulum crucis vel ὑποβολιμαῖον, vel dubium, Iudęorum ſcriptionem ſuſpectam, & Matthęi & reliquorum Scriptorum ſacrorum ſcriptionem αὐτόπιστον, qui litterâ ζ utuntur reſpondente τῷ ז non τῷ צ Hebræorum, quod exprimẽdum fuiſſet per τς vel per θς vel per σσ. 2. Quanvis inflexio vel mutatio unius litteræ hîc daretur, non ob id vadimonium nobis deſerẽdum foret, quum major ſemper diverſitas occurrat inter נצר & ναζωραῖον. 3. Syra ſcriptio נצרת inde orta, quia ſolenne *Syris* has litteras inter ſe ut cognatas permutare, quod CL. *Druſius* jam olim obſervavit. Vnde *Iudæi* hanc ſcriptionem ſequuti, & eò libentiùs, ne ſacer Naziræi titulus Chriſto aptari poſſet. Hinc nomenclationes illæ נצריים הנצרי & אומה הנצרית quæ frequentiſſimæ apud Iudæorum Magiſtros, ſed cum cavillis & maledictis. Sic Maria mater Domini dicitur *Ioſepho Iachiadæ* in Paraphr. ad cap. XI. Dan. מרים הנצרית *Maria Nazarena*, ubi nugatur *Conſtantinum* à Iove deſciviſſe, & ſe recepiſſe ad ſtatuta nova מחמדת הנשים לפי דעתו מרים הנצרית *deſideratiſſimæ mulierũ, ſecundùm ipſius opinionem, Mariæ Nazarenæ*. Ipſe fatetur ad verſ. 36. illum converſum fuiſſe לדת ישוע הנצרי *ad ſtatuta Ieſu Nazareni*, ubi eâdem fide inquit Conſtantinum dediſſe Pontificibus ſuis Romam, & totum agrum Romanum, ut & diœceſin Avenionis, quâ ad caput VIII. 8. 9. Romulum & Herodem Alexandri Magni ſucceſſores facit, illum Romæ, iſtum Ptolo-

maide, quæ jocularia, & cucurbitæ, non hominis.

XII. Opponi *tertiò* ſolet, Chriſtum non tantùm dici ναζωραῖον, quod propius accedit ad Naziræorum vocem, ſed & ναζαρηνὸν, ne videretur talis dici à Naziræatu. Imò & ϖελφεραςικῶς & διακριτικῶς ſimul idem quandoque vocatur ὁ ἀπὸ Ναζαρὲθ, ne vox illa ad Naziræatum referri poſſit. *Reſp.* 1. Matthæum, à quo hoc myſterium ſpectatum, conſtanter & ſæpius Chriſtũ ναζωραῖον vocare, ut id non doceret tantùm, ſed & inculcaret, nuſquam verò ναζαρηνὸν. 2. Quanvis alibi aliâ voce uteretur, quod tamen non facit, ſatis eſſet, hoc loco Chriſtum ναζωραῖον vocari, non ναζαρηνὸν, ubi reſpicit ad votum Naziręatus. 3. Nec mirum, illum alibi vocari ναζαρηνὸν vel τὸν ἀπὸ ναζαρὲθ, quando Spiritus S. non directè ad hoc myſterium reſpicit, quod hoc loco facit. 4. Imò ex promiſcuo illarum vocum uſu liquet, & hominem oriundum ex urbe Nazareth, & voto obſtrictum ad Naziręatum promiſcuè vocatos fuiſſe & ναζωραίοις & ναζαραίους & quandoque ναζαρηνοὺς, & vel omnia illa nomina, vel priora ſaltem tum *gentilitia* fuiſſe, tum *religioſa*, ut ſic Chriſto ex ſolâ eius habitatione in Nazareth ſingula tribui poſſent. In eo ipſo itaque ſingularis Dei providentia eluxit, cuius ductu nomina illa in uſum promiſcuum abiêre, & ὁ ἀπὸ Ναζαρὲθ pręter analogiam etiam Grammaticam vocatus fuit ναζωραῖος, ναζαραῖος & ναζαρηνός. Quum itaque Chriſtus non ſine causâ gravi vocatus fuerit ναζωραῖος, & idem nomen cruci illius inſcriptum fuerit, ad Naziræatus myſterium deſignandum, parùm cautè alia nomina ſubſtituta, ab iis qui paraphraſin in Scriptores ſacros contexuêre. Inter quos *Nonnus* Iohannis Metaphraſtes, qui Chriſtum Γαλιλαῖον vocat, loco Ναζωραίου, & ita effert titulum crucis Chriſti.

Οὗτος Ἰουδαίων βασιλεὺς Γαλιλαῖος Ἰησοῦς. In quo dupliciter peccavit, 1. quod ſine neceſſitate ſubſtituerit vocem aliam, quæ non apta deſignando myſterio. 2. quod nomen διασυρτικὸν Chriſto tribuerit; & Pilato ipſo iniquior fuerit in Chriſtum. Quanvis enim Chriſtus quà Nazarethanus Galilæus fuerit, tamen id nominis nonniſi per contumeliam & contemptum illi impingi ſolebat, eò quod Galilæa gens ſummè Iudæis exoſa eſſet, utpote jam antiquitùs permiſta paganis, ex quo Hiramo à Salomone civitates viginti datæ, paganiſmus cũ Iudaiſmo cõfuſus,

gentes cum Iudæis, adeoque ejuſmodi religionis, ſanguinis, & morum miſtura introducta, quæ publicè etiam infamis eſſet. Meritò ergo caſtigatur eo quoque nomine à *Daniele Heinſio* acerrimi judicii Viro in Exercitationibus doctiſſimis ad *Nonnũ*, ut & quod Galilæos vice verſa confuderit cũ Naziræis, & illos promiſcuè vocârit *ὀπισθοκόμους*, *ξανυπλοκάμους*, *ἀκεροσεκόμοις*, *retrocrinitos*, *crinitos*, *intonſos*, quæ epitheta non Galilæorum erant, ſed Naziræorum. Quanvis inde conjecturæ locus eſſe poſſit, homines voto obſtrictos, & oriundos ex vrbe Nazareth eodem nomine vocatos fuiſſe, aliâs ſanè nonniſi ſummâ cum abſurditate Galilæis promiſcuè tribuerentur nomina Naziræis propria. Sed quia ejuſmodi *ἀκυρολογία* frequens Nonno, quam Summi Viri *Scaliger*, *Heinſius* & *Cunæus* in hoc Scriptore jam pridem caſtigarunt, errores ejus noſtros facere nolumus. *Suidas* diſtinguit aliâs voces *ναζαρηνοῦ* & *ναζηραίου*, *ναζαρηνός*, *ἀπὸ ναζαρὲτ τῆς γαλιλαίας*, *ναζηραῖος ὁ θεῷ κεχαρισμένος* (melius *κεχωρισμένος*, ut rectè conjecit *Meurſius*) *καὶ ἀφιερωμένος*. Interim quia fatetur Chriſtianos prius vocatos fuiſſe *ναζηραίους καὶ γαλιλαίους*, videmus vocem Naziræis propriam hæſiſſe Chriſtianis jam antiquitùs, adeoque ſine abſurditate Chriſto etiam tribui poſſe.

XIII. *Quarto* loco opponi ſolet, non tantùm vocem נזיר quæ de Ioſepho & Samſone effertur diverſam eſſe à nomine *ναζωραίου* & quoad vocalem, & quoad conſonam, ſed etiam nuſpiam dici vel Samſonem, vel Ioſephum Naziræos vocandos, quod tamen de Chriſto affirmat Matthæus. *Reſp.* 1. Peccari *falſa hypotheſi*, quaſi ſtatuamus dixiſſe Matthæum, totidem verbis id ſcriptum fuiſſe à Prophetis, atqui non inquit id factũ ut impleretur *ὃ γέγραπται* vel *τὸ γεγραμμένον*, ſed *τὸ ῥηθὲν*. Quia verò hæ phraſes interdum æquipollent, ſufficit dici dupliciter aliquid ſive *ſcriptum* cenſeri, ſive *dictum*, vel *αὐτολεξεὶ* vel *κατ' ἰσοδυναμίαν*, poſterius hîc locum habere, non prius. 2. Notum, vocabula illa eſſe *ἰσοδυνάμα* apud Hebræos, *eſſe* & *vocari*, *filius altiſſimi vocabitur*, *vocabitur Iehova iuſtitia noſtra*, *Ieruſalem civitas ſancta*, *vocabuntur filij viventis*, & quæ ſunt alia id genus. Dei vocare vel inprimis eſt efficere, qui vocat ea quę non ſunt ut ſint. Quanvis in genere etiam denominationes legitimæ petendę ſint à natura rerum, adeoque denominare præſupponit

τὸ ineſſe vel τὸ conuenire vt fundamentum ſuum. Retorqueri itaque hoc ipſum poteſt, quia de reliquis nomen Naziræorum effertur, eo ipſo dicuntur tales vocandi, unde quod de typis dictum ad antitypum ſine abſurditate referri poteſt. 3. Adde id ipſum aliâ ratione retorqueri poſſe, non magis dici Chriſtum vocandum נצר quàm נזיר. Si *excipiatur*, dici de Meſſiâ, צמח שמו, facilè reſponderi poteſt aliud eſſe צמח aliud נצר, & longè magis remotam eſſe vocem צמח à titulo ναζωραῖος, ac vocem נזיר.

XIV. *Quinta* objectio *litteræ* oppoſita hæc eſſe poteſt, Matthæum dicere, Chriſtum talem dictum à Prophetis, hoc verò nullibi exſtare apud Prophetas, Meſſiam vel futurum Naziræum, vel vocandum talem. Ioſephum ſanè & Samſonem Naziræos dici, ſed alterum in Lege, alterum in libro Iudicum. Legem verò & libros Hiſtoricos contradiſtingui Propheticis. Et hęc ἔνστασις ex *Hieronymo* urgeri poteſt, qui idem jam olim obſervavit, *ſi fixum exemplum* (Samſonis putà vel Ioſephi) *de ſcripturis poſuiſſet Matthæus, illum non dicturum fuiſſe, tale quid dictum eſſe per Prophetas, ſed per Prophetam ſimpliciter. Nunc autem pluraliter Prophetas vocando, Matthæum oſtendere*, non verba de ſcripturis à ſe ſumpta, ſed ſenſum. *Reſp.* 1. Nomen *Prophetarum* interdum *ſtrictè* ſumi, interdum *laxe*: *ſtrictè*, pro Prophetis qui tantùm tales, & quibus hoc nomen ordinarium, *laxè* pro ſacris Scriptoribus Veteris Teſtamenti, quicunque illi ſint. Sic Hiſtorici etiam libri citantur nomine Prophetarum *Hebr.* I. 5. dum verba citantur, quę exſtant II. *Sam.* VII. I. *Paral.* XXII. Sic quando Chriſtus inquit quæcunque de ſe ſcripta exſtant in Veteri Teſtamento contineri in Moſe, Prophetis, & Pſalmis, vel libri Hiſtorici ſub Propheticis continentur, vel Chriſtus prętermittit quę de ſe ſcripta erant in libris Hiſtoricis, quod abſurdum. Sic *Act.* III. 24. Samuelis ſcripta inter prophetica numerantur. Si etiam abſurdum non eſt Prophetarum libros & Pſalmos Legis nomine deſignare, abſurdum cenſeri non debet, vel librum è Lege, vel Hiſtoricum propheticum vocari. Quod *Ioh.* X. 34. in Lege ſcriptum dicitur exſtat *Pſal.* LXXXII. 6. Exemplum geminum I. *Cor.* XIV. 21. ubi locus ex *Eſa.* XXVIII. II. legis nomine citatur. Quid obſtat ergo quominus id dici poſſit dictum διὰ τῶν προφητῶν quod exſtat *Gen.* XLIX. *Deut.* XXXIII. *Iud.* XIII.

Inst. Christus ipse subdistinxit legem à Prophetis. Ergo per Prophetas non videtur intelligendus liber Legis. *Resp.* 1. Aliud est, partitionem librorũ sacrorum instituere, aliud, promiscuè de libris sacris loqui, aliud, loqui comparatè, aliud, loqui absolutè, aliud, strictè loqui, aliud, latè. Christus contradistinguendo legem Prophetis priori modo loquitur, non posteriori, partitionem enim instituit librorum sacrorum, illos inter se confert, loquitur comparatè & strictè. 2. Peccatur Elencho ἀπὸ τοῦ ἐν μέρει. Nam Christus ipse in Psalmis dictum, dicit dictum in Lege Ioh. x. 34. etsi legẽ & Psalmos à se invicem distinxerit alibi, idem sub Prophetis vel Lege comprehendit libros Historicos, ut ex exemplo allato liquet, ubi de se dicta ἀνακεφαλαιοῖ, & restringit ad Mosen, Prophetas, & Psalmos. 2. Adde, meritò à Matthæo dictum, verba illa dicta à Prophetis, quia Iacob & Moses vates egêre capitibus illis, quibus *Iosepho* Naziræi titulum tribuunt. Imò quum & Iacobus & Moses & libri Iudicum Scriptor ad Messiam potissimùm respexisse statuantur, meritò Prophetarum nomine designati fuêre. Iacobus sanè disertè testatur, se Prophetam ibi agere, *annuntiabo vobis*, inquit, *quæ sunt eventura vobis postremis diebus*. Idem Moses ducentis post annis non frustrà repetit. Quod ipsum etiam mysterio fidem facere potest. 3. Adde, si urgeret necessitas, enallagen numeri sine absurditate ibi concipi posse, & id dici dictum à Prophetis, quod ab uno Prophetarum tantùm dictum. 4. Dici etiam posset variare lectionem, & *Syrum*, & *Æthiopem*, & *Hebræum Evãgelium Merceri* Prophetæ meminisse, non Prophetarum. Sed nihil attinet talia urgere. 5. Retorsioni quoque locus, si verba vexentur, pronum enim nobis erit regerere, vbi dicatur à Prophetis Messiam vocandum נצר. Si Esaias opponatur, Prophetarum ille unus tantùm fuit, non plures. Si Zachariæ locus addatur, qui Messiam συνωνύμως vocat צמח, cur non & nobis licebit illos locos adducere, ubi Messias vocatur *Sanctus*, & *Sanctus Sanctorum*, qui tituli quoque hîc synonimi sunt voci נזיר. Hoc ipsum itaque dictum à Prophetis κατὰ τὸ συνώνυμον, vel διὰ τῶν πραγμάτων. 6. Adde, si vel unus tantùm exstaret locus, qui *Iud.* XIII. 5. dici tamen potuisse à Matthæo, hoc dictum esse à Prophetis, quum liber Iudicum, ut notum, à Prophetis & pluribus quidem conscriptus fuerit,

quip-

quippe qui CCC.annorum Historiam ad minimum complectitur. Notum etiam, sæpe plurium simul Prophetarum mentionem fieri ob rationem similem, quanvis unus tantùm locus citetur è Prophetis minoribus,eo quod XII. illi Prophetæ præsertim in unum volumen compacti ordinariè prostiterint, ut notum. *Inst.* Res gestas Samsonis unum tantùm Prophetarum contexuisse. *Resp.* Præterquam quod dici posset,enallage numerorum solvi dubium, vel Matthæum respexisse ad volumen integrum Iudicum, & ad totam ejus compagem,nihil obstat,quominus dicamus loca è Genesi & Deuteronomio subinnui, & cum exemplo Samsonis conjungenda esse. Quo ipso etiam *Hieronymi* ἔνςασις cadit, quum enim non fixum exemplum sed plura spectata fuerint à Matthæo, Iosephi nimirum & Samsonis, Prophetarum nomine & Moses, & Author libri Iudicum sine ulla absurditate designari potuêre.

XV. Vt verò *litteræ* opponuntur ista, quæ hactenus à nobis excussa, sic & *sensui* & *applicationi* alia, & speciosè quidem, opponi solent, quę intercedere videntur, quominus origo illa locum habere possit. 1° *Objic.* Nullam dari vel analogiam vel harmoniam inter causas denominationis illius tributæ typis & antitypo,aliud enim,hoc nomẽ trahere à voto,aliud, id trahere ab incolatu vrbis alicujus, aliud, id ducere à professione, aliud, à patriâ, quæ diversissima. Id sanè nec ad probationem facere, nec ad illustrationem, nec ad piorum convictionem, nec ad revictionem impiorum. Res ergo disparatas & minimè cohærentes confundendas haudquaquam esse. *Resp.* 1. Per βίαιον, imò quia Iosephus Naziræus dictus ut ostensum, quà ἀφωρισμένος fuit à fratribus sive ratione suę ὑπεροχῆς, sive ratione suæ sanctitatis,convenientissimè easdem ob causas nomen Naziræi Christo tributum. 2. Analogiam & harmoniam multiplicem,& admirandam quidem dari inter typos illos & antitypum, ostensum in superioribus. 3. Distinguenda *causa* nominis Christo tributi ab eius *occasione*,causarum itidem *secundarum* consilium à consilio causæ *primæ*. *Occasio* nominis illius Christo tributi sanè fuit mora ejus in Nazareth, *causa* verò consiliũ Dei, oracula prophetarum, ὑπεροχὴ & sanctitas Christi. Idem ergo nomen hæsit singulis ob causam similem,habitâ ratione consilij divini, ob causas dissimiles, habitâ ratione causarum secunda-

rum,quod nec mirum,nec novum in Scripturâ. Debuit Christo tribui nomen Naziræi, factum id occasione moræ Christi in Nazareth, quâ Deus hanc denominationem Iudęis omnia alia cogitantibus pro summâ suâ sapientiâ extorquet. Hinc quod per cōtemptum Christo impactum ab hominibus protervis,Deo dispensante,in honorem Christi cedit. Sic Christus Iudęorum Rex εἰρωνικῶς à Pilato salutatur, & diversis linguis publicatur talis, titulo cruci affixo, cavillum tamen hominis profani in singularem Christi honorem à Deo conversum, & verum Christi elogium homini omnia alia cogitanti extortum. Vaticinatur Cajaphas pręstare hominem unum mori pro gente, quàm ut tota gens intereat, eadem verba quidem & à Spiritu sācto prolata,& à Cajapha,sed diversissimo instituto. Cajaphas quidem Christum ita loquendo destinat exitio, ut κάθαρμα vt reum, ut turbonem, iræ Romanorum vel furori potius suo immolandum, Spiritus S. tamen illum ut gentis Iudaicæ & dispersorum Dei filiorum redemptorem, & victimam pro vtrisque iisdem verbis designat. Milites Romani summâ petulantiâ Christum insignibus regiis amiciunt, illi ut Regi protervè illudunt,non minus tamen per illorum probra & sputa asserta Christi dignitas. Quid obstat ergo quominus idem nomen ναζωραίε Christo tributum fuerit à Iudæis per contemptum ob educationem illius in Nazareth, à Diabolo etiam, ne videretur Messias,utpote Nazarethanus, & Galilæus, à Deo verò, & viris sanctis alio prorsus instituto & consilio ad ὑπεροχὴν & sanctitatem singularem Christi adstruendam? Vnde non sine ductu Spiritus S.factum,ut Christus, etsi Bethleemita fuerit, non Nazarenus,non Bethleemita tamen,sed ναζωραῖος communiter vocaretur. His expensis facile liquebit,nec res non cohærentes connecti,nec disparata confundi, sed in eadem nomenclatione diversum institutum causarum primæ & secundarum convenienter distingui. Nec repugnat eandem rem diversimodè accommodari diversis subiectis,ob diversa principia, & fines diversos.

XVI. *Objic.* 11°. Nec Iosephum, nec Samsonem uspiam typos Christi vocari in Scripturâ, supponi ergo, non probari fundamentum hujus expositionis & applicationis. *Resp.* 1. Sufficere Iosephū & Samsonem ut typos Christi in Scripturâ proponi,

poni, rem dici, id esse κείμενον διὰ τῶν πραγμάτων, ut loquitur *Chrysostomus*. 2. An Scriptura dicit αὐτολεξεὶ vel Davidem, vel Salomonem, vel Ionam fuisse typos Christi, an ob id typorum nomen illis detractum ibimus? *Objic.* III° Nec Samsonem, nec Iosephum fuisse ὁμοφύλως Christo, sed ἀλλοφύλως, imò Samsonem gravibus peccatis obnoxium fuisse, scortatorem quippe, & αὐτόχειρα, & qui alia multa patravit, quæ Messiæ nec debeant nec possint applicari. *Resp.* 1. Peccari *falsâ hypothesi*, & *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, quasi verò ὁμοφυλία necessaria foret ad rationem typi, sic nec multi alij typi Christi forent, qui ἀλλόφυλοι. 2. Peccari itidem *falsâ hypothesi*, quasi typi debeant esse *totales*, nō *partiales*, & quasi qui typus est *in aliquo* debeat esse typus *in omni*. Notum etiam, in iis tantùm quærendam esse typi rationem quę perfectionis sunt, non imperfectionis. Alioquin si peccata ἁπλῶς obstarent, nec David, nec Salomo, nec Ionas Messiæ typi dici possent, qui & ipsi peccatis, & gravibus quidem obnoxii fuêre. Adde, disparia inter se conferri, αὐτοχειρίαν cum scortatione, quorum diversa ratio in Samsone, quum robur extraordinarium quod ei accessit sub vitæ finem, divinæ virtutis opus fuerit, non humanæ, & in voluntaria illius morte, quâ hostes suos oppressit, Deus nos voluerit contueri Christi mortem egregio emblemate jam olim depictam. Quæ quidem ad οἰκονομίαν & dispensationem extraordinariam referenda ut & facta alia Heroica, in quibus dispensatio specialis observari potest.

XVII. *Objic.* IV°. Comparationem perperàm institui inter Christum & Naziræos veteres, sive *nativos* & *indictos*, sive *votivos* & *spontaneos*, sive utrosque conjunctim, diversissimam enim illorum rationem fuisse, diversos ritus, mores, instituta. Repugnare ergo præter scriptionem̄ diversam diversitatem in θρησκείᾳ & ritibus. Naziræos abstinuisse à radendâ comâ, à fructu vitis, & rebus vinaticis, à contactu cadaverum: Christum nihil tale observasse, imò contraria omnia, non aluisse comam, id enim & indecorum futurum fuisse, & cōtrarium Apostolo 1.*Cor.* XI.14. *ἀνὴρ ἐὰν κομᾷ, ἀτιμία αὐτῷ ἐστι*: satis liquere etiam ex Historia Evangelica, Christum bibisse de genimine vitis, & contrectasse mortuos, eo ipso itaque ostensum, Christum nullâ ratione teneri Naziræorum institutis. Addunt, non posse dici

Christum respondere utrique Nazireorum generi conjunctim, & *nativo*, & *votivo*, quum illa fuerint diversissima, tametsi enim aliquid commune habuerint, abstinentiam à tonsurâ, à rebus vineaticis, & aliis id genus, habuisse tamen multa diversa v.g. Samsonem Nazireum nativum non abstinuisse à contactu cadaverum, quum disertè legatur è cadavere Leonis mel eduxisse, & detraxisse exuvias Philistæis cæsis, quod tamen neutiquam facturus videtur, si Naziræatus nativi institutis eâ re fuisset prohibitus. Sic Naziræatus *votivus* principium habet intrinsecum, *nativus* extrinsecum, ille temporarius erat, iste perpetuus, ille liber, iste necessarius. Non ergo confundendum esse duplicem illum Naziræatum, vel utrumque Christo aptandum, quum etiam neutra ex speciebus Naziræatus Christo conveniat, nec genus illi tribuendum esse. *Resp.* 1. Peccari *falsâ hypothesi*, quasi eadem prorsus debuerit esse ratio typorum & antitypi, imò quia Christus antitypus esse debebat, non typus, corpus respondens umbris & figuris, res præstare debebat ceremoniis & ritibus designatas, non ceremonias, & in sua persona exhibere, tum sanctitatem singularem, tum omnia illa ex quibus constare posset illum peculiari ratione Deo sacrum esse & verum Regem, Pontificem & liberatorem sui populi. Vt ergo in Nazireis litteralibus non tam complementum spirituale spectabatur quàm externum & rituale, sic vice versâ in Naziræo hoc spirituali complementum quærendum erat non litterale & rituale, sed spirituale & reale. Adde, Christum venisse ut imponeret finem ceremoniis legalibus, & sepeliret synagogam, non ergo adstringi debuit ad θρησκείαν sive πολιτείαν Naziræorum veterum & legalium, sed ad exhibitionem rerum spiritualium illis ritibus designatarum. *Inst.* Quum Christus factus fuerit sub Lege *Gal.* IV. 4. non potuit nisi post consummatam redemptionem legitimè eximi à ceremoniis Naziræatus, quas imperabat lex, si reverâ responderit Naziræis veteribus. *Resp.* 1° Christum sanè factum fuisse ὑπὸ νόμον, obnoxium videlicet & justitiæ legis per obedientiam, & maledictioni ejus per pœnam ex peculiari munere, ritibus Legis omnibus non item, quorum partem servavit, partem neglexit, utrumque liberè, & pro arbitrio. Egregiè *Epiphanius* Hæres. XXIX. §. VIII. ἀποπληρωθέντος τοῦ νόμου, καὶ τῶν ἐν τῷ νόμῳ μὴ δυναμένων πληρωθῆναι,

παντὶ τὸν νοῦν ἔχοντι σαφὲς ἂν εἴη, ὅτι χριστὸς ἦλθε πληρωτὴς τοῦ νόμου, οὐ τὸν νόμον καταλύσων, ἀλλὰ τὸν νόμον πληρώσων, καὶ ἀφελεῖν τὴν κατάραν τὴν κατὰ τῆς παραβάσεως τοῦ νόμου ὁρισθεῖσαν. 2°. An quia Christus summus Pontifex fuit Ecclesiæ suæ, debuit etiam ante consummatam redemptionem externam summi Pontificis munia obire? Si ergo summi Pontificis nomen meritò illi tribuendum, quia rem typo illo designatam præstitit, verum nimirum tum ἱλασμὸν, tum ἐμφανισμὸν, illum in terris, istum in cœlis, cur non & Naziræi nomen illi competere possit, ratione complementi spiritualis, quanvis ritus & ceremonias externas non observârit. Imò si illis se adstrinxisset Messias, nec se Dominum legis ostendisset, nec finem, nec Messiæ munus pro dignitate sustinuisset. Sic, quum Liberator & Redemptor populi sui esse debuerit, an ob id populus Iudaicus Romanorum imperio subducendus, & pristinæ libertati restituendus erat? annon satis erat illum à iugo peccati, à potestate tenebrarum, & ab eo qui mortis habebat imperium per mortem suam vindicari? 2. Negandum verò etiam, Christum non respondisse *eminenter* utrique Naziræorum generi, ea omnia & in summo quidem perfectionis gradu exhibendo, quæ in utrisque eximia & peculiaria videbantur. Vnde illi soli etiam Naziræi nomen in Novo Testamento hæsit, quanvis enim aliqui vota certa nuncupasse legantur Synagogæ honestè sepeliendæ, quandiu ceremoniæ mortuæ quidem erant, nondum verò mortiferæ, tamen id ipsum περιφραστικῶς & diversa phrasi, non sine ratione à Spiritu S. effertur. 3. Nec obstat diversa ratio Naziræorum nativorum & votivorum, Christus enim utrique Naziræorum generi respondisse censendus est in eo, quod commune utrique fuit, non in eo quod utrique erat peculiare, vel potius, in eo quod per utrosque ex æquo designatum fuit, quanvis, quod ipse *Iunius* fatetur, magis ad *nativos* accesserit, quàm ad votivos, quum sanctus ab utero Samsonis instar fuerit. Et sanè quum res eadem utroque genere Naziræorum designata fuerit, Christus rem significatam prestando, utrisque satis superque respondisse censendus est. 4. Si etiam diversissima ratio munerum Prophetici, regij & sacerdotalis non obstitit, quominus Christus omnibus illis eminenter defunctus fuerit, utique Naziræorum generi utrique facile respondere potuit, quibus pleraque

communia erant, & finis idem.

XVIII. Nequicquam itaq; à *Symmachianis*, de quibus suprà, turbatum, lampades tabernaculi Veteris instauratæ, velum denuò obtensum, pædagogia vetus restituta, & cum Evangelii doctrina conjuncta, vel Iudæorum gratiæ aucupandæ, vel Iudæis & Christianis demerendis. Quanvis enim nomen quidem Naziræi, vel Nazareni ex terminatione Latina Christo, Christianis Nazarenorum per contemptum hæserit, professio tamen ritualis nomine illo cõmuniter designata neutiquam intellecta fuit, nec rituum legalium observatio vel à Christo Naziræo imperata, vel exemplo commendata, ut suprà ostensum, vel Apostolorum sanctionibus, vel Ecclesiæ Apostolicæ praxi Christianis injuncta, quin potius ut jugum δυσβάστακτον, imo ἀβάστακτον excussa, nec inanis tantùm sed & noxia declarata, & disertè sancitum ab Apostolis, non imponendum amplius jugum cervici discipulorum, quod nec patres nec nos portare possimus, in libertate perstandum esse quâ Christus nos liberavit, nec servitutis jugum reducendum, Christum aliâs nihil profuturum, inanes Christi fieri, & gratiâ excidere, totius legis debitores esse, qui vel circuncisionem restituerent, vel in Lege justitiam quærerent, in Christo Iesu nec circuncisionem quicquam valere, nec præputium, sed fidem operantem per charitatem. *Gal.* v. Optimè de talibus jam olim dictum ab *Hieronymo* Epistolâ ad Augustinum, Nazaræos illos, dum volebant esse & Iudæi & Christiani, nec Iudæos esse, nec Christianos. Vide *Epiphanium* Hæres. XXIX. Κατὰ Ναζωραίων, ubi eadem illis quæ Cerinthianis φρονήματα adscribit, & eos etiam Ιεσσαίους dictos contendit διὰ τὸν Ιεσσαὶ Davidis patrem, ut primò docet Epiphanius, melius, ut ipse subjicit §. IV. διὰ τὸ ἐξ Ιησοῦ ὡρμῆσθαι, ἢ διὰ τὸ τῆς ἐτυμολογίας τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου. Addit. §. VII. illos totos Iudæos fuisse, τὰ πάντα γὰρ, inquit, εἰσιν Ιουδαῖοι, καὶ οὐδὲν ἕτερον, & tamen subjicit, illos non συμφωνεῖν Ιουδαίοις διὰ τὸ εἰς Χριστὸν πεπιστευκέναι, Χριστιανοῖς δὲ μὴ ὁμογνωμονεῖν, διὰ τὸ ἔτι νόμῳ πεπεδῆσθαι, περιτομῇ τε καὶ Σαββάτῳ καὶ τοῖς ἄλλοις. Addit ibidem in confutatione hæreseos illorum, Christum ἀντὶ τῶν μικρῶν τῶν μὴ δυναμένων πληρωθῆναι nobis dedisse τὰ μείζονα καὶ τὰ ἐντελέστερα. Notat verò etiam, adeò capitali odio Iudæos in illos exarsisse, ut ter de die & manè & meridie, & ad vesperam illos diris devoverent, dicentes,

centes, ὅτι ἐπικαταράσαι ὁ Θεὸς τοὺς Ναζωραίους. Evangelium verò Matthæi contendit *Epiphanius* πληρέστατον Hebraicè, prout ſcriptum fuerit primitus, apud illos exſtare, & ab illis ad ſua vſque tempora conſervatum fuiſſe: quod vix ulli perſuadebit Epiphanius, non magis quàm Ἰησοῦ ſignificare θεραπευτὴν quaſi ἀπὸ τοῦ ἰάσασθαι, vel ἰᾶσθαι, quod innuit etiam Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. myſtag. VI. ubi Ἰησοῦ non ſolum Hebraicè interpretatur σωτῆρα, ſed & græcè ἰώμενον, quæ nequicquam excuſantur à *Petavio*, nec magis excuſanda, quàm nomen Cephæ ab *Anacleto* Pontifice derivatum ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, nomen ἁγίου ab *Origene*, quaſi idem ſit, quod *extra terram* Homil. XI. in Levit. Sic eâdem ſubtilitate Monachi *Pſeudo-Dionyſio* dicuntur, quod uniantur εἰς θεοειδῆ μονάδα, vel ſecundùm *Eugenium* Papam cauſ. XVI. quæſt. I. c. *placuit*, Monachus à μόνος & ἄχος, *id eſt, vnus triſtis.* Non dubium, quin res conveniat Chriſto, & τὸ σώζειν morbis corporis applicatum idem ſit quod θεραπεύειν vel ἰάσασθαι, & quin Chriſtus ſit θεραπευτὴς vel θεραπευτὴρ & ἰατρός, idque eminentiſſimo modo, ſed an κατὰ τὴν ἑβραϊκὴν διάλεκτον Ἰησοῦς deſignet θεραπευτὴν & ἰατρόν? Et eo ipſo dum fatetur *Petavius*, Hebraicam vocem non ſignificare ſecundùm ἀκριβολογίαν vel κυριολεξίαν θεραπεύειν, ſed μεταληπτικῶς tantùm, derivatio illa *Epiphanii* ejuſdem commatis eſt cum origine quam aſſignat voci Ieſſæorum, §. I. Chriſtianos Ieſſæos dictos διὰ τὸν Ἰεσσαὶ, *propter Ieſſe* Davidis patrem. Sic *Baronius* fruſtrà ad Annum Chriſti XXXI. Tiberij XV. §. XXVII. excuſat etymologiam Cephæ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, *appoſitè,* inquit, *quod apud Syros petram ſolidam ſonat nomen Cephæ, apud Græcos caput ſignificat,* unde eâdem firmitate concludit, *divina quadam diſpenſatione factum videri, ut unâ eâdemque voce duabus linguis Petri principatus exprimeretur.* Eadem ſanè concluſionis quæ principiorum ratio, robur idem. Idem *Epiphanius* alioquin Hæreſi XXIII. aliam ſectam Nazaræorum proponit, quos vocat διακριτικῶς νασαραίους, quibus imputat inter alia, quod & Pentateuchum repudiârint, & à ſacrificiis abhorruerint, nec animata ulla re vel ad cibos vel ad ſacrificia uſi fuerint. De his Nazaræis altum apud Scriptores alios ſilentium. Vix verò explicari poteſt, quî illi Nazaræi vocati fuerint, vel quî inter Iudæos referantur ab Epiphanio, qui eò impietatis procedere auſi fuêre, ut Moſen, cujus nomen

adeò sacrum erat genti Iudaicæ, è sacro Codice expungerent, qui tamen potissimam ejus partem constituebat.

XIX. *Nazaræorum* vel *Nazarenorum* nomen cæteroquin Christiani non fuêre adspernati, *Epiphanius* Hæres. XXIX. inquit, Paulum id non tantùm non negasse, sed & libenter admisisse, etsi sibi impositum ἀπὸ τῆς τῶν ἀντιλεγόντων κακονοίας, quum aliud nomen tunc temporis in usu non esset, quo Christiani designarentur, quanvis enim se Ἰησοῦ μαθητὰς vocarent, tamen, inquit Epiphanius, ἀκούοντες παρὰ ἄλλων Ναζωραῖοι, οὐκ ἀπαναίνοντο, τὸν σκοπὸν θεωροῦντες τῶν τοῦτο αὐτοὺς καλούντων, ὅτι διὰ Χριστὸν αὐτοὺς ἐκάλουν. Et sanè non ab hostibus tantùm, occasione fortè sumptâ à titulo cruci Christi per contemptum affixo, Christiani Nazaræi vocati, sed & à discipulis & viris sanctis Christus Ναζωραῖος vocatus, & Ναζαρηνὸς voce ad terminationem Latinam inflexâ. Imò idem nomen Christo tributum ab Angelo *Marc.* XVI. 6. Idem sibi Christus tribuit è cœlo *Act.* XXII. 8. ut & id à contemptu vindicaret, & convitium profanorum abstergeret, & se, quamvis ναζωραῖον per contemptum dictum, è cœlis patefaceret. Apostolus Paulus egregiam nobis edisserit ἐξήγησιν tituli נזיר Naziræi qui Christo tributus jam olim à Prophetis in typis, & repetitus à Mattheo, dum inquit *Hebr.* VII. 26. talem nos decuisse ἀρχιερέα, qui esset ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, καὶ ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν. Vnde evidens & sanctitatem & ὑπεροχὴν fuisse rem significatam per Naziræatum Iosephi & Samsonis quæ Christo præstanda erat, non ritus veteres, & ceremoniarum inanium observatio. Talia in Naziræatu spectata, & per prohibitionem omnium ex vite confectorum indicata, & ideo illum qui à talibus se abstineret *sanctum* vocatum, & in gradu Sacerdotis magni constitutum docet Majemonides in *More Nevochim* cap. XLVIII. Cuius operis eruditi quidem, inaccessi tamen plerisque, tralationem debemus CL. *Buxtorffio* paternæ in his litteris eruditionis & famæ ex asse hæredi. Videmus etiam à Viris sanctis Christum quidem Ναζωραῖον & ναζαραῖον vel ναζαρηνὸν vocatum, nunquam verò γαλιλαῖον, unde liquet aliquid eximii sub hoc titulo latuisse. Semel sanè Dominus hanc denominationem rejecisse videtur *Marc.* I. 24. dum increpat spiritum immundum, à quo vocabatur ναζαρηνὸς, sed non magis hic titulus à Christo ibidem

loci

loci rejectus quàm nomen ἰησοῦ, quod cum eo coniungitur à Dæmone, quanuis in fraudem, & pessimo instituto, ne Dominus videretur Messias, quia Nazarenus, non Bethleemita, vel ut suspectus saltem impuri spiritus testimonio redderetur Iudæis, quâ sine etiam honorificâ compellatione, sed in fraudem prosequitur Apostolos in Actis. Aliud enim, dicentem rejicere, aliud, dictum, aliud, am[...]ri materiam dicti, aliud finem. Imò ibidem habetur ἐξήγησις tituli illius, ναζαρηνὸν nimirum idem esse ac ἅγιον τοῦ θεοῦ, quod non magis rejiciendum, etsi tunc ex impuro ore profectum, quàm quod Christum ibidem vocat Ἰησοῦν, quod hostes Christi Christum veracem vocant & viam Dei docentem in veritate *Matth.* XXII. & quod πνεῦμα πύθωνος vocat Apostolos δοῦλους τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου, οἵτινες καταγγέλλουσιν ὁδὸν σωτηρίας. *Act.* XVI. 17.

XX. De *Naziræorum* cæteroquin institutis, ritibus, & documentis mysticis per umbras illas legales designatis hîc disputare nihil attinet: præstitum id à multis Viris Eruditis cum curâ. Sufficiat nobis, ostendisse, voces græcas ναζηραῖος, ναζαραῖος, ναζωραῖος, & ναζαρηνὸς promiscuè respondere voci Hebraicæ נזיר, Christum Dei jam olim nomine illo per typos designatum, eundem singulari Dei prouidentiâ Archelai metu Nazarethum compulsum, vt communi omniũ voce, hostium etiam, Ναζωραῖος publicè audiret: Hoc spectatum à Matthæo, quando inquit, Iosephum secessisse in vrbem Nazareth, ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται, ut qui humano instituto, id obtineret à loco, & morâ in eo, id divino cõsilio haberet à sanctitate, ὑπεροχῇ, & destinatione peculiari ad munus tum regium, tũ sacerdotale, quo & ab omnibus secerni, prę omnibus eminere, & Deo singulari ratione sacer, adeóq; verus Naziræus ἐξαιρέτως ὅσιος κεχαρισμένος vel κεχωρισμένος potius ἠ ἐστεφανωμένος esse debuit. Probabile itaque, quũ Christus Apostolis suis à resurrectione suâ edisseruerit omnia quę de se in Mose & Prophetis scripta erant, & eorum mentem aperuerit, ut intelligerent Scripturas, idem etiam donum miraculosâ Spiritus S. missione confirmatum voluerit & auctum, hoc quoque vaticinium ex illorum numero fuisse, adeoque religiosâ fide à Matthæo expositum, eâdémque nobis suscipiendum esse, prout & sensus multos alios, in Scripturâ veteris Testamenti laten-

tes, & nulli mortalium aliâs obvios ſacri Noui Teſtamenti Scriptores ſingulari Spiritus S. ductu alibi ſæpe primi prodidêre, quæ vera imò unica *Cabbala* eſt, cui à Chriſtianis reverentia debetur & obſequium. Id ſanè operam dedimus, ut quæ huic expoſitioni ſpecie aliquâ opponi poſſe videbantur, ea amoliremur, & rem planam eſſe oſtenderemus, quæ prima fronte impedita & perplexa videtur. Quo ſucceſſu id conati fuerimus, Lector æquus judicabit. Interim, quanvis hæc ſententia ſuperiore probabilior & planior mihi ſemper viſa fuerit, nihil tamen obſtat, quominus utraque conjũgatur, & dicamus, Mathęi ſcopum fuiſſe, oſtendere à Prophetis prędictum fuiſſe, Chriſtum vocandum Ναζωραῖον, 1. ut verum נזיר *Naziræum* per Naziræos veteres Ioſephum & Samſonem potiſſimùm jam olim deſignatum. 2. Vt verum illum נצר *ſurculum* qui è radice Ieſſe ſuo tempore prodire debebat. Quod non incommodè fieri poteſt, ſi non exactè litteræ vel ſcriptionis vocis ναζωραῖȣ habeatur ratio, ſed & cognata vox admittatur, cujus ſignificatio & applicatio Chriſto Servatori convenienter tribui poteſt. Et ſic optimè etiam ratio reddi poterit, cur non Prophetę, ſed Prophetarum meminerit Matthæus, plura videlicet loca, & diverſi quidem generis ſimul ſemelque ab eo ſpectata fuiſſe. Iudicium ſit penes Lectorem, ἡ πορφύρα παρὰ τὴν πορφύραν διακριτέα, habet vetus adagium, ſic ex collatione plurium opinionum & rationum, quibus illæ nituntur, certius judicium, διάκρισις etiam ſolidior & plenior.

XXI. Ad Phaſim uſque hactenus à nobis navigatum videtur in hoc æquore. Vnum tamen reſtat occupandum, quo ſub finem defungemur. Vtrum nimirum *Monachatui & votis monaſticis* pręſidium aliquod ſit ſive in Naziręatu veteri, ſive in nomenclatione Naziręi Chriſto tributâ, quaſi ille ſuos etiam Naziræos habere debuerit in Novo Teſtamento. *Bellarminus* ſanè agens de *Origine Religionum*, ut loquitur, ſive potius de inſtitutione ordinum Monaſticorum, lib. II. de Monachis cap. V. inter probationes alias antiquitatis vitæ, quam vocat, religioſæ, argumentum etiam ducit à votis Nazaręorum, qui ſe ipſos Domino conſecrarint, *Num.* VI. ad illorum exemplum etiam in Eccleſia quoſdam ſeipſos totos divino cultui devoviſſe ſecundùm Origenem homil. II. in Levit. cui ὁμόψηφοι pręter multos alios

Cornelius

Cornelius à Lapide Comment. in caput VI. Numer. ubi prolixè ostendere satagit, Nazaræos Religiosorum Pontificiorum vitam præsignasse, inquit verò 1. eos esse veros Nazareos, id est, separatos à communi hominum vitâ, & coronatos in capite quasi Reges & Cæsares tam cœli quàm terræ. Sic v. 21. Nazaræatum vocari *statum perfectionis* & *sanctificationis* scilicet Legis Veteris, ut Religio in Lege novâ status est perfectionis non acquisitæ, hunc enim esse Episcopatum, sed acquirendæ per tria vota. 2. Religiosos ut Nazaræos, vino & omni eo quod mentem turbat vel inquinare potest, abstinere debere. 3. Nazaræos acinis abstinere debuisse, ne ab acinis ad uvas, ab uvis ad vinum transirent, ita & Religiosos omnem etiam minimam & remotam occasionem gulæ & peccati prescindere debere. 4. Nazareos non potuisse lugere mortuos, etiam patrem vel matrem, ita Religiosos omnes affectus carnales erga parentes truncare debere. 5. Nazareos pollutos fuisse ex sola presentiâ cadaveris, sic Religiosos ab omni peccato remotissimos esse debere. 6. Nazareorum sanctificationem maximè sitam fuisse in cæsarie nutriendâ, hanc mysticè esse sanctarum cogitationum germinationem, has fovere Religiosos. 7. Si contingeret Nazareum pollui super mortuo, cæsariem eius quasi pollutam rasam fuisse, ut nova succresceret. Ita Religiosos si cogitationes eorum & affectus inquinentur, mox eas amputare, & alias sanctas accersere. 8. Si pollueretur Nazaræus, dies preteriti Nazaræatus irritos judicatos, & de novo tempus voti inchoandum fuisse, ita Religiosum, si lapsus sit, novo conatu viam virtutis arripere debere. 9. Peracto voti tempore, rasum fuisse Nazareum, & capillos in altari holocausti crematos, hostias oblatas, imò holocaustum, sic Religiosum nihil habere quod Deo non offerat, *externas opes* per votum paupertatis, *bonum corporis* per votum castitatis, *bonum animæ* per votum obedientiæ, imò Religionem esse secundum baptismum, & martyrium.

XXII. Monachatus instituta & vota monastica jam dudum cum curâ confutata à Theologis Orthodoxis, & demonstratum, illa esse *ἄγραφα, ἀντίγραφα, ἄλογα.* Vnde de *Thesi* multa passim in nostrorum scriptis. Nobis *hypothesis* potissimùm vindicanda, & illa abstergenda, quę occasione tituli Christo tributi urgentur à Pontificiis, sed ratiocinatione vitiosâ. Ostensum

in ſuperioribus, qua de cauſa, quo ſignificatu, quo fine Chriſto Nazirę̨i nomenclatio tributa fuerit. Nec quicquam inde pro votis Monaſticis exſculpi poſſe, ex illorum lectione liquebit. Non dubitandum verò, quin Chriſtiani debeant eſſe Naziræi Deo, hoc eſt, inſtar Servatoris ὅσιοι, ἄκακοι, ἀμίαντοι, κεχωρισμένοι ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν. Id verò commune officium omnium eſt, non paucorum tantùm. Nec qui hactenùs Naziræi cenſeri volunt, vel *Anachoretæ* eſſe debent ſive *Eremitæ*, vel *Cænobitæ. Alij Myſorum, alÿ Phrygum termini ſunt*, alii Naziræorum, Monachorum alii, ſive μονόβιοι illi ſint, ſive κοινόβιοι. Diverſa utrorumque inſtituta, diverſus caſtus, diverſi fines, diverſa φρονήματα, diverſę appendices, immò omnia diverſa. Malè ergo hîc à *Bellarmino*, *Cornelio à Lapide* & ὁμοσπόνδοις aliis ſaltus factus ἀπὸ δωρίου ἐπὶ φρύγιον, & admiſſus *Elenchus parium*. 1. Nazirę̨i vel *nativi* erant inter Iudæos, vel *votivi*, illi alienâ deſtinatione, iſti propriâ tales. Monachi nec *nativis* Nazirę̨is reſpondent, nec *votivis*. *Non nativis*, quia nec divino edicto tales ſunt, nec nuncupatione parentum legitima & Deo probatâ. Immò illorum ingratiis ſæpe filii cucullum induunt, virgines velum. *Non votivis*, quia iſtorum profeſſio temporaria erat, Monachorum perpetua. 2. Naziræis locus erat ſub pædagogia legali, ſtante tabernaculo veteri, ſub umbrarum & figurarum periodo: Synagogâ verò ſepultâ, & tabernaculo collapſo non item, quod non magis per Monachatum vel per Nazirę̨orum vota reſtituendum, quàm per ceremonias legales alias, quę hodie non mortuę tantùm ſunt, ſed & mortiferę, non inanes ſolùm ſed & pernicioſæ. 3. De Nazirę̨is pręcepta divina habentur in Scriptura, exempla laudata, ſanctiones, leges. De Monachis & Monialibus altum ſilentium. 4. Naziræorum θρησκεία coercebatur intra pauca inſtituta, illis coma erat alenda, vitis & quę à vite vitanda, & à contactu cadaverum abſtinendum. Monachorum πολιτεία non tantùm circa innumera occupatur, ſed & circa alia omnia, & in ſtudiis contrariis prorſus. Tonſura inter Monachatus Leges eſt, quamvis contraria interdicto, quod *Levit.* XXI. 5. Quęſtus ex cadaveribus & illorum pollinctura & ſepultura ingens, uvarum & vini uſus liberrimus, quem familiæ monaſticę ſibi nondum interdixêre. 5. Nazirę̨i Deo ſoli ſacri erant, Monachi hominibus, quorum regulas

regulas profitentur, quos patronos venerantur, imò velut tutelaria numina, à quibus nomen, instituta, vitę genus, vestem, tesseram, & alia id genus mutuantur, quibus vota, studia, cultum, imò seipsos velut mancupio addicunt. Hinc tot familiæ, & familię non diversę duntaxat, sed & adversæ, & δὶς διὰ πασῶν à se invicem contrariis studiis dissidentes, quarum ęmulationes, rixæ, contentiones, dissidia orbi nota, numerus vix illis, qui non hoc unum agunt. 6. A Nazirę is nec humana instituta observata, nec observata cum appendicibus monasticis, nec ab illis vel perfectio prætensa, vel merita jactata, vel opera supererogatoria conficta, vel aureolæ occupatæ, vel alia id genus assuta suis votis, quæ Deum de gradu dejiciunt, hominem inflant, ἐθελοπερισσοθρησκείας innumeras invehunt, imò dogmata & placita multa verbo Dei, officio hominis Christiani, & iis quæ vel nobis vel aliis debemus contraria. 7. A Naziræis vota ejusmodi nuncupata, quorum observatio non solùm innoxia erat, sed & facilis & ἐφ' ἡμῖν: Monachorum non item, quorum vota vel iniusta, quale votum *obedientiæ cecæ*, vel non nostri arbitrij, quale votum *cœlibatus perpetui*, vel temeraria & illusoria, quale *votum paupertatis*, singula λόγον ἔχοντα σοφίας ἐν ἐθελοθρησκείᾳ καὶ ταπεινοφροσύνῃ καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, in quibus mera μόρφωσις εὐσεβείας, virtus ejus non item.

XXII. Hæc & alia id genus sufficere possunt probando instituto, perperàm à Naziræatu veteri ad Monachatum argumentum duci. Ναζηραίους cęteroquin genus quoddam Monachorum, vel ἱερέων saltem apud Turcas esse docet *Laonicus Chalcondyles* lib.VII. ex κακοζηλίᾳ Nazirę orum veterum dubio procul ortum. Pontificij utique nollent Monachos suos τῆς αὐτῆς φρατρείας μετέχειν, vel in eorum censum referri. Authoritatem *Origenis* quod attinet, illa *Bellarmino* inutilis est, tum quia humana & ὑποβλήθιμος, tum quia gratis adducta, quum Origenes istic loci ne verbo quidem meminerit Monachorum, sed applicationem instituat generalem, unumquemque nostrûm, qui vult esse Sanctus, consecrari Deo debere. Adde, aliam longè Monachorum rationem fuisse, quos Origenis ætas vidit, & secula prisca, aliam illorum, quos vidêre secula sequiora, & nostra, qui urbes & orbem hodie occupant, & nihil minus sunt quàm μοναχοί. Non deserta amplius incoluntur, nisi à paucis quibusdam in-

geniis quibus ſolitudinem commendat vel deſperatio, vel pudor, vel morbus. Aliud Cœnobitarum hodie inſtitutum, qui omnia perreptant, aulas, curias, gynæcæa, familias, & in conferta turbâ rem faciunt, nullâ vel nominis, vel inſtituti veteris habitâ ratione. De diſcrimine ingenti Monachorum veterum & recentium, ut & de aliis illius argumenti vide Tractatum operoſum *Rodolphi Hoſpiniani*, Viri Clariſſimi de Origine Monachatus, & alios ex noſtris qui de hoc argumento diſputarunt, Celeberrimum præſertim Theologum, *Petrum Molinæum*, à quo hæc quoque materia eruditè & facundè, ut & pleraque alia, quæ inter Eccleſiam Romanam & noſtras controverſa intercedunt, pertractata. Imò è Pontificiis ipſis non defuêre viri graves & candidi, quibus vota monaſtica parùm probata, monaſteriorum ingens numerus perſtrictus, vitæ monaſticæ corruptelæ, & incommoda & plurima & gravia oſtenſa ac deplorata. Inter quos *Petrus Cluniacenſis, Nicolaus de Clemangis, Petrus de Alliaco, Aluarus Pelagius* aliique. *Georgius Caſſander* ingenuè fatetur art. xxv. Conſult. longè Monachatum hodie à prima ſua origine degeneraſſe, & magnis abuſibus contaminatum & deformatum eſſe, religionem veram & ſolidam in ſuperſtitionem & inanem ſpeciem religionis converſam eſſe, in locum pietatis larvas ceremoniarum ſucceſſiſſe, in quibus, veræ pietatis operibus neglectis, ſumma totius religionis conſtituta ſit. Veſtigia quidem adhuc communis & Canonicæ vitæ, ſed in ædificiis ac nominibus tantùm, manere fatetur, cæterùm oſtendit Monachatum non in ea forma perſtitiſſe, quæ deſcribitur ab Athanaſio & Patribus. Immò in illam ipſam familiam, cujus inſtitutum recens, nomen ſuperbum, artes miræ, & in quâ omnia ſeculi auctoramenta, corruptelas varias & graves jam invaſiſſe, ex querelis *Ioannis Marianæ* veterani ipſius *Societatis* Patris liquet. Inde evidens, quàm parum tutum ſit, extra Dei verbum vocationes novas ſine vocatione affectare, pietatis & perfectionis obtentu alia ab imperatis in religione moliri, & alium callem ad vitam quærere, quàm qui calcatus à Domino, & ſanctis Dei viris actis à Spiritu S.

XXIII. *Cornelij à Lapide* paralleli inter Naziræos veteres & Monachos recentes, rhetorici ſunt, non apodictici, nec tam oſtendunt quales ſint Monachi quàm quales eſſe debeant.

Ἀναπαυλὴ *illorum* facilis, & occupanda à nobis, ſed διὰ βραχέων. 1. Monachos ſeparatos eſſe à communi hominum vitâ, tonſura, veſte, θρησκεία externâ, conſiliis, inſtitutis concedimus: ſanctitate, perfectione, meritis non item. Alia etiam ſeparatio *iuris*, alia *facti*, alia *inſtituti divini*, alia *inſtituti humani*, ſeceſſio Monachorum ſecundi generis eſt, non primi. 2. Eoſdem, ut loquitur *Cornelius à Lapide*, Reges & Cæſares cœli & terræ eſſe, ob tonſuram coronalem, novum & ioculare, immò ne Pontificiis quidem creditum, quanvis ſuo modo omnes illi Reges ſint, qui verè nomen Chriſtianum profitentur, & ejus dignitatem pro dignitate ſuſtinent. 3. Naziræatum vocari ſtatum perfectionis *Num.* VI. 21. gratis dictum, & ex verſione vitioſâ duntaxat, quæ habet, *ita faciet ad perfectionem ſanctificationis ſuæ*, quum in textu Hebræo legatur, כן יעשה על תורת נצרו *ſic faciet ſecundùm Legem Naziræatus ſui.* LXX. κατὰ τὸν νόμον ἁγνείας αὐτοῦ, quæ toto cœlo diſtant. *Gerſon* jam olim liberè faſſus, *Religiones huiuſmodi factitias ſatis impropriè, abuſivè, & forſan arroganter dictas eſſe ſtatum perfectionis*, prop. IV. Nihil verius dictum. Et ſanè perfectionis ſtatus non *viatorum* eſt, ſed *comprehenſorum*, non illorum qui in via, ſed illorum duntaxat qui in patria, in qua ſola demum pervenitur εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ. Agnitio candida imperfectionis ſola τελειότης eſt, quæ in viatore reperiri poteſt, quando cum illa conjuncta ἁπλότης, ἀκακία, ὁσιότης, & continuum profectus & perfectionis ſtudium, ab hac ſola תמימים τέλειοι in hac vita dici poſſumus, oppoſitè ad illos qui vel νήπιοι, vel δόλιοι. Spiritus juſtorum qui in panegyrin cœleſtem recepti, ſoli verè τέλειοι & τετελειωμένοι. 4. Epiſcopatum in Eccleſia Romana eſſe ſtatum perfectionis acquiſitæ vix Epiſcopi illi fatebuntur, qui ad alios ſuperiores ſurgunt, vix illi qui ad alios adſpirant & novum ſyrma quærunt. In Epiſcopatu cæteroquin Romano perfectio ſępe, ſed ſecularis tantùm, non ſacra, opum & lautitiarum, non ſanctitatis, adeoque ὑπεροχαὶ ſeculi duntaxat, non cœleſtes. 5. Perfectionem per tria illa vota acquiri, eſt τὸ ἀμφισβητούμενον, immò πρῶτον ψεῦδος, quod probandum, non ſupponendum. 6. Ab iis abſtinendum eſſe, quæ mentem turbant, nec Monachorum inſtituta docent, nec praxis, quippe qui nec vino abſtinent, nec negotiis multis ſecularibus, nec vel politica vel œconomica

ſibi interdicta volunt. 7. Omnem occaſionem gulæ & peccato præcidere, non Monachorum tantùm, ſed & omnium Chriſtianorum. 8. Affectus carnales erga parentes nec per ſe vitioſi, nec prohibiti, non exuendi itaque, ſed moderãdi, non exſtinguendi, ſed coercendi, & Deo ſubmittendi, quotieſcunque id res exigit. 9. Non Naziræi tantùm Romani, ſed Chriſtiani omnes & religioſi eſſe debent, & à peccato omni quàm remotiſſimi. 10. Applicatio cæſariei Naziræorum ad ſanctarum cogitationum germinationem & contorta eſt, & precaria, & omnibus ex æquo incumbit, quum cogitationes ejuſmodi & omnibus imperatæ ſint, & ab omnibus debitæ. 11. Si Monachorum eſt cogitationes & affectus inquinatos excutere, innumeræ *Caſuiſtarum* & *Confeſſariorum* quæſtiones verè Oſcæ & infames excutiendæ, & mens ſubducenda ſcrutinio ejuſmodi ſpurco & profano. Nota ſunt Orbi egregia *ὑπομνήματα Burchardi, Sanchezij, Toleti, Emmanuelis Sa*, quæ non ruborem tãtùm ſed & horrorem caſtis mentibus & oculis exprimunt. Omnium cęteroquin Chriſtianorum eſt operam, animum, ſe totos addicere meditationibus ſanctis. 12. Sic omnium eſt lapſu intercedente novo conatu ad viam virtutis graſſari. 13. Sic nihil Chriſtianus habere debet quod non Deo ſacrum eſſe velit, opes, corpus, animum, ſive *affectu ſolùm*, ſive & *affectu*, & *actu*, ubi id Dei gloria poſtulat, & vocatio. 14. Deo offerri externas opes per *votum* monaſticum *paupertatis*, falſum, vel enim votum illud temerarium, vel illuſorium: temerarium, ſi nuncupetur à divite, adverſum quippe juri utrique tum naturali, tum civili, contrarium etiam prudentiæ & officio hominis Chriſtiani: Idem votum illuſorium, ſi nuncupetur à paupere, cui trium tantùm dierum commeatus, & cui eſuriendum foret citrà votum illud paupertatis. Vtrobiq; ſive in divite, ſive in paupere emittente ejuſmodi votum vocationis novæ affectatio ſine vocatione. Paupertatem immiſſam divinitus fortiter ferre, Chriſtiani eſt, accerſere ſtolidi & inſani. Nec paupertatis votum nuncupatur à talibus, ſed deſidiæ, nec uſui bonorum vale dicitur, ſed dominio tantùm. Atqui pauper cenſeri non debet, qui non poſſidet bona, ſed cui bona neceſſaria non ſuppetunt. Ille pauper, non cui interdicta tantùm adminiſtratio bonorum, ſed & cui interdictus illorum uſus. Notum ſatis paupertatem non privationem ſolùm
eſſe,

esse,sed priuationem conjunctam cum indigentiâ,quę & à dominio rei *præscindit*,ut *barbari* loquuntur, & ab ejus fruitione & usu. Aliâs illi qui nondum suæ spontis sunt, omnes pauperes forent, immò ipse hæres, quamdiu alieno imperio obnoxius est, ἄχει τῆς προθεσμίας. Nec video, quî illi pauperes dici possint, quibus prospectum de necessariis omnibus, & affatim, & perpetuò, & quidem sine curâ. 15. Deo etiam offerre *bonum corporis* per votum castitatis omnium est,non Monachorum tantùm. Nec castitas confundenda cum cœlibatu, vel opponenda conjugio,sed scortationi & vitæ impuræ,sive in cœlibatu actæ, siue in conjugio. Nec continentia perpetua donum vel commune, vel perpetuum, vel arbitrarium. *Qui potest capere capiat. Vnusquisque suum donum habet.* Præstat verò γαμῆσαι ἢ πυρῶσθαι, in conjugio vivere,quàm in concubinatu. Illud τίμιον per se omnibus & κοίτη ἀμίαντος,istud nunquam. Adde cœlibatum donum habenti impositum esse, non habenti prohibitum. 16. Nec *bonum animæ* Deo offertur per votum *obedientiæ* claustralis, sed homini,in cujus verba,regulas,disciplinam,vestem,vestigia juratur, in cujus clientelam se monasticen professus totum transdit, cui votum nuncupat cum dispendio & libertatis Christianæ, & juris soli Deo debiti, cui soli obedientia absoluta debetur,quanvis & istam Deus non cæcam esse velit,sed oculatam. Illa obedientia Deo duntaxat debetur, quæ fundatur in solâ *anthoritate imperantis*, obedientia hominis erga hominem fundari etiam debet in *natura rei imperatæ*,aliâs non obedientia est, sed brutus tantùm impetus,imò inobedientia coram Domino, quia hominem in Dei thronum sublimat, imperantem facit ἀναμάρτητον, imperia ejus ἀνυπόδικα, obsequentem, mediastinum & mancipium humanorum imperiorum, imò inferiorem illis qui in catastâ exponuntur. Et λατρεία & δουλία omnis nostra non bruta esse debet, sed λογικὴ,si respectu Dei, multò magis respectu hominum. *Pretio empti* sumus, ne simus *servi hominum.* Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω. Probandi Spiritus, mandata, leges immò omnia humana. 17. Religionis Monasticæ votum, vel secundum baptismum esse, vel martyrium, ἄγραφον, ἀντίγραφον, ἄλογον, ἄκυρον, immò respectu baptismi ἀσεβές. 18. Fundus mali consistit in fabricâ nova *consiliorum Evangelicorum, materiâ,subiecto,formâ,fine* diversorum à *præceptis*.

Consilia expedientiæ, dari possunt, *perfectionis* non item, *prudentiæ*, non *meriti*, in *adiaphoris*, non in *necessariis*, nec tam *in rebus* quàm *in circunstantiis rerum*. Hominum etiam suasiones, consilia sunt, Dei, præcepta. Nos superiorum, æqualium etiam quandoque consilia præcepta vocamus, & nobis Dei consilia inferiori loco erunt? Nihil Deus consulit, quod non bonum, iustum, sanctum. Nihil tale quod non pręceptum. Sub perfectâ Dei & proximi dilectione omnia comprehensa. Homo debet utramque ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς, ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, ἐξ ὅλης τῆς συνέσεως, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος. *Marc.* XII.33. Supra hoc hominem aliquid posse, ἀκατάληπτον, nec credibile nisi illis qui omnem rationis usum sibi ultrò interdixêre, & reverâ cæcam & brutam obedientiam ductoribus suis vovêre.

His expensis liquebit Lectori candido, nec *Consiliis* ejusmodi *Evangelicis*, qualia in Ecclesia Romana obtruduntur, locum esse, nec vel *Naziræi* nomen quod Christo tributum, vel Naziręorum veterum vota & instituta Monasticæ professioni favere, nec vel paupertatis voluntariæ, vel cœlibatus perpetui, vel obedientiæ cœcę votis quicquam commune esse cum Naziręatu vetere Iudęorum. Adde, Iosephum & Samsonem Naziręos, qui typi Servatoris nostri suprà à nobis constituti, nec paupertatis votum nuncupasse, nec cœlibatus, nec *despoticum* ejusmodi ullorum mortalium *imperium*, obedientiæ cæcæ & brutę obtentu, admisisse, quod erat demonstrandum.

DUBIUM XCV.

Quî dicat Matthæus *cap.* III.I. Iohannem adfuisse ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, *in diebus illis*, quum id ratio temporum nec ferat, nec ferre possit?

EXAMEN.

Ratio dubitandi. Solutio duplex. Quæ subintelligenda in verbis Matthæi. Quæ significatio phrasium

ſium Hebraicarum reſpondentium phraſi Matthæi. Quid יום *&* ימים LXX. *Interpretibus. Phraſis Matthæi illuſtrata ex loco gemino.*

I. RAtio dubitandi, Hiatus ingens plurium annorum interjectus inter κατοικισμὸν Ioſephi in Nazareth, & adventum Iohannis, quum ille incidat in *Iulianum* XLII. ſecundùm quoſdam, ſecundùm alios in *Iulianum* XLV. Iſte in *Iulianum* LXXIII. reſpondentem anno XV. Tiberij, quo Iohannes prodiiſſe dicitur. *Luc.* III. 1. 2.

II. *Solutio* duplex notanda. 1ª ἐν inſtar ב Hebræi poni pro μετὰ, ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις per Hebraiſmum, pro μετ' ἐκείνας τὰς ἡμέρας, בימים האלה pro אחרי הימים האלה. 2ª Verba illa referenda eſſe non ad *initium* κατοικισμοῦ Ioſephi in Nazareth, ſed ad *continuationem* ejus, hoc ſenſu, Chriſto adhuc moram trahente in oppido Nazareth, ex quo cum Ioſepho illuc conceſſerat, adveniſſe Iohannem. Chriſti verò moram diuturnam in Nazareth, probant 1° Nomen Ναζωραίου quod illi promiſcuè hæſit. 2° Reditus Chriſti duodecennis εἰς Ναζαρὲθ. *Luc.* II. 51. 3° Exortus Chriſti ἀπὸ τῆς γαλιλαίας, in qua Nazareth, de quo *Matth.* III. 13. Verba itaque Matthæi ſic dilatanda & explenda, ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ſcilicet τοῦ κατοικισμοῦ, vel τῆς κατοικήσεως Χριστοῦ ἐν Ναζαρὲθ, vel ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, Χριστοῦ κατοικοῦντος ἔτι ἐν Ναζαρὲθ, παραγίνεται Ιωάννης, &c. Non ergo hic quærenda connexio *immediata* vel *rerum geſtarum*, vel *temporum* cum iis quæ deſcripta *capite* ſecundo.

III. *Inſt.* Atqui verba Matthæi *immediatam* omnium *connexionem* innuunt, quum & *dierum* & *illorum* quidem *dierum* definitè meminerit, non indefinitè temporis vel annorum. *Reſp.* Notum eſſe *Hebraiſmum* conſuetum, non alienum nec à conſuetudine Matthæi, nec à ſtylo patrio. Quid frequentius in ſacris litteris phraſibus בימים ההם vel בימים האלה pro ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ. Sic ſæpe ימים באים apud Prophetas de tempore futuro. ימים ergo vel ἡμέραι interdum *ſtrictè* ſumuntur in ſacris pro diebus ſive *naturalibus*, ſive *civilibus*, interdum *laxe* pro annis, temporibus. Exempla paſſim obuia.

Vnde LXX. Interpretes vertunt prudenter יום & ימים non solùm ἡμέραν, sed & indefinitè καιρὸν, χρόνον, ἔτος, βίον, γενεάν. Sic מיום LXX. ἀπ' ἀρχῆς. *Targumistæ* pro יום sæpe habent זמן & עדן tempus vel definitum vel indefinitum. Vnde optimè hîc Doctissimus *Interpres* vertit verba ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, *temporibus illis*. Sic verba 1.*Sam.* 1.3. מימים ימימה ἐξ ἡμερῶν εἰς ἡμέραν, ἐξηγητικῶς exponuntur per gemina alia שנה בשנה ἐνιαυτὸν κατ' ἐνιαυτὸν, *versu* 7. Nota etiam phrasis, באחרית הימים ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις quæ respondet phrasi Græcæ, ἐν ὑστέροις καιροῖς, & *latissima* est, complectens totum interuallum interjectum inter ascensionem Christi in Cœlum, & reditum ejus ad judicium. Phrasis cæteroquin Matthæi illustrari potest exemplo gemino quod *Exod.*II.II. ubi בימים ההם ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις dicitur contigisse per Mosen, quod tamen longè post illa tempora demum contigit, quorum mentio fit versu præcedente. Et ut hîc à Matthæo saltus fit à pueritia Messiæ ad virilitatem ejus, sic & ibidem à Mosis pueritiâ immediatè transitum ad ætatem ejus maturam. Vt verò propiùs notetur tempus, quo contigêre narrata hoc capite, verba Lucæ connectenda cum verbis Matthæi, ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἐν ἔτει πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου Καίσαρος, &c. *Luc.* III.1.

DVBIUM XCVI.

Cur tantum διάστημα Historiæ Evangelicæ reperiatur apud Matthæum? Et cur acta pueritiæ, adolescentiæ, & juventutis Christi silentio transmissa ab omnibus Evangelistis?

EXAMEN.

Ratio dubitandi. Solutio. Summa eius rei ratio. Sapiens Dei dispensatio. Documenta varia. Quæ ætas Doctoribus præfixa à Iudæis. Chronologia

sacra

sacra integra. Quæ tempora Christi notata, & cur. Quomodo prima ætas Christo exacta. Narrationes hypobolimææ explosæ.

I. NON sine causâ in hoc argumentum inquiritur. Profanis enim cavillandi, piis mirandi materia objecta videtur, tot annorum Historiam prætermissam, Chronologiæ sacræ compagem luxatam, infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ, iuventutis Christi narrationem sepultam, gestorum illâ ætate à Domino memoriam interceptam. Cur paucos annos Historiæ Christi patere voluit Deus, latere plures? An tot anni otiosè illi transmissi? Immò, vel scriptione digna ab eo gesta, vel non? *Si prius*, scripto consignanda & æternitati commendanda videbantur: *Si posterius*, & in Christi Majestatem peccatur, & adstringitur nodus, quî Messias paucos tantùm annos exercitio muneris tum Prophetici, tum Sacerdotalis, tum Regii impensos voluerit, plures otio & quieti?

II. *Solutionem* quod attinet, observandum 1. Hæc facta per singularem Dei dispensationem, quæ summa ratio est, in qua Deus & officium nostrum nos jubent πιστεῦσαι. Dispensat ille tempora, & memoriam temporum pro arbitrio. Sapienter id factum à nobis credi debet, quia ab eo, qui ipsa sapientia. Nisi hac fibulâ coerceatur & constringatur curiositas humana, semper habebit quod oggenniat, cur non citius Messias missus, cur hoc modo missus, cur talia ab illo facta, non alia, cur tot, non plura, cur hoc tempore, non alio? & quæ sunt alia id genus. 2. Addi potest, id ipsum non tantùm Dei dispensatione factum, sed & convenientissimè factum, ut liqueret, Christum nobis per omnia similem ætatis inferioris infirmitates, sed ἀδιαβλήτους, suscepisse, & sensim adolevisse, quod notat disertè Scriptura *Luc.* II. 40. τὸ παιδίον ηὔξανε καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι. & *versu* 52. Ἰησοῦς προέκοπτε σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ. 3. Adde, sic ostensum, præparatione, & diuturnâ quidem opus esse ad munus in Dei domo convenienter administrandum, nec vel ad sacras functiones temerè convolandum, vel ejusmodi munia iis qui in cunis vagiunt assignanda, vel illis Episcopatus &

animarum curam committendam, qui curâ & inspectione aliorum egent, nec muneris dignitatem vel nosse vel tueri pro dignitate per ætatem possunt. Quo nomine in Ecclesia Romana contra sanctiones Apostolicas, & Canones veteres sæpe peccari, & majorem beneficiorum quàm officiorum rationem haberi, fatentur & queruntur Viri graves inter Pontificios. 4. Adde, sapienter à Christo exspectatum tempus, quo cum authoritate doceret, quod nonnisi illorum est, qui ætatem maturam attigêre. 5. Immo illâ ipsâ dispensatione per συγκατάβασιν singularem Iudæorum consuetudo observata, quibus ætas XXX. annorum vel præcepti divini, vel veteris instituti obtentu præfixa, priusquam Docturæ insignibus *clave cum pugillaribus* donarentur, & ad publicum docendi munus admitterentur. Vnde I. *Paral.* XXIII.3. ubi Levitarum numerus initur, illorum tantùm capita putantur qui vel triginta annos attigerant, vel illos erant supergressi. Quod ad quævis munera sacra à Iudęis promiscuè relatum. Ne ergo vel Christo vel Iohanni siue à gente adsuetâ isti ordini, sive ab hominibus protervis lis super ætate moveretur, illi tum demum ad docendum prodiêre, quando id per ætatem licebat, præcidendæ occasioni opportunæ cauillis Adversariorum.

III. Hinc liquet, cur tot annos latêre voluerit Dominus. Quia verò tot annos latere debuit, latere etiam debuit annorum illorum Historia. Non mirum ergo 1. hunc saltum à Mattheo factum, & ab infantiâ Christi ad ætatem maturam transitum, non mirum idem, uno actu excepto, ab Euangelistis reliquis occupatum. 2. Nec ob id Chronologiæ sacræ compages luxata, quę characteres adhuc sufficientes habet & tempori natalitio ἱκανῶς designando, & tempori suscepti à Christo muneris indicando, si Matthæi & Lucę narrationes conferantur. Tempus natalitium Christi, quantum satis, innuit notatio & regni Herodis, & Imperii Augusti, tempus suscepti muneris notatio anni XV. Tiberij, cujus mentio apud Lucam. Hęc verò narratio inter plures Euangelistas distributa tum vindicandę illorum fidei, ne ex compacto scripsisse viderentur, tum excitandę diligentię nostræ ad sedulam illorum σύγκρισιν. Quâ adhibita satis Chronologiæ sacrę prospectum, satis cognitioni nostræ. 3. Non mirum etiam infantię, pueritię, adolescentię, juven-

juventutis Christi pleraque silentio transmissa, quia à sacris Scriptoribus actis à Dei Spiritu non curiositati nostræ consultum, sed utilitati, non vanitati, sed necessitati. Illa ergo tempora notata, quæ nobis impensa, quæ in munere transmissa, quæ ad ἀσφάλειαν fidei nostræ sufficere visa, quæ Christum exhibent vel in Cathedrâ, vel in cruce, vel in throno. Sic etiam ostensum, illa tantùm nobis quærenda & vestiganda esse in Messiâ, quæ actus officij tum Prophetici, tum Sacerdotalis, tum Regij, cujus causâ venit, concernunt. 4. Nec ob id putandum, otiosè transactam tot annorum ætatem à Christo, sed precibus, sanctis meditationibus, & præparatione ad augustum illud quod sustinuit munus, transmissam, & sanctissimo illius exemplo pietatem omnibus commendatam, inculcatam, quod satis superque innuit Lucas, dum docet Christum cum staturâ, sapientiâ & gratiâ profecisse apud Deum, & apud homines, se parentibus obsequentem præbuisse, & cœlestis suæ sapientiæ documentum, muneris administrandi præludium insigne dedisse in templo Hierosolymitano. Illa ergo de pueritiâ Christi scripta, quę fidei nostræ & instruendæ & continendæ apta videbantur. 5. Narrationes *Iustini* & *Basilii* & aliorum quorundam ex veteribus de manuariâ opera Iosepho à Christo præstitâ, incertæ sunt, & otiosæ: Acta pueritiæ & adolescentiæ Christi libro fabuloso *de Infantiâ Salvatoris* expressa, hypobolimæa, miracula varia Christo afficta, commentitia. Piis omnibus cogitandum in talibus, optimum esse cum Apostolo, τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν. 1. *Cor.* IV. 6. nec hic curiositati humanæ fibulam laxandam esse, quam adstrictam Deus pro summa sua sapientia voluit.

DVBIA XCVII.

Qualis fuerit ἔρημος, quale *desertum* in quo Iohannes prædicavit *Matth.* III. 1. qualia *deserta* in quibus educatus *Luc.* I. 80?

EXAMEN.

Duplex *opinio.* Prior, desertum *planè desertum*

notari. Eius firmamenta. Posterior *opinio diversa. Eius* ἔκθεσις *&* κατασκευή. Ἔρημος *unde Authori Etymologici. Distinctio globi terreni Iudaica.* מדבר *unde. Quæ eius significatio sæpe in Scriptura. Quæ hoc loco* ἐρήμου *Iohannis.* Rationes. Ανασκευὴ *rationum oppositarum. Locus* Matth. *XI. 7. vindicatus à* Maldonati *cavillo. Vaticinium* Isa. XL. 3. *vindicatum. Scomma* Maldonati *ab* Helvetiâ *absterſum. An in solitudine augeatur Dei Spiritus.* Stapletoni *argutiæ. Illarum examen.* Beza *vindicatus à calumniâ. Distinctio* Stapletoni *inanis inter* מדבר *&* חרבה. Salmeronis, Iansenij, Stapletoni *confeſsio super significatione vocis* מדבר.

I. DVPLEX hîc sententia, *Pontificiorum* una, *Orthodoxorum* altera. *Pontificij* contendunt per ἔρημον, in quâ Iohannes & vixit & docuit, intelligendum esse desertum planè desertum, & ἀοίκητον, vacuum incolis, in quo nonnisi saxa, caudices, feræ. Scopum hujus interpretationis videbimus in sequentibus. *Rationes* illorum petuntur. 1. *A vi & usu vocis* ἐρήμου. 2. Ab *antithesi* inter locum è quo prodiit Iohannes, & locum in quem venit, quorum ille desertum vocatur, iste, *regio circumjacens Iordani.* 3. *A cibo Iohannis*, qui locustæ & mel, non domesticum, sed ἄγριον sylvestre, θηρευτικῶς. 4. *A verbis Christi Matth.* XI. 7. *Quid exiistis in desertum ut spectaretis? arundinem quæ agitetur à vento*, quibus innui videtur, Iohannem vixisse in arundineto vel in deserto arundinibus consito. 5. *A sede* hujus loci, quæ *Iesa.* XL. 3. ubi *Maldonatus* contendit מדבר ἔρημον designare solitudines asperas & inaccessas, qualia fuerint deserta interjecta inter Ægyptum, & terram sanctam, alludi enim in promissione de reductione populi è Babylone, ad

exitum eius ex Ægypto, ut itaque Deus olim Israelitas per invias solitudines infinitis difficultatibus superatis in Palæstinam intulit, sic promitti denuò Iudæis, Deum per inaccessas solitudines populo suo viam constraturum, nec quicquam Deo, quominus id faciat, impedimento futurum. Desertum ergo, in quo Iohannes fuisse dicitur, respondere deserto de quo Isaias loquitur, Isaiam autem non de Helvetiâ, aut de Hercyniâ Sylvâ loqui, sed de asperâ & inaccessâ penitus solitudine. Sic majus reddi miraculum, majus Dei beneficium erga populum suum. In simili solitudine habitasse Iohannem, non in paternis ædibus. Sic dici *Luc.* 1.80. *puerum fuisse in desertis, usque ad diem ostensionis suæ ad Israel.* Ideò verò Iohannem ab omni hominum convictu remotum habitasse, ut unà cum ætate cresceret Spiritu, quem in hominum frequentiâ rarò augeri, sæpe minui notat *Maldonatus.*

II. Duo nobis hoc loco præstanda. I. *Vera* interpretatio tum proponenda, tum probanda. II. Evertenda *falsa*, cum suis firmamentis. *Veram* interpretationem quod attinet, observanda 1° *Distinctio* vocis ἐρήμου, 2° ejus *applicatio. Distinctio* est, ἔρημον in S.Scriptura esse vocem ὁμώνυμον, & interdum sumi *absolutè*, interdum *comparatè. Absolutè*, pro loco planè inculto, *comparatè* pro loco minus culto, qui cum locis aliis cultioribus collatus desertum videri potest, qualis tractus asper, montanus, saltuosus sub horridiore cœlo, vel tractus, in quo non confertim homines sed velut sparsim habitant, ubi pagi, vici, oppida rariora. *Applicatio distinctionis* est, *posteriorem* vocis ἐρήμου significationem hîc de mente Matthæi esse, *non priorem.* Vtrumque verò nobis probandum, & *distinctio*, & *distinctionis applicatio.*

III. *Distinctioni* probandæ sufficit consideratio usus quẽ in S.Scriptura habent voces מדבר, & ἔρημος, quas interdũ *absolutè* sumi extra controversiam est. Hinc *Suidæ* ἔρημος κυρίως dicta ἡ μονωθεῖσα τῶν ἐνοικούντων γῆ, quasi à עירם *nudus. Authori Etymologici* ἔρημος ἀπὸ τοῦ ἤρεμος κατ' ἐναλλαγὴν τῶν στοιχείων, ἢ παρὰ τὸ ἔραν μόνην ἔχειν. Exempla hujus significatus passim obvia. Et hoc quidem significatu distinguunt *Iudæorum Magistri* globum terrenum in ים *mare* ישוב *habitationem* & מדבר *desertum. Comparatè* verò & *latè* etiam sumi sæpe מדבר Hebrçorum, adeoque

& vocem ἔρημον ei respondentem docent 1. *origo* vocis. 2. *Suffragium* LXX. *Interpretum.* 3. *Exempla Biblica* complura. *Origo*, quæ non ducenda à מן & דבר, ut quidam volunt, sed à דבר Chaldæorum, præfixo Mem Hæmantico, quod est *ducere, regere*, unde Hebræis מדבר locus pabulationi & stabulationi pecorum dicatus. Docet id satis parabola quæ *Luc.* XV. 4. vbi nonaginta oves dicuntur relinqui à pastore ἐν τῇ ἐρήμῳ, donec reducatur centesima. Sic constituitur grex in deserto *Psalm.* LXXVIII. 52. Sic apud *Suidam* ἐρήμασι τοῖς θρέμμασι, pecudes quæ in locis desertis vagantur. Vnde LXX. Interpretes מדבר non tantùm reddunt ἔρημος, sed & γῆ ἄνυδρος, ἀγρὸς, πεδίον, quæ *generica*, & communia locis minùs cultis. Sic *Ieremias* II. 2. per ὑπεξήγησιν interpretatur מדבר per voces ארץ לא זרועה *terra non consita.* Exempla verò huius etiam significatus passim obvia & ab Interpretibus Orthodoxis notata. Certum, *Ios.* XV. 61. tribui Iudæ sex civitates assignari unà cum pagis suis במדבר. Sic Nabal habitasse dicitur in deserto I. *Sam.* XXV. 2. Sic I. *Reg.* II. 34. Ioabi domus, in qua sepultus constituitur *in deserto.* Sic Idumæa II. *Reg.* III. 8. vocatur desertum, quæ tamen regio culta. Sic מדבר quod legitur *Psalmo* CVI. 3. positum pro יבשה *aridâ.* Eâdem latitudine sumitur חורבא *Syrorum.* Sic in Novo Testamento ἔρημος ὁ τόπος qui conterminus vicinis vicis, quum enim jam serum esset diei, dicunt discipuli Christo, ἔρημός ὁ τόπος, & tempus jam præteriit, dimitte populum ut abeat in vicos, & emant sibi escas. Quî verò die inclinante hoc fieri poterat, nisi vici fuerint propinqui?

IV. *Applicationi* distinctionis probandæ sufficit, 1. Ἐξήγησις & ἔκθεσις ipsius Scripturæ, cui ἔρημος, in qua Iohannes & vixit, & docuit est ἡ ὀρεινὴ *Luc.* I. 39. in qua & urbs, & domus Zachariæ, adeoque patria Iohannis. Hæc regio ἡ ὀρεινὴ τῆς Ἰουδαίας, quia edita, saltuosa, aspera, cōparatè ad regionem campestrem & amœniorem vocatur ἡ ἔρημος, vel αἱ ἔρημοι. Quâ loquendi formâ nihil usitatius in sermone communi. 2. Idem invictè probat *prædicatum*, quod Iohanni tribuitur, describitur ille κηρύσσων ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας, *prædicans in deserto Iudææ.* An verò in loco, ubi nil nisi caudices, saxa, rupes, feræ? an his prædicatum à Iohanne, an illis annuntiatum appropinquasse regnum

cœlorum,

cœlorum, an ab illis exacta resipiscentia? Nec dici potest, eò confluxisse turbam hominum, antequam enim de eo sermo fiat, jam legitur prædicasse Iohannes ἐν τῇ ἐρήμῳ. Immò tum demum hominum extra ἔρημον illam habitantium confluxus ad Iohannem datus, postquam ille se ad loca Iordani vicina recepit. 3. Nec vis articuli de nihilo, quando dicitur Iohannes prædicasse ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας. An in Iudæa erat eremus quædam *antonomasticè* sic dicta, & vicina quidem Hierosolymæ, quippe quæ ad Iohannem (in propinquo utique versantem) exivisse dicitur? Cur non dictum à Matthæo, illum prædicasse ἐν ἐρήμῳ? cur notanter ἐν τῇ ἐρήμῳ, & quidem ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας, nisi ut innueretur, per τὴν ἔρημον illam intelligi τὴν ὀρεινὴν τῆς Ἰουδαίας, quę verba Lucæ omninò respondent τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας. Novam enim topographiam Authorum sublestæ fidei parum moramur, qui deserta pro arbitrio nobis fabricant. Nec quæ hodie deserta ex singulari Dei maledictione, tunc etiam deserta fuêre.

V. *Rationes* Pontificiorum quod attinet, illarum ἀνασκευὴ facilis, & hîc *lis omnis nostra est*, ut ait *Comicus*. Ad Iam, A vi vocis ἐρήμου. *Resp. A genere ad speciem*, ab indistincto ad distinctum affirmativè argumentum vitiosè duci, latitudo vocis ἐρήμου suprà ostensa, ostensæ etiam rationes cur comparatè potius quàm absolutè ἔρημος hoc loco intelligenda. Ad IIam. *Ab antithesi* loci è quo prodiit, & loci in quem venit, *Resp.* Peccari *falsâ hypothesi*, & *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, nec antithesin institui à Matthęo, nec ab eo dici prodiisse Iohannem, nec si diceretur, quod à Lucâ dicitur III. 3. quicquam aliud sequuturum, nisi regionem circumjacentem Iordani distinctam fuisse ἀπὸ τῆς ἐρήμου in qua primò prędicavit Iohannes, & cultiorem fuisse illo deserto. Ad IIIam A *cibo Iohannis*, *Resp.* Vide *Dubium* XCIX. in cujus examine ostendetur, quis sit sensus verborum Matthæi, quæ ratio cibi Iohannis, unde liquebit nihil omninò in verbis illis præsidii esse interpretationi Pontificiæ. Ad IVam. *A verbis Christi Matth.* XI. 7. *Resp.* 1. Illa esse ἀπροσδιόνυσα, quum de arundine mentio fiat à Christo non ad deserti, in quo Iohannes, descriptionem, sed ad ἔνδειξιν constantiæ & firmitatis Iohannis per ἀντίθεσιν ejus ad levitatem arundinis agitatę vento. 2. Immò non magis arundinis mentione describitur ibi desertum, quàm mentione *hominis*

mollibus vestibus amicti, cui pari ratione opponit Christus Iohannem. Vtrobique enim dictum à Christo, *quid exiistis ut videretis? arundinem quæ agitetur à vento, hominem mollibus vestibus amictum?* Vnde non magis concludi potest desertum illud fuisse arundinetum, quàm in eo fuisse homines mollibus vestibus amictos. Per *βίαιον* ergo potius licebit nobis concludere, quemadmodum Christus removet à deserto illo homines mollibus vestibus amictos, sic & arundines, & arundineta, & ostendit alibi & arundines & homines *μαλακοὺς* quærendos. 3. An etiam quævis loca in quibus arundines & arundineta aspera sunt, inaccessa, & solitudines inviæ? Ad v^am^. *A sede hujus loci* ex *Iesa.* XL.3. *Resp.* De hoc vaticinio Prophetico suo loco agendum. Sufficiat notasse, illationem esse inconsequentem: *Vel* enim secundùm quosdam sermo tantùm de præconio Iohannis Baptistæ, & promulgatione liberationis sequuturæ per Christum: *vel* secundùm alios ad *litteram* sermo de publicatione liberationis populi Dei per Cyrum è captivitate Babylonica, *mystice* de redemptione generis humani è captivitate Diaboli per Christum: Neutro modo sequitur מדבר hîc significare solitudinem inaccessam. Si *primam interpretationem* sequamur eadem erit ratio & significatio vocis מדבר apud Isaiam, quæ vocis ἐρήμου apud Matthæum, & utrâque designata ἡ ὀρεινὴ τῆς Ἰουδαίας. Sin sequamur *posteriorem*, nihil aliud innuit Propheta, nisi Deum obstacula omnia amoturum, quæ obstent tum liberationi populi corporali è Babylone per Cyrum, tum liberationi ejus spirituali è manu Diaboli per Christum. Quod exprimit Propheta graphicè, conferendo reductionem populi è Babylone, cum eductione ejus ex Ægypto, reditum arduum per loca aspera etiam & difficilia cum itinere Israelitarum per solitudines interjectas inter Ægyptum & Palæstinam. Difficultatibus illis superandis introducuntur præcones Cyri per προσωποποιΐαν clamantes, ut in deserto etiam via paretur populo Dei. מדבר ergo designare potest loca omnia salebrosa & difficilia, immò obstacula omnia quæ videbantur transitum Iudæorum morari posse, & æquipollet ibidem τῷ ערבה, prout פנו דרך idem ibidem quod ישרו מסלה: *parare enim viam*, & *rectam facere semitam*, ἰσοδύναμα istic loci. An verò omnia loca interjecta inter Babylonem & Hierosolymam, solitudines meræ, eremus mera?

Scopus

Scopus itaque Prophetæ eſt, nihil obſtiturum reduci populo, obices omnes amoliendos, & deſertum potius, ut jam olim, complanandum, quò promiſſio Dei omnimodis impleatur. Quid hîc pro eremo Iohannis? An præcones Cyri in ejuſmodi deſerto auditi? Cur ex deſcriptione proſopographicâ & ſymbolicâ propriam infert concluſionem *Maldonatus*? An ex alluſione ducendum argumentum? vel enim à Cyri præconibus in deſerto h.e. in ſolitudine inacceſsâ clamatum, vel non. *Si prius*, probet id *Maldonatus*, & cui bono clamatum, an compellati caudices, ſaxa, feræ? *Si poſterius*, & hæc per προσωποποιΐαν à Propheta dicta, quid inde pro *deſerto* Iohannis? *Inſt.* Æqua videtur ratio reductionis populi è captivitate Babylonicâ, quæ eductionis ejus ex Ægypto, ergo & *deſerti* utrobique per quod tranſitum. *Reſp.* 1. *Elenchus parium*, poſterius liquet & ex topographiâ, & ex ſacris, ingentes ſolitudines interjectas fuiſſe inter Ægyptum & Palæſtinam, & populum Iſraeliticum diu in illis divinâ diſpenſatione detentum, poſterius nec ex topographicis æquè liquet, nec ex Scripturâ. 2. מדבר vel totum ſpatium notat interceptum inter Babylonem & Iudæam, vel in genere obſtacula quævis, quæ ut deſertum quoddam vaſtum, iter intercludere populo Dei videbantur. *Inſt.* At ſic & miraculum redditur majus, & beneficium, ſi per loca inacceſſa populus reductus poſtliminiò ſtatuatur. *Reſp.* Satis locus miraculo, & ingenti miraculo ſine hoc commento, tum in beneficio, tum in modo vel qualitate beneficii, ſatis locus admirationi noſtræ, ingentem populum reſtitutū fuiſſe priſtinæ libertati, & reſtitutum ab hoſtibus, & reſtitutum ultrò & reſtitutionem illam profani Principis mandato promotam, nec vi vel armis ſed ſecretâ tantùm inſpiratione extortam. Quæ interpretatio nō obſtat quominus quod in *typo* de liberatione externâ populi Dei dictum, optimè ad regnum Chriſti & ejus præconem Iohannem à Matthæo fuerit relatum, ut ſuo loco oſtendetur. Cæteroquin concedimus facile non magis de Helvetiæ vel Hercyniæ deſertis Ieſaiam loquutum, quod διασυρτικῶς notat *Maldonatus*, quàm de deſertis Iberiæ vel Aſtramaduræ. Nec Helvetia deſertū magis quàm Hiſpania, & in iſtâ potius quàm in illâ horrida teſqua, ſolitudines inviæ, & verè regiones vaſtæ ἔρημοι. Et ſanè Hiſpaniam peragrantibus obvium חרבה vel מדבר majorem ejus

partem facere quàm ישוב quod de Helvetiâ & cultâ maximam partem, & florente dici nequit. Sic non magis Hercynia Sylua suas solitudines habet quàm aliæ, quanvis regio, quæ ei adjacet, utut culta olim, ut & aliæ complures, proh dolor! fermè solitudo hodie sint & vastitas, immò cadaver merum veteris & florentis Germaniæ. Qualis verò ratio deserti apud Matthęum, talis desertorum apud *Luc.* cap. 1. 80. in quibus Iohannes educatus dicitur. Iohannem itaque ab omni hominum convictu prorsus remotum vixisse, & velut in antro ac specu aliquâ delituisse, supponitur à Maldonato, non probatur. De quo in sequentibus accuratiùs dispicietur. In hominum etiam frequentiâ Spiritum diminui nec Societatis Patres credunt, quos ob id frequentiam hominum haudquaquam horrere constat, nec in eo majus solitudinis quàm frequentiæ privilegium, in neutrâ per se Dei Spiritus augetur, in utraque augeri potest, in illâ tamen, si modum excedat, ordinariè atra bilis & Spiritus ferociæ & fastus augetur, non Dei Spiritus qui humilitatis & mansuetudinis est, in istâ piâ institutione, piis colloquiis, adhortationibus mutuis, castigationibus salutaribus, bonis etiam exemplis commodissimè & augeri potest, & augetur sæpe in Dei filiis.

VI. Non dissimulandæ verò nobis *Stapletoni* argutiæ, quibus hypothesi pontificiæ fidem facere satagit. *Instat* ille in Antid. Evang. in cap. III. *Matth.* Hebron urbem sacerdotalem antiquitate & nobilitate celeberrimam in mõtanis Iudæ sitam, in quâ Zachariæ domus, non posse esse *desertum*, in quo Iohannes vixisse vel prædicasse dicatur. *Resp.* 1. Τὸ ἐν ἀρχῇ, immò quia Hebron erat ἐν τῇ ὀρεινῇ, in regione aspera, poterat dici sita ἐν τῇ ἐρήμῳ. 2. Ἔρημον hîc comparatè intelligendam, non absolutè suprà ostensum, ratione nimirum Hierosolymæ & regionis amœnioris illi conterminæ. 3. Ipse *Stapletonus* fatetur ad *versum* 1. מדבר significare loca montosa & habitata potius quàm sylvestria & vasta, cur non & ἔρημος designare poterit locum montosum & habitatum, qualis Hebron? 4. Non idem splendor Hebronis tempore Christi, qui tempore Davidis, non magis quàm familiæ Davidicæ, cujus diversam omninò conditionem fuisse Iohannis ætate ex sacris liquet. Notæ periodi & occasus regionum & urbium, æquè ac hominum. Sede regiâ Hierosoly-

mam tranſlatâ, tranſlatus etiam ſplendor. 5. Adde ſupponi à *Stapletono*, à nobis ſtatui, Iohannem tantùm in domo & urbe patria hæſiſſe, & tantùm ibi prædicaſſe, quod nec creditum nobis, nec dictum, nec probabile. Vt enim totus ille tractus ὀρεινὸς fuit, ſic & ἔρημος fuit, adeoque dum in tractu illo patrio Iohannes prædicare cœpit, antequam ad Iordanem accederet, dicitur prædicaſſe ἐν τῇ ἐρήμῳ. *Inſtat Stapletonus*, dici à tribus Evangeliſtis, Iohannem prædicaſſe circa Iordanem, qui remotiſſimus fuerit à montanis Iudæ. *Reſp.* Peccari *Elencho oppoſitorum*, hæc enim non opponenda, ſed componenda. Prędicavit Iohannes primò in deſerto Iudææ, in quo Dei verbum ad illum factum, poſtmodum verò ſe recepit in regionem Iordani vicinam, immò ad crepidinem ejus, ut baptiſmo commodam & opportunam. Iordanem cæteroquin à montanis Iudæ remotum fuiſſe, certum, remotiſſimum, falſum. *Teſtimonia* quę coacervat *Stapletonus* probando inſtituto, & Authorum ſunt minorum gentium, & humana ac ὑπόθυμα, & gratis prolata.

VII. Vindicanda verò etiam verbo *Bezæ* noſtri integritas, cui ignorantiam, impietatem, impudentiam, mendacia impingit hoc loco *Stapletonus*, ut & aliis noſtri ordinis hominibus, ſed parùm ingenuè, parum Chriſtianè. Experiamur quo jure. 1° Inquit ille, *Bezam* probare, loca ſaltuoſa vulgi conſuetudine *deſertum* vocata, quia in locis ſaltuoſis fuerit domus Ioabi 1. *Reg.* 11.34. Hoc verò merum mendacium eſſe. Illo enim loco de domo Ioab nihil aliud dici, niſi Haſaelem fratrem ejus ſepultum eſſe cum patribus ſuis in Bethleem. *Reſp.* Abſit à nobis ἐπιγλωττίζεσθαι, abſint convitia, abſtergenda illa, non reponenda. Non ita didicimus Chriſtum. Conſulat verò Lector *verſum* 34. 1. *Reg.* 11. ad quem reſpexit *Beza*, & videbit cui veritas curæ fuerit, cui fama & candor, Bezæ an Stapletono; Verba Spiritus Sancti ſunt, *Et aſcendit Benaja filius Iehojada, & irruit in eum* (Ioabum, de quo ſermo) *ſepultúſque eſt in domo ſuâ* במדבר *in deſerto.* Quale hic mendacium Bezæ, quale non illius qui id Bezæ impegit? 2° Addit *Beza*, *huius deſerti ſex civitates numerari Ioſ.* XV. 61. 62. Et hoc quoque Stapletono mendacium eſt. 1. Deſertum Betharaba, cujus ibi mentio, ad ſortem tribus Iudæ pertinuiſſe ait, deſertum verò in quo prædicavit Iohannes fuiſſe circa Iordanem, qui fuerit terminus poſſeſſionis fi-

liorum Ruben remotissimus à terra Iudâ. 2. Illud desertum etiam aliud fuisse à deserto Iohannis, vocem Hebraicam longè diversam id satis indicare. In Iosue enim esse vocem מדבר quæ loca magis montosa & habitata, quàm sylvestria & vasta designet. In Matthæo verò Syro esse vocem חורבא à radice חרב quæ propriè significet desolare & destruere, prout *Ezech.* XXIX. 10. de Ægypto dicitur illam futuram לחרבות חרב *in solitudines solitudinis*, h.e. in vastissimam solitudinem. Tale etiam fuisse desertum Iohannis. *Resp.* Idem hîc *Stapletoni* candor, eadem *Bezæ* nostri culpa, quæ suprà. Observatio Bezæ nec mendax, nec ἀπροσδιόνυσος. Notandum itaque 1. per *βίαιον*, quia desertum Betharaba pertinuit ad sortem tribus Iudæ, non incommodè à Beza illud relatum ad ἔρημον τῆς Ἰουδαίας, quum præsertim Zacharias Iohannis pater διαρρήδην habitasse legatur *in montanis Iuda*. 2. Iohannem primò prędicasse circa Iordanem, falsum, cum tempore & seriùs ibi prędicasse, verum. Distinguenda ergo tempora, distinguenda prædicatio Iohannis, prędicavit ille primò ἐν τῇ ἐρήμῳ, hoc est, ἐν τῇ ὀρεινῇ τῆς Ἰουδαίας, in tractu patrio, crescente postmodum & fama illius & Auditorum numero, recepit se ad loca contermina Iordani, qui non Rubenis possessionem solùm alluebat sed & tribuum aliarum. Ipsi quoque *Pontificii* distinguunt inter desertum interius, quod vocant, in quo primò volunt latuisse Iohannem, & inter exterius, in quod se cum tempore receperit. 3. *Grammatica* observatio *Stapletoni* super discrimine vocum מדבר & חרבה jejuna est, & inutilis Adversario. Ipse fatetur τὸ מדבר, quæ vox propriè respondet τῇ ἐρήμῳ loca magis montosa & habitata notare quàm sylvestria & vasta, quod interpretationem nostram egregiè firmat, non ergo ubi ἐρήμου mentio, inaccessæ solitudines statim concipiendæ, *& inhospita tesqua*. Adde, inaniter distingui מדבר à חרבה quum hoc ipso loco ἐξηγητικῶς מדבר exponatur per vocem cognatam, & ideò urbs vocata בית ערבה quia fuit sita במדבר in deserto. Sic LXX. Interpretibus חרבה & מדבר promiscua sunt, חרבה redditur ἔρημος, ἐρημία, ἐρήμωσις, ξηρά. Quid obstat itaque quo minus quod factum ἐν τῇ ἐρήμῳ dicatur factum in deserto illo Iosuæ ubi בית ערבה sic חרב verbum vertitur à LXX. per ἐρημοῦν ἐξερημοῦν. Sic vice versâ מדבר vertunt LXX.

ἔρημον, γῆν ἄνυδρον. Æquipollent itaque מדבר & חרבה. Frustranea ergo Stapletono Syri Interpretis ἐπικουρία. Certum, Ægyptum dici futuram לחרבות חרב à Propheta, quæ geminatio summam desolationis ἐπίτασιν notat. An talis hîc descriptio τῆς ἐρήμου, in quâ dicitur prædicasse Iohannes? Assertum id quidem *Stapletono*, sed gratis, & sine probatione. Iudicet jam Lector æquus de *Bezanâ* & *Stapletonianâ* fide, & videat, an *Stapletoni* assertiones de *Bezæ* & nostrorum scriptis sint ἐκ τῆς Διὸς δέλτων. *Salmero* cæteroquin & *Iansenius* præter *Stapletonum* ingenuè fatentur desertum hîc vocari montosam partem sortis Iudææ, ut loquitur *Salmero*, vel *Iansenius*, desertum vocari quòd in eo rari & sparsim homines habitarent. Vnde *Iansenius* etiam pag. 89. alios deserti illius inhabitatores fuisse docet, qui eodem cum Iohanne cibo usi fuerint. *Abulensis* diu ante illos quæst. XXX. in cap. III. Matthæi fassus, Iohannem fuisse in deserto, ubi multæ fuerint habitationes, & in quo fuerint sex ciuitates. *Ios.* XV. Sic *Masius* vir Doctissimus docet ex *Kimhi* in caput XV. Iosuæ, מדבר non tantùm de locis desertis dici, quæ vasta sint, nec colantur, vel habitentur, sed & de iis quæ pecoribus nutriendis utilia sunt, sive ab hominum cœtibus sint remota, sive aliquot habeant ciuitates & pagos. Causæ itaque nihil est cur vel alibi sæpe, vel hoc loco, ubi ἐρήμου mentio occurrit, specus & antra fingant Pontificii, in quibus latitasse dicatur Iohannes. Fallitur itaque *Canisius* & cum eo *Bellarminus*, gregalium etiam suorum confessione, dum libro II. de Monachis cap. XXXIX. inquit desertum in Scripturâ semper accipi pro *vero deserto.* Contrarium demonstratum exemplis, rationibus, suffragiis ipsorum Adversariorum. Concludimus itaque Iohannem dici & in deserto prædicasse, & in desertis fuisse enutritum, quatenus nec Hierosolymis, nec in regione vel tractu amœniore hæsit, sed in montanis & locis minus cultis magnam vitæ partem exegit in tractu nimirum illo, qui vocabatur ἡ ὀρεινὴ à Iudæis, ubi patria domus, urbs, & aliæ similes. Nec tamen id volumus, Iohannem patriæ urbi & glebæ semper affixum vixisse, sed tantùm, illum toto educationis tempore intra tractum illum montanum & asperum se etsi Sacerdotis filium continuisse, & solitudine potius delectatum fuisse quàm frequentiâ hominum, ut se verum Nazaræum ab incunte ætate

probaret. Et hoc sensu vocatur à *Theodoreto* & aliis ἐρήμου πολίτης, vel ἐρημοπολίτης quippe qui vixit ἐν ταῖς ἐρήμοις secundùm Lucam, sive, quod idem innuit, ἐν τῇ ὀρεινῇ. Nec dubium, quin hâc ipsâ phrasi notetur peculiare Iohannis institutum, & diversum ab aliis tractus illius incolis: quale verò illud fuerit, & utrum id faueat Anachoretis & illorum castui suo loco disquiremus.

DVBIVM XCVIII.

Quid sentiendum sit de *amictu* Iohannis, quo vestitu usus fuerit, & quâ de causâ? *Matth.* III. 4.

EXAMEN.

Sententiæ duæ extremæ, *una* media. *Examen utriusque sententiæ extremæ. Pictorum licentia. An Iohannes cilicio indutus.* Ἔνδυμα *vox generica. Sententia* media. *Eius* ἔκθεσις *& probatio. Ciliciorum superstitiosus usus.* Maldonatus *confutatus. Zonæ Iohannis causa & ratio.* Ἄζωστοι discincti *notati.* Anabaptistarum κακοζηλία.

I. PROLIXE à variis disputatum super amictu Iohannis, & multis super materia, forma, & fine hujus instituti dissertatum, vel in primis ab illis, quibus cura fuit *Anachoretarum* πολιτείαν Iohannis exemplo tueri. Inutile foret & tædiosum singulorum opiniones vel referre, vel refellere. Sufficiat nobis compendiò edisserere, I. Quid non sit sentiendum super hoc argumento. II. Quid sit sentiendum.

II. *Amictum* Iohannis quod attinet, rejiciendas censemus sententias duas *extremas*, & retinendam *mediam*. Iª est, Ἔνδυμα ἀπὸ τριχῶν καμήλου, quod dicitur Iohannes gestasse, fuisse vestem undulatam, nitidam, qualis Gallorum, Italorum, Hispanorum, Germanorum & Anglorum etiam vernaculâ

à ca-

à camelo animali nomenclationem habet. Vestis ejusmodi nec *deserto* Iohannis, nec *instituto* convenit, nec à Matthæo spectata, quippe quæ & culta magis, & magis polita, quàm ut tribui debeat homini incolæ τῆς ἐρήμου, vel τῆς ὀρεινῆς, cui Christus opponit homines ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένους, qui magno animo splendorem & pompam mundanam erat supergressus, & qui schemate ipso externo non ore tantùm loqui volebat suæ genti. 2ª Opinio *extrema* est, per ἔνδυμα ἀπὸ τριχῶν καμήλου intelligendam esse *vel pellem* Cameli crudam & impexam, quâ Iohannes Fauni cujusdam & Satyri instar ab imperitâ pictorum gente ad instar *Poetarum* veterum involvi solet, *vel cilicium χιτῶνα τρίχινον ἐκ τριχῶν ἁδρῶν καὶ ῥυπαρῶν συντιθέμενον,* cuti immediatè applicatum, quale à Monachis vel pœnitentiam alioquin in Ecclesia Romana professis interdum geri solet, sive pungendæ carni propriæ, sive oculis alienis, prout ostentationi crebrius servit ejusmodi vestis quàm pietati. Ejusmodi cilicio Iohannem usum satagunt illi, qui cilicia vel gerunt vel probant, quod à zonâ etiam Iohannis magis adstrictum fuisse, adeoque corpus Viri sancti setis & hirta veste assiduè compunctum fuisse contendunt. Quod nec Matthæus dicit, nec verba illius evincunt, nec virorum sanctorum, Prophetarum etiam, consuetudo docet, nec ulla ratio. Ἔνδυμα Iohannis Matthæus ait fuisse ἀπὸ τριχῶν καμήλου, nihil aliud. Vtrum verò corpori immediatè adhæserit, id non docet. Vnde id eâdem facilitate negari potest, quâ affirmatur. Ἔνδυμα enim, ut notum, genericum, æquè ac ἱμάτιον, ab ἐνδύναι vel ἐνδύσασθαι. *Suidas ἐνδυτὰ τουτέστι περιβλήματα, amicula, velamina.* Ἔνδυμα apud LXX. respondet promiscuè vocibus genericis לבוש & בגד quæ περιβόλαιον, περίβλημα, ἱμάτιον, ἱματισμὸς, χιτὼν, στολὴ, prout ἐνδύω Hebræis est לבש & περιβάλλω, περιτίθημι, στολάζω, ἀμφιέννυμι. Sic in Novo Testamento passim ἔνδυμα genericè sumi, obvium. *Matth.* VI. 28. περὶ ἐνδύματος τί μεριμνᾶτε. XXII. 11. mentio fit hominis οὐκ ἐνδεδυμένου ἔνδυμα γάμου. Vide *Matth.* XXVIII. 3. *Luc.* XII. 23. Eadem latitudo verborum ἐνδύω & ἐνδύομαι, in Novo Testamento, quæ apud Scriptores profanos. Nihil itaque causæ cur ex veste vel pallio cilicium monasticum immediatè carni applicatum fingatur. Certum, quibusdam ex veteribus, Poetis præsertim, *A. Prudentio* libro καθημερινῶν, *Paulino*

Carmine de Iohanne Baptistâ, *Iuvenco* Histor. Evang. libro I. tale quid visum, prout superstitio prona ad talia, sed sine fundamento. Ab aliis Iohanni tributa vestis λάσιος potius quàm τριχίνη, vel δασεῖα, hirsuta non hirta vel hispida, etsi & græcæ voces & latinæ sæpe confundantur.

II. *Media* itaque sententia tutissima & simplicissima videtur, Iohanni tribui ἔνδυμα ἐκ τριχῶν, vestem nec splendidam, nec sordidam, sed simplicem tantùm, vilem, rudem, & accommodam tum loco ubi docebat, tum argumento, quod docebat, amictum ἐν τῇ ὀρεινῇ, ubi Camelorum multitudo, alienum à mollitie, deliciis & splendore sive aulico, sive urbano, qualis Prophetam & pœnitentiæ Doctorem decebat, adde & Eliæ successorem, cui tribuit Scriptura אדרת LXX. μηλωτὴν quę προβάτειος δορά, restrictâ voce genericâ, quasi legissent אדרת שער. Quam vestem Prophetarum fuisse ex κακοζηλίᾳ Pseudoprophetarum liquet, qui verorũ Prophetarum simiæ vestire solebant אדרת שער δέῤῥιν τριχίνην *pallium hirtum* vel *villosum Zach.* XIII. 4. Hinc illi בעלי שער dicti λάσιοι *hirsuti* quasi *heri setæ* de verbo ad verbum. Tali veste indutus olim Elias, II. *Reg.* I. 8. tali Iohannes. Hoc Matthæo spectatum. *Saccum* etiam Prophetis quandoque sed extra ordinem gestatum in denuntiatione singulari pœnarum divinarum, liquet ex *Esa.* XX. 2. De *formâ* vestimenti Iohannis, quæ nobis incomperta, dicere nihil attinet. Fingi illa potest, non probari. Vtut itaque ultrò fateamur vestem etiam Iohannis præconem fuisse humilitatis, pœnitentiæ, vitam illius ἀσκητικὴν, vitæ genus σκληραγωγίαν, monasticum tamen cilicium à Iohanne gestatum, & hirtam vestem cuti immediatè applicatam pœnitentiæ vel docendę vel agendæ nec Matthęus docet, nec consuetudo Iudaica, nec ulla ratio. Immò ne *saccus* quidem Iohanni adscribitur, qui pœnitentium & afflictorum, & dolentium vestis erat inter Iudæos, sed temporaria, non perpetua. Nihil tale affectatum unquam vel sanctitatis vel perfectionis & meriti ergo à Sanctis Dei Viris. Necessitate sæpe vestes αὐχμηραὶ introductę, non superstitione, ad quam cum tempore demum itum, pars pietatis in veste sordida collocata, & schema novum inventum velandæ hypocrisi, ut quam vestium splendor impetrare non poterat admirationem, exprimerent novitas vestis & sordes.

ſordes. *Hieronymus* egregiè jam olim ſcenam illam detexit, & ſuperſtitionem perſtrinxit in hoc genere, æquè ac ſuperſtitioſos, *ad Euſtochium. Sunt*, inquit, *qui ciliciis veſtiuntur, & cucullis fabrefactis, ut ad infantiam redeant imitantur noctuas & bubones.* Et paulò pòſt: *Viros quoque fuge, quos videris catenatos, quibus fœminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientiâ frigoris pedes. Hæc omnia argumenta ſunt Diaboli.* Quid animi eſſet, quid ſermonis Sanctiſſimo Viro, ſi tot plauſtra monſtroſarum veſtium, & tot ſchemata videret, quibus pietas velatur & religio? immò quibus ſanctitas affingitur & meritum & aureolæ peculiares? Ita hodie cucullorum virtus paria facit cum Chriſti merito, immò ſuprà illud effertur, &, ſi *Vitis Patrum* credimus, eadem gratia deſcendit ſuper eum qui habitum religionis aſſumit, & eũ qui baptizatur, ſi credimus Monaſticen profitentibus, in cucullo ſepeliri certus ad vitam callis. Eò devenitur, ubi ſemel à Dei verbo receditur, & vela laxantur commentis humanis in religione. Veſti pro arbitrio variegatę ſanctitatem adſcribere, ſive *inhærenter* ſive *effectivè*, nonniſi illorum eſt, quorum ſanctitas tota in veſte eſt. Si veſtis ſordida ſive τριχίνη, ſive λάσιος ſanctior ſit cenſenda, nec ſummi Pontificis, nec purpuratorum, nec ipſorum Societatis patrum veſtis talis erit, immò hirta & villoſa veſtis mendicabulorum & quorunvis agreſtium ſingularem ὑσροχλὼ habebit, quibus vel res anguſta domi, vel avaritia, vel conſuetudo inolita in tractu aſpero impexam veſtem & rudem induit. An *Catoni* cilicium ἀσκητικὸν tribuendum? cui inquit *Lucanus* pro pretioſâ veſte fuiſſe

Hirtam membra ſuper, Romani more Quiritis,
Induxiſſe togam.

Dicendum itaque, id tantùm innui à Matthæo, Iohannis veſtẽ non fuiſſe μαλακὴν, qualẽ Seruator ab illo remouet *Matt.* XI. ſed pro conſuetudine tenuiorum incolarum τῆς ὀρεινῆς textam è pilis Camelorum. In quâ materiâ non maius ſanctitatis vel perfectionis argumentum, quàm ſi è pilis caprarum contexta fuiſſet. Nec credibile, ſi caprarum tantùm greges fuiſſent in tractu illo, non Camelorum, Iohannẽ ex hac potius materiâ quàm illâ veſtem quæſiturum fuiſſe. In Camelo enim animali vel myſterium quærere, vel hirtas & hiſpidas ſibi ſetas fingere, quibus caro Iohannis cõpuncta fuerit, otioſum eſt. Miratur Summus qui-

dam & Eruditissimus Vir hanc Iohannis vestem, tanquam insolitam omninò, quod nullo exemplo probari possit talem jam olim in vsu fuisse, nec id nisi de Caspiorũ Sacerdotibus legatur. Atqui multa obvia in victu & vestitu in vsu fuisse Veteribus credimus, quorum tamen exempla scripto αὐτολεξεὶ expressa non habemus. Annon sufficit, Palęstinam inter regiones alias Camelis abundasse, & pilos Camelorum in vestem cogi posse, quod exemplo Iohannis liquet? an credibile, Iudæorum gentem industriam satis, quæ ex caprarum pilis texebat aulæa, Camelorum pilos vel villos prorsus neglexisse, nec ex iis quandoque vestes contexuisse εὐπόρους & commodas hominibus exiguæ rei?

III. *Maldonatus* totum splenem hîc in nostros effundit, & nostri ordinis Interpretes ut fungos traducit & Cercopithecos. Meminisse ille debebat verbi veteris, ἱεροπρεπῶς δεδιδαχὼς μὴ ᾄδῃ, sacra professos, sacra tractantes & animum compositum decere, & sermonem. 1. *Inquit* ille, omnia nobis fœtere in Iohanne, locum, vestitum, victum. Nihil verò tale vlli nostrum cogitatum, vlli dictum. Si Interpretes nostri in his in diversa abiêre, nec Pontificiis vel hîc vel alibi eadem planè sententia, nec *Maldonato* ipsi cum sociis. 2. *Inquit*, Interpretationes nostrorum verbis & consensu Evangelistarum refelli. Quî! Cur, inquit, omnes Iohannis habitum describunt, nisi quia singularis, quia nunquam visus, nunquam auditus? Cur nisi vt viri sanctitatem commendarent? Atqui omnes Evangelistas Iohannis habitum describere, falsum. Nec Lucæ nec Iohanni quicquam de eo notatum. An etiam illa omnia nunquam visa, nunquam audita, quæ à singulis referuntur? Nec habitus Iohannis descriptus quia singularis, quia nunquam visus, nunquam auditus, sed quia accommodus loco, tempori, & vocationi Iohannis. Sanctitatem viri commendant sanè Evangelistæ, sed eam nec in veste locant, nec in eâ quærendam docent. Alia longè & potiora quæ in Iohanne suspicienda monent. Stolidum foret, vel Iohannem, vel vllum alium ex veste metiri, vel ob vestem suspicere. 3. Inquit *Maldonatus*, populos non confluxisse ad Iohannem, nisi vt & *virum sanctum* audirent, & *monstrosum habitum* viderent. Atqui causa confluxus populi ad Iohannem non vestis fuit, non cilicium, sed fama de nouo Propheta, noua

baptiſmi ceremonia, oratio intrepida & potens hominis τερα-ζόντος, alieni ab ambitu & omnibus ſeculi illiciis, cui parem non viderat Iudæa. Adde, ſtudium novandi ſolenne genti illi, faſtidium prę́ſentium, levitatem gentis ad quoſvis rumores prurientem. Fingit *Maldonatus* ad Iohannem itum fuiſſe ut ad circulatorem aliquem in pegmate ludos facientem. Huc pertinet ſchema monſtroſum quod illi affingit. Atqui monſtroſus habitus vel monſtrorum eſt vel morionum, non Viri ſancti & gravis. Id verò monſtroſum & portentoſum, ab Interprete Chriſtiano *monſtroſum habitum* tribui Iohanni, & ſanctiſſimum Virum ita contumelioſè haberi. Nec ſanius illud, quod *Maldonatus* notat ad verſum *primum*, integras civitates ad Iohannem ut ad *montanum* aliquem *Deum* viſendum effuſas fuiſſe. 4. Addit *Maldonatus*, Evangeliſtas ſignatè dicere, veſtem ex pilis camelorum, zoná autem pelliceam fuiſſe, non aliam ob cauſam niſi quia veſtis pellicea non erat. Fuiſſe quidem zonam ſingularem, ſed minus ſingularem, minúſque aſperam & minus horridam quàm veſtem, tametſi enim illam ex cruda & piloſa pelle fuiſſe credendum ſit, tamen notum eſſe, Eliam ſimilem aliquando geſtaſſe, & conſuetudini congruum fuiſſe, ut paulò melior eſſet Zona quàm veſtis. Omnes enim homines pretioſiore Zona quàm veſte uti ſolere. Cum ergo zona ex crudâ piloſáque pelle fuerit, credendum eſſe veſtem nihil fuiſſe niſi horridum aculeatúmque cilicium. Hæc omnia parum digna tanti Hæreticomaſtigis ſupercilio, & parum ſana. A quo noſtrûm pellicea veſtis Iohanni affictа? à quo negata talis qualis deſcribitur ab Evangeliſtis? Nec alia cauſa quę́renda cur ſignatè hæc dicta fuerint à ſacris Scriptoribus, niſi quia talis erat materia veſtis Iohannis, zona talis, qualem referunt. Nec magis pellicea veſtis negata Iohanni quàm ſericea illis verbis. Zonam Iohannis vel ſingularem prorſus fuiſſe, vel ex cruda & piloſa pelle figmentum eſt Maldonati, non dictum Evangeliſtæ, niſi quicquid δερμάτινον, piloſum ſit & crudum. Sic veſtem Iohannis horridiorem fuiſſe zonâ, & horridum aculeatúmque cilicium, aſſertum denuò gratis, & ſine teſte. Omnes pretioſiore Zonâ uti quàm veſte & precarium, & inconſequens reſpectu Iohannis. Cur enim omnia ſingularia Iohanni affingit *Maldonatus*, & tamen ſimul fingit, in Zonę & veſtis diſtinctione illum

communem consuetudinem sequutum? Quî hæc cohærent? Immò demus Maldonato, pretiosiorem fuisse Zonam quàm vestem, an ob id necessariò ἔνδυμα ἐκ τριχῶν erat horridum aculeatúmque cilicium? Fatemur, id quibusdam ex Veteribus visum, sed visum tantùm, probatum non item. Cilicium verò etiam habitum pœnitentiæ semper fuisse, quod asserit *Maldonatus*, falsum, multis pœnitẽtia acta sine cilicio, multis cilicium gestatum sine pœnitentiâ. Et ut non omnes verè philosophi olim, quibus τρίβων, abolla, pera, baculus, sic nec veri ꝑœnitẽtes, quibus cilicium & cucullus. Iudæis *saccum* consuetum fuisse non in pœnitentiâ solùm, sed & in luctu scimus, cilicium aculeatum non item. Sequiorum seculorum hoc inventũ est, & ex illorum numero, quæ μόρφωσιν habent pietatis ἐν ἀφειδίᾳ σώματος, sed μόρφωσιν tantùm. Lutheranos & Calvinianos, quod addit *Maldonatus*, non uti cilicio, nec in eo pœnitentiam quęrere, verum: pœnitentiam verò in eo quærendam ἄγραφον, & ἄλογον. Alij pœnitentiæ veræ actus, natura alia. Necdum didicimus vel Petri pœnitentiam, vel mulieris peccatricis, vel publicani, vel aliorum id genus in cilicio quæsitam. Nec id vel præcepto nobis commendari videmus in Scriptura, vel exemplo. Vestem Iohannis cæteroquin, ut vilem & tenuem, verum pœnitentiæ præconem & pompæ mundanæ strenuum contemptorem decuisse, ἐξαγώνιον est, & utrinque in confesso. Et hæ sunt demonstrationes illæ egregiæ hominis supra modum superciliosi, cui cum Plautino *Hegione* hęretici omnes cucurbitæ videntur, & *verveceæ statuæ*. *Stapletonus* etiam in Antid. Evang. id urget, Christum Matth. XI. 3. à contrario vestitus mollis austeritatem laudare in Iohanne. Mollitiem vestium sanè à Domino perstringi, certum, austeritatem etiam Iohannis commendari, cilicium non item. Austerit; alia laudata, illaudata alia, illa, verus contemptus mollitiei, ıta, affectatus, illa in animo, ista in veste potissimùm sita. Iohannis austeritas vera erat, non ficta, sancta, non mimica, vocationi accommoda, non theatro. An à Christo Matth. XI. cilicium Iohannis expressum? an à Domino alibi descriptum? an ab Apostolis gestatum? an commendatum? an nihil oppositum μαλακοῖς ἱματίοις præterquam cilicium? Ergo Societatis Patres in censu notatorum à Christo, qui nec σακκοφόροι, nec ciliciorum curiosi, sed

illa

illa familijs alijs Monasticis ultrò relinquunt & se ex præscripto *Ignatij* Patris ab Ordinibus aliis Religiosis, jejuniis, vigiliis, & cæterâ victus cultusque asperitate superari facile patiuntur. *Epiphanius* in Panario Hæresi LXXX. κατὰ Μασσαλιανῶν ciliciorum affectationem iam olim notavit in Massalianis, quos introducit σάκκῳ προφανεῖ ἐπερειδομένους. Subjicit *Epiphanius*, Ecclesiæ liberos debere servire κρυφίως τῷ εἰδότι τὰ κρύφια καὶ ἀποδιδόντι ἐν τοῖς φανεροῖς. Et concludit egregiè, ἀλλότριον ἐστι τῆς Καθολικῆς Ἐκκλησίας σάκκος προφανὴς, *Ab Ecclesiâ Catholicâ alienum, saccus in oculos incurrens.*

IV. Quæ verò vestis Iohannis ratio fuit, ea etiam *Zonæ* fuit. Zonis & baltheis, quibus togarum vsus locum dedit, luxum pretium dedisse sacri & profani Scriptores passim docent. Et in hac etiam parte à Iudaica gente, & utroque in eâ sexu luxuriatum fuisse, queruntur Prophetæ. Vnde Zonam *in funiculum* mutandam, & in *cincturam sacci* pronuntiant Vates sacri. *Isa.* III. 24. XXII. 12. Mattheus itaque ostendit Iohannem Zonarum aurearum, byssinarum, linearum, bullatarum luxum reliquisse aliis, sibi verò aptasse ζώνην δερματίνην, non, vt *Seraphici* quidam Doctores philosophantur, ut mortui animalis parte mortificationem membrorum innueret, sed ut lumbos cingeret, quod & consuetudo gentis, & togarum fluxarum ratio exigebat, & eos cingeret vili & parabili cinctu, & cinctu gemino illi, quo succinctus jam olim Elias, cui etiam tribuitur אזור עור ζώνη δερματίνη. Notum verò, cinctum, & lumbos cinctos frequentissimè in Scripturâ commendari. Immò ἄζωστοι profanis etiam Scriptoribus sunt ἀνασεσυρμένοι & ἀναίσχυντοι, διασυρτικῶς, ut Latinis *discincti* & *male cincti*. Hinc illud, *discincta vestis, discincta mens*, & *Catonis* de Iulio Cæsare, *Caverent sibi Romani à puero male cincto*, & ominosè quidem. Contra ἐζωσμένοι *cincti* in laudem, ὡς εὐσταλέστεροι πρὸς τὴν πρᾶξιν. ζώννυσθαι etiam est καθοπλίζεσθαι *Authori Etymologici* & *Suidæ*. Eidem ζώνη πορφυροῦν ἱμάτιον, quod ἄκυρον. Aliud ζώνη, aliud ἱμάτιον, & hoc loco, & alibi. Nota satis origo τοῦ ζωννύειν apud *Authorem Etymologici*, ἀπὸ τοῦ ζῆν, ἐπειδὴ κατ' ἐκεῖνον τὸν τόπον ζωννύμεθα, ἐν ᾧ ἐστι τὸ τοῦ σώματος θερμὸν, ἡ καρδία. Eidem ζώνη τὸ τοῦ σώματος μέρος παρὰ τὸ ζῆν, ἐν ᾧ μάλιστα τὸ τοῦ ζώου ἐστὶ ζωτικόν. Item, ζώνη τὸ περὶ αὐτὸ ὕφασμα. Vt θώραξ notat & partem corporis, καὶ τὸ περιτιθέμενον ὅπλον.

V. Vt verò nullum ciliciis & cucullis monaſticis præſidium in veſte Iohannis, ſic nec *Anabaptiſtarum* affectatis ſordibus, quibus illuvies virtus eſt, & rudis ac impexa veſtis decora præ aliis. Μηλωτὴ ſanè Eliæ tribuitur, Iohanni ἔνδυμα ἐκ τριχῶν ſanctis Dei ſervis αἴγεια ſæpe δέρματα, & togæ palmis textæ, ſed ſine affectatione, ſine opinione ſanctitatis, prout vel perſecutio hoc ſchema iis induit, vel neceſſitas. Vt enim Regnum Dei non cibus, nec potus, ſic nec veſtis eſt. Extrema vitanda, ſuperbia in veſte, & ſordes, utrobique affectatio. Dei donis utendum, pro conditione, ordine, decoro cuiuſque & cum donatoris gloria. Vt olim per lacerum Philoſophi pallium tranſparuit ſuperbia, ſic hodie ſæpe per affectatam veſtem. Bene olim *Hieronymus* Epiſtolâ ad Euſtochium innuit, quoſdam qui in auratis veſtibus placere deſiêre, conari placere in ſordidis. Et ut nec paludamentum, nec baltheus, nec apparitorum catervæ animo religioſo nocent, ſic è contrario nihil prodeſt vile palliolum, fulva tunica, corporis illuvies, & ſimulata paupertas homini vel profano vel hypocritæ, ut bene docet *Hieronymus* ad Salvinam.

DVBIVM XCIX.

Quid ſentiendum ſit *de victu* Iohannis, quibus cibis uſus fuerit, & quâ de cauſa *Matth.* III. 4. *Marc* 1. 6? An etiam victu Iohannis vel delectus ciborum commendetur, vel jejunia Pontificia?

EXAMEN.

Interpretationes falſæ τῶν ἀκρίδων *rejectæ.* Maldonati *convitium abſterſum. Quid per* ἀκρίδας *intelligendum. Rationes. Cauſa cur Iohannes uſus* locuſtis, *cur* melle agreſti. *Quî illud dici non*

non poßit amarum, qui poßit. Sensus *alius verborũ Matthæi de victu Iohannis. Confirmatio à stylo Scripturæ. Locus* Luc. VII. 34. *expositus & vindicatus. Suffragia Adversariorum.* Πορίσματα *è cibo Iohannis ducta. Quid* ἄγριον *Græcis,* agreste *Latinis.* Bellarmini *argumentatio confutata. Discrimen ingens inter victum Iohannis & Pontificiorum* jejunia.

I. VICTVM Iohannis fuisse ἀκρίδας, & μέλι ἄγριον tum Matthæus docet, tum Marcus. Quæsitum jam olim, quæ & quales fuerint ἀκρίδες illæ, quale μέλι ἄγριον, quod Iohanni pro cibo, & cur hoc victus genere usus vir sanctus, non alio? Expedienda nobis singula, sed compendio, & eâdem Methodo, quâ *de amictu* Iohannis actum. *Falsæ* itaque sententiæ removendæ, subjicienda *vera*, sive super *materiâ* cibi Iohannis, sive super *fine* ejusdem.

II. *Materiam* quod attinet, disputatum multimodis, quid per ἀκρίδας intelligendum sit hoc loco. *Aliis* intellecti hîc ἀκρέμονες (qui ἀκρήμονες *Hesychio*) βοτανῶν ἢ φυτῶν cum *Nicephoro, Euthymio & Isidoro Pelusiotâ: Aliis,* quorum meminit *Theophylactus,* ἀκρίδες sumptæ pro βοτάναις, ἀκροδρύοις, vel ὀπώραις ἀγρίαις: *Aliis* confusæ ἀκρίδες & ἀχράδες, *pyra sylvestria: Aliis* ἀκρίδες expositæ cum *Centuriatoribus* per καρίδας, squillas pisces vel cancros abjectos a piscatoribus, ut immundos secundùm Legem: *Aliis* hîc intellectæ ἐγκρίδες γλυκάσματα, bellaria ex melle confecta, vel summitates herbarum melle conditæ, quorum meminit *Epiphanius* Hær. XXX. *Alii* maluêre hic ἀεροβατεῖν, mysteria venari, & animal imitari, quod notat Evangelista. Ita parum hærent illi, quod semel tetigêre. In tantâ verò interpretandi licentiâ, quæ in veteribus simul & recentibus Interpretibus reperitur, in solos Doctores Evangelicos incurrit *Maldonatus,* & commentationes quorundam ex illis acerbè flagellat. Si causam quæras, docet Maldonatus aliis ejusmodi interpretamenta condonanda,

nostris non ité, eò quod hi *malo animo scripserint, ut Iohannis sanctitatem extenuarent.* Hoc verò est acutiùs cernere, *Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius.* Prius est supra *Maldonati* perspicaciam, posterius contra fidem & candorem, utrumque ἀναπόδεικτον. Si *Centuriatoribus* Viris Eruditis & aliis quibusdam vox ἀκρίδων aliter sumpta, aliter intellecta, nec soli illi plectendi, nec ob rem levem fluctus excitandus in simpulo. Immò candidè à plerisque ex nostris in alia omnia itum, genuina vocis ἀκρίδων interpretatio notata, & commentitiæ aliæ tum rejectæ tum confutatæ. Sanctitas Iohannis nulli nostrum negata, sed commendata, nec extenuata, sed vindicata, & à veste ac cibo ad potiora translata. Nec Christianus, nec noster est, qui sanctissimo viro quicquam eorum detractum velit, quæ Scriptura ei tribuit, & quæ secundùm Scripturam illi tribuenda.

III. Interea liberè profitemur, ordinariam vocis ἀκρίδων significationem hîc retinendam, nec locustas non necessariâ metamorphωsei in novam speciē mutandas, sed intelligendum animal ex insectorum genere ab vredine locorum sic dictum, cujus species variæ, nomina etiam apud Hebræos & Græcos diversa, illis locustæ ארבה ילק חסיל חגב: istis ἀκρίδες, βροῦχοι, quandoque καρκίνοι, κάραβοι, ἀσακοὶ, *Chaldæis* & *Syris* קמץ & קמצא hîc ἀκρίδες, ut *Etymologicis* placet, παρὰ τὸ τὰς ἄκρας τῶν σταχύων καὶ τῶν φυτῶν νέμεσθαι.

IV. Hanc verò sententiam præferimus, 1. quia non recedendum sine necessitate à significatione ordinariâ vocum. 2. quia certum genus locustarum inter cibos licitos per legem, *Levit.* XI.22. 3. quia liquet ex Scriptoribus Paganis, *Strabone, Diodoro Siculo, Plinio, Plutarcho, Aristophane, Solino*, aliis locustas interdum recentes, interdum fumo ac sale duratas in annua alimenta gentibus multis pro cibo fuisse, quo usi Persæ, Parthi, immò multi ex Africanis, & Asiaticis populis. Loca à Viris eruditis jam diu observata. *Dioscorides* etiā notat lib. II. cap. XLVI. Libycæ genti jam olim locustas edules fuisse, χρῶνται αὐτῇ, inquit, κατακόρως οἱ κατὰ Λέπτιν Λίβυες. Arabes & elixis locustis vesci, & tostis redactis in pollinem docet *Iul. Cæsar Scaliger* Exercit. CXCII. Hinc ἀκριδοφάγων veterum crebra mentio in Scriptis priscorum, & ἀκριδοθήρας tendiculæ ad locustas capiendas accommodæ. Eruditissimus *Casaubonus* probat hunc cibum ut & σέρφους ac cicadas illo-

das illorum fuisse, qui tenuiter viuere solebant in Oriente, immò in Græciâ & oppositâ Asiâ. Vide Exercit. XIII. Ad Ann. XXXI. Sic *Nicol. Clenardus, Mauritanis* locustas hodieque cibum esse, & hoc genus hostium, quod plantas & sata virulento morsu, ingenti strage, & summo incolarum damno depopulatur, integris plaustris convectari, & comedi docet Epistolâ IX. & XV. Vide etiam de hoc argumento CL. *Drusium* Prӕterit. lib. I. *Maldonatus* notat, fucos etiam & limaces comedi, immò vix alium in hospitio cibum quàm limaces reperiri, quod de Astramaduræ vel Bæticæ hospitiis dubio procul dictum *Maldonato*, talia enim alibi in cultis regionibus reperiri, novum & inauditum. Locustæ cæteroquin varii generis, marinæ inter alias, quæ è cancrorum & lacertorum genere, quæ non tam ἀκρίδες quàm κάραβοι, καρκίνοι, quas cum cancris marinis, astacis & araneis conjungit, & illis carnem gratam, suavem, dulcem, candidam, sapidam optimi & magni alimenti, durissimæ tamen & difficilis coctionis, tribuit *Claudius Deodatus* Panthei Hygiastici lib. I. cap. XLI. Locustas alioquin noxium cibũ esse docet *Hieronymus Mercurialis* lib. II. var. lect. cap. XX. Vide etiam super hoc argumẽto Antiquitates Convivales *Ioh. Gulielmi Stuckii* Viri CL. lib. II. Non mirum itaque vel insolitum planè, Iohannem locustis usum, obvio & parabili cibo, & cibo domestico, non exotico, inemptis dapibus, quas natura dabat, & tractus montanus, non ars, non structa ad palatum culina. Allegorias hîc quærere, & mysteria, & hieroglyphica multa in hujus animalis natura sibi fingere, est, vt mollissimè dicam, τοὺς κόγχους ἀποτορνεύειν, & conchas & umbilicos legere in littore. Quod & Læliis & Scipionibus interdum factum docet Cicero, unde non mirum veteribus quibusdam talia excidisse, quorum tamen nævi tegendi, non detegendi.

V. Vt verò ἡ ἔρημος vel ἡ ὀρεινὴ, in qua Iohannes, locustas illi dedit, sic dedit etiam mel, & agreste quidem, mel videlicet non ὡραῖον, non in alueolis conditum, sed vel ἐρεικαῖον, sparsum in ericis, crocis, & aliis id genus herbis, sive destillans vel è cavernis & fissuris rupium, vel è truncis arborum, quali melle abundabat olim terra lacte fluens & melle. Exempla sacra Samsonis & Ionathanis satis nota. Nihil eo hodieque communius in vastissimis Sarmatiæ regionibus, Polo-

niâ, Lituaniâ, Moſcoviâ, & conterminis aliis. Sic *Gaſpar Sanctius* notat Commentario in lib. I. *Reg.* cap.XIV. in Hiſpaniâ quoque in ſylveſtribus ac confragoſis locis copioſos mellis rivos decurrere. Hinc μέλι ἄγριον dictum Evangeliſtæ, tum quia repertum ἐν ἀγρῷ, tum quia γεωργούμενον ὑπὸ μελισσῶν ἀγρίων, ut habet *Theophylactus*, contradiſtinctum illi, quod apes cultæ dabant, & ars & cura ex parte. Bene notatum à *Lud.Cappello* Viro CL. יערת דבש quod verbo tenus *ſylva mellis* I.*Sam*.XIV.27. eſſe μέλι ἄγριον potius quàm κηρίον μέλιτος per inverſionem vocum non inuſitatam Hebræis, *ſylva mellis* pro *mel ſylveſtre*, vel *agreſte*. Hic cibus etiam Iohanni familiaris, quia ſpontaneus, obvius, inemptus, æquè ac locuſtæ, natus, non paratus, frequens ἐν τῇ ὀρεινῇ. Nec hîc magis quàm in locuſtis myſteria quærenda cenſemus, vel materiam argutationum inanium. Mel cæteroquin agreſte, amarum fuiſſe, ne ulla Iohanni dulcedo relinqueretur, ex Iſidoro & Euthymio *Salmero, Stapletonus* aliique Interpretes Pontificii ſatagunt, negat *Maldonatus*, & meritò. Mel enim tale fingere, πικρότατον καὶ πάσῃ γεύσει πολέμιον, quale id facit *Iſidorus*, eſt fingere mel non mel, & oppoſitum ſtatuere in appoſito. Etſi *Medicorum* filiis ultrò concedamus, mel *effectivè* amarum eſſe, πικρὸν τὴν ἀνάδοσιν, ut habet *Suidas*, quia mel, ut pleraque dulcia, χολῆς ποιητικὸν, καὶ τρέπον τοὺς χυμοὺς εἰς τοὐναντίον τῆς γεύσεως. Cauſæ etiam nihil eſt, cur per μέλι ἄγριον intelligamus hîc δροσόμελι vel rorem cœleſtem, ſive manna, vel folia quædam lactei coloris, & melliti ſaporis, quæ in deſertis reperiri, & confricata comedi *Beda* refert ex Arnulpho. Simpliciſſimum, hærere expoſitioni conformi litteræ textus, naturæ vocis, genio regionis, & luci, quæ ex locis parallelis peti poteſt. Mellis verò ſive domeſtici, ſive agreſtis vſu nihil communius inter Iudæos. Hinc Meſſias conſuetis cibis educandus dicitur à Propheta comeſturus mel & butyrum. *Eſa*.VII.15.

VI. Quanvis verò ſine abſurditate ullâ & ἀκρίδες, & μέλι ἄγριον in proprio & ſtricto ſignificatu ſumi poſſint, nihil obſtat tamen quominus illi interpretationi addamus aliam, & dicamus in horum ciborum deſignatione ſpeciem poni pro genere, definitum pro indefinito, Iohannem nimirum dici comediſſe locuſtas, & mel ſylveſtre, non quod tantùm hoc cibo victitarit, & ab omni dape alia ſe religioſè abſtinuerit, ſed quod com-

muniter & hoc cibo usus fuerit, & cibis tenuissimis aliis id genus, quos dabat ἡ ἔρημος & tractus asper, sine cura, sine pretio. Nihil enim aliud à pueris Iohanni comestum, affirmari potest, probari non item. An quia *manna* cibus Israelitarum in deserto, nihil nisi manna ab illis comestum? Solenne verò Scripturę S. per speciem notare genus, in hoc etiam genere. Sic Daniel petit à pręfecto pro cibo vel זרעים זרענים, σπέρματα, legumina, & iis victitasse dicitur cum sociis. An nihil præter legumina ab illis comestum? ne panis quidem. Annon potius illâ loquendi formâ indicatum Danielem cum sociis regios cibos deprecatum, tenuem contrà cibum & communem flagitasse? Sic quando *Iob.* XXX.4. in descriptione pauperum, dicitur illos *decerpere halimum iuxta arbusta, & radicem juniperorum esse panem vel cibum illorum*, an vel credendum, vel dicendum, nihil aliud à pauperibus comestum præter halimum, & radicem juniperi? annon genus potius notatum, cibi nimirum viles & tenues? Sic ex adverso *simila, mel*, & *oleum* pro cibo suavi & dapibus lautis sumuntur *Ezech.* XVI.13. ubi Deus illa refert, quorum gratiam fecerat populo. Sic ibidem speciem ponit pro genere, quando inquit, Israelem fuisse ornatum auro, argento, vestem ipsius fuisse byssum & sericum, & polymitum h.e. pretiosam & splendidam. Nihil frequentius hac figurâ. Sic terra sancta lacte fluxisse dicitur & melle, hoc est, floruisse ubere glebæ. Sic comedere sub ficu & vite suâ est quiete inter delicias frui. Sic definitum pro indefinito, species pro genere in minis *Esa.* III.24. *Erit ei pro suaui odore fætor, pro zonâ funiculus*. Sic *vinum & sicera* pro potu suavi in genere in Scripturâ, ταῦροι & σιτιστὰ pro structurâ epularum *Matt.* XXII. Exempla id genus alia obvia passim. Sine ulla itaque absurditate dici potest, *locustas & mel sylvestre*, quibus Iohannes usus dicitur, non ita anxiè sumi debere, quasi his duntaxat cibis se adstrinxerit totâ vitâ Vir Sanctus, sed quod his ut magis obviis ordinariè uti consueverit, & aliis ejusdem generis, tenuibus, non lautis, domesticis, non exoticis, naturâ potius quàm arte paratis quod solùm indicatur *Matt.* XI.18. & *Luc* VII. 34. contra quam opinatur Eruditissimus Baronii Exercitator. Notum enim, *panem* sumi pro cibo consueto Hebræis, dum itaque Christus negat Iohannem comedisse panem, negat Iohannem consueto modo vixisse, & victu communi usum fuisse, qua-

lem Sacerdotis filius in domo paternâ nec sordidâ, nec abjectâ sibi vindicare poterat. Ejusmodi enim negationes συγκριτικῶς & κατά τι tantùm intelligendas, non ἁπλῶς, exempla complura Biblica ostendunt. Immò si littera vexanda foret, dicendum esset Iohannem abstemium planè vixisse, & ab omni cibo & potu prorsus se abstinuisse, eo quod *Matt.* XI.18. nec edisse nec bibisse dicatur. Ipse *Bellarminus* fatetur lib. II. de Monachis cap. XXXIX. Christum apud Lucam dicere, Iohannem usque adeò tenui cibo & potu usum, ut nullo vti videretur. Sic bene *Lyranus*, qui parum comedit, dicitur non comedere, secundum communẽ loquendi modum. Sic *Dionysius Carthusianus* apposité observavit, delicata tantùm ac consueta fercula hominum ab Iohanne verbis illis removeri. Nec credibile, Iohannem in carcerem conditum ab Herode, famem vel tabem ex eâ pati maluisse, quàm pane vel appositis cibis uti. Nec exemplum ullum legimus in sacris ullius mortalium, qui sibi cibos omnes præter unum vel alterum interdictos voluerit. Ne Naziræorum quidem vel Rechabitarum πολιτεία unquam intra has angustias coacta fuit, etsi dura, & adstricta maximè, & aliena à mollitie omni & luxu. Statuimus itaque, cum *Clemente Alexandrino* pædag. lib. II. cap. X. Iohannem tum victu tum amictu suo voluisse ὑποτυπῶσαι τὸ εὐτελὲς καὶ ἄδολον τοῦ βίου, eâ fine, ut pararet ἀτύφους καὶ σώφρονας ὁδοὺς Κυρίου, τὴν ἀλαζονείαν τὴν πολιτικὴν ἐκτραπείς, εἰς δὲ τὴν ἔρημον τῆς ἐρημίας κατὰ γαλήνην Θεῷ συμπεπολιτευμένος, ἐκτὸς πάσης κενοσπουδίας, ἀπειροκαγαθίας, μικροπρεπείας, ut ibidem addit Doctissimus Scriptor.

VII. His expensis liquebit, 1. Iohannem non superstitiosè sibi nec anxiè hos cibos præ aliis delegisse. 2. Nec hoc victu vel sanctitatis, vel perfectionis, vel meriti laudem quæsiisse. 3. Nec ob usum locustarum vel mellis sylvestris se in eremum inhospitam abdidisse, quum totus ille tractus montanus Iuda, ἡ ὀρεινὴ, vel ἡ ἔρημος τῆς Ἰουδαίας inemptarum illarum dapum ferax fuerit, æquè ac regiones aliæ, nec asperæ, nec desertæ prorsus & inviæ. Ἄγριον enim quicquid in agro sponte nascitur, & opponitur interdum simpliciter illi, quòd κηπαῖον vel κηπευτὸν, quod hortense, quod sativum, quod curâ & arte ex parte paratum. Sic ἀγρίων ἀμπέλων meminit *Pausanias* in Atticis. Sic non tantùm opponitur ἄγριον & ἥμερον, sed & ἄγριον & οἰκογενὲς

κοχλυὲς vel οἰκοφαφὲς. Prout Latini etiam *agreſte* vocant quicquid vel in agro eſt, vel ex agro. Sic *gaza agreſtis* Virgilio pro proventu ex agro. Et *Plinius* Hiſtor. Natural. lib. VIII. cap. XXI. diſtinguit *tauros agreſtes* à *ſylveſtribus*, quibus majorem ferociam adſcribit. Mel ergo comeſtum Iohanni *agreſte* potius fuit quàm *ſylveſtre*, ut bene vertit Eruditiſſimus *Beza.* Non omne verò quod *agreſte* etiam ſylveſtre eſt, etſi omne ſylveſtre dici poſſit agreſte. Sic *Syrus* Interpres, utitur hîc voce genericâ, & vocat mel, quo uſus Iohannes, דבשא דברא *mel agri* vel *campi*, non *ſylvæ* tantùm. Cauſæ itaque nihil eſt cur eremum hîc fingamus, vel ſolitudinem inhoſpitam propter μέλι ἄγριον. Sic ἀγρία συκῆ *Suidæ*, cui opponitur ἥμερος. Omne itaque mel agreſte, quod extra alvearia vel è florum calycibus, vel ex petrarum fiſſuris, vel ex arborum truncis deſtillat.

VIII. Nequicquam verò etiam *Bellarminus* & Theologi Romani alij delectum ciborum, & jejunia ſua Iohannis Baptiſtæ exemplo commendare ſatagunt. Scilicet à mentione τροφῆς cibi Iohannis argumentum ducendum ad jejunium, & quia Iohannes locuſtas comedit, indicendum carnis-privium. Annon locuſtarum caro, vera caro, illarum vel inprimis, quas Oriens alit? annon ἀκρίδας (quæ animalia, non ἀκρέμονας ſummitates herbarum) & intellectas volunt, & comeſtas à Iohanne? Aliud ſanè, tenui quadrâ vivere, & dapibus inemptis, aliud jejunare. Aliud, jejunium verum, aliud fictum, aliud, reale, aliud, mimicum & theatricum. Aliud, locuſtis veſci & melle ſylveſtri, aliud, quibuſvis cupediis, condimentis, deliciis, piſcibus etiam, ventrem ſaburrare, vel ſaltem ejus rei poteſtatem habere & ſolam ſibi carnem reliquorum animalium, ſola lacticinia interdicere. Aliud, à vino & ſicerâ cum Iohanne abſtinere, aliud nec cados veteres, nec Creticum, vel Falernum ſive palato, ſive gulæ ſuæ negare vel ſubducere. Mirum etiam illos Iohannis menſam ſuam facere, qui nec locuſtis unquam utuntur, nec melle ſylveſtri, ſed cibis ejuſmodi, qui vel Apitios placent, & illos quibus gula & venter inter potiſſimas curas & præcipua oblectamenta vitæ.

IX. Cæteroquin nec jejuniorum hoſtes ſumus, nec jejunantium, ſed vera tantùm jejunia diſtincta volumus à mimicis, religioſa à ſuperſtitioſis, libera à neceſſariis, præparatoria à meri-

toriis, terminata ad aliud à terminatis in ſe, miraculoſa & inimitabilia à poſſibilibus & imitabilibus, *ἀσιτίαν* à delectu ciborum. Nec *jejunia* duntaxat probamus, ſive *medica*, ſive *civilia*, ſive *moralia*, ſed & *religioſa* ſive *ſacra*, quæ tum *originaliter* tum *terminatiuè* talia, eaque vel *privata*, vel *publica*, ſubigendæ carni, coercendis affectibus, teſtando luctui, excitando zelo, animandis precibus, humiliando animo, caſtigationibus & judiciis divinis vel avertendis vel mitigandis. Convitium itaque nobis, ſuo candori iniuriam faciunt illi, qui nos ut jejuniorum hoſtes acerbis criminationibus inſectantur, quum & doctrinâ noſtrâ & praxi abſolvamur apud homines æquos, & in calamitatibus ſive priuatis, ſive publicis, ſponſo vel ablato vel ſubducto, ad jejunia, ſaccum & cinerem eundum non verbis tantùm ſed & exemplo teſtemur, immò nec illorum praxin damnemus, qui cum Apoſtolo conantur per jejunia quandoque corpus ſuum *ὑπωπιάζειν* & *δουλαγωγεῖν*, & carnis ſtimulos, ſubducto fomento, retundere, excitare Spiritum, & illum ad exercitia ſacra majori ardore & contentione obeunda præparare. Appendices tantùm illas remotas volumus, quas jejuniis annexuit ſuperſtitio, opinionem *neceſſitatis*, opinionem *ſanctitatis*, & *cultus diuini per ſe*, & opinionem *meriti & ſatisfactionis*, & quæ ſunt alia id genus humanæ fabricæ, & *πονηροῦ κόμματος*. In Eccleſiæ itaque Romanæ ſive doctrinâ, ſive praxi, non jejunia reprehendimus, ſed jejuniorum tantùm corruptelas & corruptores, qui illorum inſtitutum corrumpunt, naturam evertunt, finem fœdant, & jejunantes non hypocritas duntaxat conſtituunt, ſed & reos profanati jejunii, & ſcenæ inſtructę in Dei domo. Corruptelæ illæ pręcipuæ ſunt. 1. jejunia non in *ἀσιτίᾳ*, non in ſobrietate, ſed in prohibitione certorum ciborum conſtitui. 2. jejunia in ejuſmodi victu & cibis conſtitui, qui aptiſſimi irritandæ gulæ, excitandæ luxuriæ, fovendæ libidini, quales piſces, ſalſamenta, aromata, cupediæ, vina generoſa, & alia id genus, proſcribi certas duntaxat carnes & lacticinia. 3. jejunia vel *diurna*, vel *hebdomadaria*, vel *menſtrua*, vel *annua* ſtatis temporibus ſub graui anathemate indici conſcientiis, iiſque laqueum necti ſine neceſſitate. 4. dies alios aliis ſanctiores & religioſiores ob jejunia haberi. 5. jejunia cultum Dei per ſe cenſeri, & in ſe terminati. 6. jejunia æſtimari meritoria, expiatoria, ſatisfactoria, &

quæ ſunt

quæ ſunt aliæ id genus appendices jejuniorum indictorum ab Eccleſiâ Romanâ. An characteres illi in victu Iohannis? Quid commune quadræ Iohannis cum cœnis dapalibus jejunantium in Eccleſiâ Romanâ? Quid locuſtis cum thunnis & ſcombris? Quid melli ſylveſtri cum cupediis & bellariis ſecundarum menſarum? Quid inemptis dapibus & domi natis cum exoticis & tranſmarinis? Quid homini priſcæ ſeveritatis & caſtigatiſſimæ vitæ cum Apitiis & nepotibus, qui ſua Vacunæ, Baccho, Veneri orgia, ordinariâ illâ Saturnaliorum licentiâ, & oblectamentis theatricis, feſta agunt, antequam pœnitentium ſchema ſolenni *Cinerum* die induant? An & Saturnalia Iohanni acta? an animus laſſatus & fractus deliciis, priuſquam ad locuſtas ſe converteret & mel ſylveſtre? Quid homini unum Chriſtum ſpiranti, loquenti, ad unum Chriſtum ducenti, indignitatem ſuam profitenti, ſe ad corrigias Chriſti abjicienti, cum hominibus ad hominum patrocinia, merita euntibus, ducentibus, ſatisfactiones & opera ſupererogatoria crepantibus, & rationes expenſi cum Deo ſubducentibus æquè ac accepti? Nihil tale Iohanni cogitatum, nihil dictum, nihil factum, nihil doctum. Iohannis itaque victum, Iohannis cibos, Iohannis jejunia cum jeiuniis Eccleſiæ Romanæ conferre eſt *ἀσύγκλωστα συγκλώθειν*, & magnam ſui, magnam obſequentium, magnam adverſantium fiduciam habere.

DVBIVM C.

An Iohannes Baptiſta fuerit *Anachoreta*, ſive *Eremita*? An etiam *Anachoretarum* inſtitutum Iohannis exemplo commendetur?

EXAMEN.

Sententia Pontificiorum. Rationes. Ἔκθεσις *veræ ſententiæ.* Κατασκευὴ *eiuſdem. Quî inſtitutum Iohannis peculiare, & quas ob cauſas. Documenta*

mystica, & moralia. *Dissimilitudo summa & multiplex inter Iohannem & Anachoretas. Anachoretarum origo.* Ἀνασκευὴ *rationum Pontificiarum.* Eliæ *exemplum vindicatum.* Christi *exemplum excussum, utrumque retortum. Locus* Luc. 1. 80. *expositus & vindicatus. Quid per* ἀνάδειξιν *Iohannis intelligendum. Quî Iohannes ignotus Iudæis. Authoritates Veterum vindicatæ. Iohannis exemplum inutile Pontificiis. Vita eremitica improbata. Rationes. Institutum Anachoretarum* ἄγραφον, ἀντίγραφον, ἄλογον, ἀσεβές. *Anachoretæ diversi generis. Iudicium de utrisque. Incommoda vitæ eremiticæ. Quî deserendus mundus.* Ignatij Loyolæ *iudicium de vitâ eremitica.*

I. SOLENNE Pontificiis, Iohannem in Anachoretarum censum referre, & illius exemplo vitæ eremiticæ institutum commendare. Occupatum hoc à *Bellarmino, Baronio, Stapletono, Maldonato, Perronio, Cottono*, & plerisque aliis sive Commentationum, sive Controversiarum Scriptoribus. Si rationes quæras, hæ dantur. 1. *A loco* tum *educationis* tum *prædicationis* Iohannis, Iohannem & enutritum fuisse in desertis, & prædicasse in desertis. 2. *A ratione victus & amictus.* Nec enim credibile esse Sacerdotis filium, & unicum quidem, & tot votis expetitum, in nobili & locuplete domo paternâ, non alio vestitu quàm pilis camelorum, non alio cibo quàm locustis & melle sylvestri vsurum fuisse. Cur Camelorum potius quàm ovium pellibus, inquit *Maldonatus*, nisi quia in loco commorabatur vbi Cameli, non oves erant, id est, longè ab urbibus? cur locustis, nisi quia in locis maximè desertis maximè versabatur? cur

cur cum dixiſſet mel, addidit *ſylveſtre*, niſi quia domi non erat, ubi domeſtico melle uti poſſet, ſed in ſolitudine, ubi non alium habebat cibum, quàm mel, quod apes in rupibus & truncis arborum conficiunt, quale illud erat quod intra petrarum fiſſuras reperit Ionathan. 3. *Ab exemplo Moſis*, & modo traditæ Legis. Datam fuiſſe Legem in deſerto Moſi, & quidem in monte prorſus inacceſſo totos XL. dies jejunanti: Eandem ergo in deſerto mori debuiſſe, & novam in illo dari. 4. *Ab exemplo Eliæ*, Iohannem veniſſe in Spiritu & virtute Eliæ, oportuiſſe ergo eum exemplo Eliæ in deſerto verſari. 5. *A conditione & decoro Iohannis*, debuiſſe Iohannem tantam ſanctitatem præ ſe ferre, ut Meſſias videri poſſet, quò facilius crederetur neganti ſe eſſe Meſſiam, affirmanti, Chriſtum talem eſſe. Oportuiſſe itaque eum ab oculis hominum remotum vivere, oportuiſſe & cibo & potu, & veſtitu, & habitationis loco oſtendere, qualis eſſet. 6. *A deſcriptione deſerti*, in quo Iohannes, quod arundinibus conſitum, quæ in deſertis locis, non domi naſci ſolent. 7. *Ab exemplo Chriſti*, qui & ipſe ſe in deſerto exercuit, antequam doceret alios: Iohannem ergo, antequam accederet ad docendos populos debuiſſe ſeipſum in ſolitudine velut in monaſterio docere. Secundùm *Auguſtinum* etiam non poſſe eſſe bonum Clericum, qui non fuerit bonus Monachus. 8. *A verbis Lucæ*, Iohannem in deſertis latitaſſe ἕως ἡμέρας ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰσραήλ, adeoque omni hominum conſortio ad ætatem uſque maturam ſubductum vixiſſe. *Luc.* 1.80. 9. *A verbis Iudæorum*, quippe qui profitentur Iohannem ſibi ignotum eſſe, ſiquidem verò in Zachariæ domo, & ordinariâ quidem ratione educatus fuiſſet, nec ignotum eum Iudæis futurum fuiſſe, nec eos hæſuros an eſſet Elias, an alius aliquis, nec quæſituros *tu quis es? Ioh.* 1.19.20. 10. *Ab authoritate* omnium Veterum Interpretum, Iohannem totam à primâ pueritiâ uſque ad triceſimum annum ætatem in remota ſolitudine tranſegiſſe. Sic *Bellarminus* libro II. de Monachis cap. v. aſſerit, Iohannem Baptiſtam Monachorum & Eremitarum principem fuiſſe, ab omnibus ferè Patribus ſcribi. Idem repetit cap. XXXIX.

II. Duo verò hoc loco nobis occupanda. I. Ἔκθεσις & κατασκευὴ ſententiæ veræ. II. Ἀνασκευὴ falſæ, & rationum

ejus. Ἔκθεσις veræ ſententiæ concipi poteſt. 1. Συγχωρητικῶς *per conceſsionem.* 2. Ἀρνητικῶς, *per negationem.* 1. Συγχωρητικῶς, Nec negatum à noſtris, nec negandum, inſtitutum Iohannis peculiare fuiſſe, vitæ auſteritatem ſingularem, tum *ob Naziræatum* divinitùs ipſi impoſitum, tum *ob munus* peculiare quod illi erat ſuſtinendum. Immò quia peculiare & ſingulare fuit, inde evidens, nonniſi per meram κακοζηλίαν idem ab aliis ſine vocatione, ſine causâ, ſine neceſſitate occupari. 2. Ἀρνητικῶς. Meritò negatum à noſtris, meritò negandum, Iohannem vel in abdita aliqua eremo Anachoretam egiſſe, vel vitam eremiticam ſive inſtituiſſe verbo, ſive commendaſſe exemplo, vel quicquam illi cum Anachoretis Pontificiis commune eſſe. Inſtitutum verò Iohannis peculiare fuiſſe, & cum ſingulari auſteritate conjunctum, & tale eſſe debuiſſe, probamus. 1. A *Naziræatu* Iohannis prædicto & indicto ab Angelo *Luc.* I. 15. *Vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu S. implebitur ab utero matris ſuæ.* 2. *A vocatione extraordinariâ*, ad munus extraordinarium tum prodromi, tum præconis Chriſti, quod & prædictum à *Malachiâ, cap.* III. I. IV. 5. & repetitum ab Angelo *Luc.* I. 16. 17. 3. *A comparatione Iohannis cum Eliâ*, prædictâ itidem à Malachiâ, repetitâ ab Angelo. 4. Adde, *argumentum prædicationis* Iohannis, quod Prophetarum Veterum inſtar non commendandum tantùm erat voce, ſed & exprimendum exemplo, & ſymbolicâ victus & amictus auſteritate inculcandum genti ſtupidæ, duræ cervicis, & oculis potius affixæ quàm auribus. 4. Adde, authoritatem Iohanni ſingularem conciliandam fuiſſe, ſingulari & oculos feriente inſtituto, quò homini mundi & pompæ mundanæ contemptori, & alieno planè à rerum terrenarum ſtudio, major adhiberetur fides circa cœleſtia, Meſſiæ major à Iohanne oſtenſo, prædicato, celebrato, & conſtaret omnibus, Iohannem nec ſuæ gloriæ, nec ſuis commodis operari, ſed ſpebus humanis majorem divina duntaxat excipere, ſapere, ſpirare, urgere. 5. Amovenda etiam erat materia ſuſpicionis, obſtruenda rima calumniæ, ne res ex compacto inter Chriſtum & Iohannem geſta videretur, unde ad ætatem uſque maturam nulla inter illos intercedere debebat conſuetudo, familiaritas nulla, ne qui ſanguine iuncti erant, ſtudiis etiam & inſtituto & conſilio juncti viderentur. Quod Iohanni ſpectatum verbis

bis illis *Ioh.* I. 32. *Et ego non noveram eum.* 6. Sic potentia etiam Dei declaranda erat peculiari documento, à quo homini agresti & in montano & aspero tractu totam vitam educato munus Prophetico majus commissum, dona singularia concessa, fastus mundi calcatus, perstricta hypocrisis, repressa profanitas, tota gens concussa, nec Herodis purpura reformidata, nec supercilium Pharisaicum. 7. *Documenta* quin etiam partim *mystica*, partim *moralia* varia ex Iohannis primi Novi Testamenti præconis instituto elicienda erant, & Iudæis simul ac Christianis habitatione victu & amictu illius commendanda, 1° Templi Hierosolymitani & ceremoniarũ legalium periodum exactam esse, & tempus præ foribus scindendo velo, exstinguendis lampadibus, subruendo tabernaculo, sepeliendæ synagogæ. 2° Iohanni in deserto docẽti nec cum Sacerdotibus Iudaicis in templo sacris operantibus convenire, nec cum synagogâ Iudaicâ obnoxiâ tabernaculo veteri. 3° Cultum Novi Testamenti non esse affixum huic vel illi monti, templo. 4° Statum & gentis & Ecclesiæ Iudaicæ sub adventum Iohannis verè desertum fuisse, calamitosum, afflictum, sterilem, asperum, plenum caudicibus, saxis, spinis, feris. 5° Iudæam brevi futuram desertam, synagogam, sacra, templum, gentem. 6° Evangelii prædicationem in deserto potissimum, quale tota gentilitas erat, instituendam, diffundendam. 7° Ecclesiam Novi Testamenti sæpe in desertum extrudendam, & in eo coercendam, conservandam, alendam. 8° Pœnitentiam agentibus secedendum esse à strepitu, turbâ, deliciis, fomenta subducenda carni, animum seculo. Immò mundi, deliciarum & sperum seculi contemptum inducendum illis, qui Christo & Evangelio nomen dant, mundum illis pro deserto habendum, desertum pro mundo, patriam alibi quærendam, sperandam. 9° Vitam Christianorum, præconum verbi vel inprimis, γυμνασίαν esse debere, & ἄσκησιν: amictum, modestiam, victum, sobrietatem, domi natis utendum, acquiescendum, vitam conformandam vocationi, exemplum voci & verbis.

III. Quid verò hoc Iohannis institutum ad vitam eremiticam, & ad secessus Anachoretarum? 1. Iohannes non suo arbitrio sed Dei voce Naziræus designatus, & ad vitam peculiarem vocatus. 2. Iohanni peculiare munus peculiari vocatio-

ne destinatum, commissum. 3. Iohanni nec in eremo abditâ & inaccessâ vita exacta, nec exacta ex emisso voto. 4. Iohanni nec hominum occursus vitatus, nec eorum conspectus scęvus judicatus & noxius, immò ea deserti loca delecta, ubi cõfluxus hominũ major, v.g. *Bethabara*, locus trajectus, & Ænon propè Salim, ubi & aquarum copia & aquantium. 5. Iohanni non perpetuò in montanis vita traducta, nec vel hominum societas, vel mora in societate polluta judicata, immò Herodis aula visa, & Herodes ob incestum intrepidè monitus & perstrictus. 6. A Iohanne vitæ eremiticæ genus nec institutum, nec commendatum, nec à Christo vel voce vel exemplo probatum, nec ab Apostolis præscriptum, vel laudatum, nec ab Ecclesiâ Apostolicâ sive injunctum, sive usurpatum. 7. Minus religionis, sanctitatis, perfectionis, satisfactionis meriti appendices & *aureolæ* peculiares in hoc vitæ genere vel quæsitæ à Iohanne, vel constitutæ. Immò discipuli ad Christum ablegati, & solus Christus illis commendatus, cujus vita haudquaquam inferior vitâ Iohannis, & cujus institutũ inter homines versandi, & cum illis conversandi non minus Christianis sive honorificum, sive utile, sive sanctum, quàm institutum Iohannis, à quo vitâ austeriore illa duntaxat spectata, quæ à nobis ostensa. Et sanè quum Iohanni Naziræatu defungendum fuerit divinâ sanctione, nec tamen Naziræorum veterum πολιτεία observanda, legalis quippe, & nec tempori Iohannis, nec vocationi, nec ministerio, nec præconio accommoda, mirum esse non debet singulari victus & amictus austeritate à Iohanne Naziræorum θρησκείαν compensatam, quò hac saltem ratione נזיר esset ἀφωρισμένος, vel κεχωρισμένος ab alijs sui ordinis hominibus. Si Iohannis imitationem urgeant Eremitæ, ostendant conformitatem suam cum Iohanne: ostendant vocationem, & ejus causas, ostendant quî inferior sit imitatio vitæ Christi & Apostolorum imitatione vitæ Iohannis? Ostendant, quî ex morâ Iohannis in montanis sequatur & commendetur mora in solitudinibus, specubus, antris, columnis? & quî ex morâ temporariâ Iohannis in deserto, ἕως ἡμέρας ἀναδείξεως αὐτοῦ sequatur perpetua Eremitarum mora in desertis ad supremum usque vitæ diem: ostendant Iohannem populo compellato, & Christo baptizato in eremum regressum,

in eadem totam vitam Anachoretarum inſtar exegiſſe. Et ſanè vel victum & amictum Iohannis urgent Eremitæ *quoad litteram*, vel *quoad genus*. Si quoad *litteram*, an illi ſe adſtringunt veſti è pilis camelorum textæ, an locuſtis & melli ſylveſtri? Si *quoad genus*, omnibus Chriſti diſcipulis, iis præſertim, qui in pœnitentiâ docendâ & aliis ad Chriſtum ducendis occupantur, imperatam arbitramur tum modeſtiam in amictu, tum ſobrietatem in victu. Cur verò Anachoretæ victus & amictus Iohannis potius curioſi quàm doctrinæ, quàm vitæ? Cur non & illi populo docendo, arguendo, baptizando, & ad Chriſtum ducendo vacant cum Iohanne? Immò an pœnitentiam tantùm docent & fidem in Meſſiam? An ad ſolum Meſſiam homines ducunt ἐθελοπερισσοθρησκείαις aliis tum reciſis tum perſtrictis? Quæ affinitas Iohanni in montanis Iudææ degenti cum hypochondriacis illis hominibus, qui vel in ſpecus ſubterraneas ferarũ inſtar ſe abdidêre, vel columnis affixi & innixi brutâ & belluinâ vitâ ad inſtar Zoophytorum quorundã non hominũ ratione præditorũ vixêre. Hominum hujuſmodi inſtitutum non à Iohanne originẽ habet, ſed à *Circumcellionibus* & *Sarabaitis* veteribus, in foraminibus petrarum habitantibus, indutis porcorum & boum pellibus, cinctis funibus palmarum, diſcalceatis, & ſanguine cruentatis, quorum meminit Author Sermonum ad fratres in eremo. Et ſanè *Sozomenus, Evagrius, Socrates, Theodoretus, Caſſianus*, alijque qui de Anachoretis veteribus agunt, non homines, ſed portenta hominum nobis deſcribunt, à quibus ab humanitate æquè diſceſſum ac ab hominibus, proſcripta ratio, ſenſus communis excuſſus, ferina mens induta, ferinus animus, nec Dei, nec hominum, nec ſui amplius capax, & talia affectata, quæ nec hominem decent, nec Chriſtianum. Riſum illa Paganis & Chriſtianiſmi contemptum, piis verò luctum exprimunt & commiſerationem, tantùm ſuperſtitioni in hominem licuiſſe, tantùm tentatori. Si etiam omnes illi Anachoretæ, qui in ſylvis ſtabulantur, & Nebucadnezar Anachoreta cenſendus, & latrones, & omnes illi, quos vel deſperatio, vel ſcelera, ſive propria, ſive aliena, vel bellica etiam tempeſtas quandoque in eremum extrudunt.

IV. *Rationes* Adverſariorum eremiticæ vitæ exemplo Iohannis probandæ tuendæ, leves ſunt & dilutæ. 1ª. Ratio

à loco habitationis excussa *Dubio* XCVII. ubi ostensum, quale desertum fuerit in quo Iohannes enutritus, in quo ab illo prædicatum. II[a] Ratio *à victu & amictu* vindicata *Dubiis* XCVIII. & XCIX. ubi de materiâ & fine & amictus Iohannis & victus abundè actum. Nec negatum Iohanni peculiare vitę institutum, sed tale tantùm quale prætexunt sive Monachi in genere, sive Anachoretę in specie. Nobilem Iohanni domum adscribit Scriptura, locupletem *Maldonatus*, sed sine teste. Nec si illa talis fuisset, Naziræo Domini, & pœnitentiæ præconi utendum erat commodis omnibus & deliciis domus paternæ. De Camelorum pilis, locustis, melle agresti, satis superque disputatum ibidem. III[a] Ratio *ab exemplo Mosis, & modo traditæ legis*, tum inconsequens, quasi necessarium fuerit legem eodem loco mori, quo data, tum *falsâ hypothesi* nixa, vel legem Mosaicam à Iohanne abrogatam, vel novam ab eo substitutam. Christi erat non Iohannis, non prodromi, sed Messię, non servi, sed Domini abrogare legem, secundùm id secundum quod abroganda erat. Immò κατὰ τὸ βίαιον, si Iohanni in deserto vita traducenda, erat, ut ibi lex moreretur ubi tradita, mortuâ jam lege nec morâ in deserto opus, nec vitâ eremiticâ. IV[a] Ratio *ab exemplo Eliæ*, tum *inconsequens*, quia similitudo Iohannis cum Eliâ ad *spiritum* & *virtutem* ejus duntaxat refertur, non ad locum habitationis, tum *retorquenda* κατὰ τὸ βίαιον, nec enim vel Elię vita in deserto exacta, vel tale vitę genus sive commendatum voce, sive expressum exemplo. In deserto sanè versatus Elias, sed nec perpetuò, nec diu, nec sponte, nec ex voto, verùm ad certum tempus duntaxat & breve quidem, idque ob minas Iezebelis, crudelitatem aulæ regiæ, odium in Prophetas, rabiem hostilem in se cum primis ob intrepidam & heroicam muneris sui administrationem concitatam. Quid in eo commune Eliæ cum Iohanne, utrique cum Anachoretis vel Eremitis? V[a] Ratio à *conditione & decoro Iohannis* inconsequens itidem, & vana, & retorquenda in Authorem. *Maldonatus* contendit, Iohannem debuisse *præ se ferre sanctitatem*, quod non virorum sanctorum, sed hypocritarum & Pharisæorum. Illorum est sanctitatem colere, istorum præ se ferre. Immò, si sanctitatem præ se ferre debuit Iohannes, nec in specu illi delitescendum erat, nec in eremo abditâ, nec vivendum extra conspectum hominum, quibus alioquin

lioquin ſanctitas ipſius & ignota fuiſſet, & inutilis. Quî enim remota prorſus vita ab oculis hominum idonea fuiſſet ſive fidei conciliandæ, ſive admirationi, ſive auctoritati? VI[a] Ratio *à deſcriptione deſerti* excuſſa & confutata habetur Dubio XCVII. §.V. VII[a] Ratio ab *exemplo Chriſti* tum falſa, tum retorquenda in *Maldonatum*, an vita Chriſto in deſerto acta? an inſtituta talis? an commendata? Cur verò quadraginta dies Chriſto in deſerto exacti fuerint, cur ibi jejunatum, alibi dicendum. Nemini etiam negatum, Doctori à ſe incipiendum, idem à Iohanne occupatum, idem occupandum ab omnibus, ſeceſſum ad id opportunum eſſe, eremum verò ejus rei gratia quærendam, vitam belluinam affectandam, cum caudicibus & ſcorpionibus & feris vivendum, nec præceptum, nec commendatum, nec neceſſarium, immò ne utile quidem vel licitum. Bonum clericum μοναχὸν ſæpe eſſe debere, certum, monachum verò, quales hodie luſtra & gurguſtia complura alunt, non falſum tantùm, ſed & perniciosum. Immò, ſi nō boni Clerici, qui non ante Cœnobitæ fuerint, vel Anachoretæ, quid fiet tot Eccleſiæ Romanæ Clericis, quibus nec clauſtra unquam habitata, nec eremus? vel itaque talibus convitium dicendum, vel flagellanda *Maldonati* ratiocinatio. VIII[a] Ratio ſola videtur ſpeciem aliquam habere, ſed videtur tantùm. Dicit Lucas Iohannem ἐν ταῖς ἐρήμοις vixiſſe *cap.* 1. 80. ἕως ἡμέρας ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ισραήλ, *ad eum uſq; diem quo ſe oſtenderet apud Iſraelem.* Hinc infertur, Iohannem latuiſſe in illum uſq; diem in eremo abditâ & inacceſsâ nemini viſum, nemini conſpectum. Diſtinguendum verò τὸ ὄν & τὸ ποῖον, *res* & *modus*, vel *gradus rei*, privata Iohannis vita à publicâ, otium à miniſterio. Ἀνάδειξις, de quâ Lucas iſtic loci, publica fuit, non privata, miniſterii, non vitæ, præconii non præconis. Sic Chriſtus, etſi nec in deſerto latuerit, nec in antro, tamen reverâ latuiſſe dici poteſt, uſque dum ſingulari ratione inaugurari cœpit baptiſmo & voce cœleſti, quæ dies dies fuit τῆς ἀναδείξεως αὐτοῦ. Sic ipſa dies reſurrectionis Chriſti fuit dies ἀναδείξεως αὐτοῦ, unde Apoſtolo *Rom.* 1. 4. dicitur fuiſſe ὁρισθεὶς υἱὸς θεοῦ ἐν δυνάμει ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, h.e. ἀποδειχθεὶς, ἀναφαινόμενος vel ἀποπεφασμένος. Sic in miraculis Chriſti ἀνάδειξις & ἀπόδειξις ejuſmodi conſtituta *Act.* 11. 22. quando Petrus inquit Chriſtum fuiſſe ἀποδεδειγμένον δυνάμεσι καὶ τέρασι, καὶ σημείοις. Et ſanè ἀνάδειξιν

non privatam, non quamcunque, non personæ, sed publicam, sed peculiarem, sed ministerii notari patet ex verbis adjectis, sermo enim non de quavis ἀναδείξει, sed de ἀναδείξει αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰσραὴλ, cujus ille tunc temporis præco & doctor esse cœpit. Sic dies ministerii publici & inaugurationis uniuscujusque in munere sive politico, sive Ecclesiastico est dies ἀναδείξεως αὐτοῦ. Et hæc quidem verbi ἀναδεικνύναι significatio frequens Scriptoribus apocryphis librorum tertii Esdræ & Maccabæorum. Vide III. *Esdr.* I. 34. 38. 44. II. 3. II. *Macc.* IX. 23. 25. X. 11. XIV. 12. 26.

IX[a] Ratio à verbis Iudæorum ostendentium Iohannem sibi ignotum, & quærentium, *quis esset*, nec firma est, nec apta probando instituto. Distinguenda enim *quæstio* proposita, distinguendi illi *à quibus* proposita. 1. *Quæstio* illa nec personam Iohannis concernebat, nec patriam, nec familiam, nec nomen, sed munus duntaxat, qualenam sibi arrogaret. De illius naturâ vel qualitate quærunt Sacerdotes & Levitæ ad Iohannem missi, an se Messiam profiteretur, an Eliam illum venturum, an verò Prophetam alium? Peccatur ergo falsâ hypothesi & ἑτεροζητήσει. Docet id invictè responsio Iohannis, quæ utique apposita fuit ad quæstionem institutam. Qualis verò illa? Iohannes sanè nec de natalibus suis Sacerdotibus & Levitis ad se missis loquitur, nec de patria, nec de familiâ, nec de nomine, sed de officio duntaxat, inquiens, se esse *vocem clamantem in deserto* ad *complanandam viam Domino*, secundùm prædictionem Esaię Prophetæ. Quæ sanè responsio diluta fuisset, & jejuna, nisi super eâ re quæstio fuisset instituta. 2. Adde, supponi, non probari, omnem quæstionem ex ignorantiâ rei, quę quęritur, proficisci. Atqui quęstiones varii generis sunt, quædam sępe γυμναστικαὶ, quædam πειραστικαὶ, quædam ἐριστικαὶ, quædam tandem sive instructioni, sive confirmationi vel proprię vel alienæ destinatę. An Iohannes, verbi gratiâ, missis discipulis ad Christum, quęsitum, an esset Messias, super eâ re dubitauit, vel illam ignoravit? Annon Iudæi etiam quęrunt quandoque quis & unde Christus esset, quem tamen de origine & familiâ satis notum habebant, immò ob ejus tenuitatem despiciebant? 3. Adde, distinguendos esse illos *à quibus* quęstio proposita, qui non populares Iohannis, tractus montani incolæ, vicini Iohannis, testes educationis ejus, sed Iudęi Hierosolymitani, Sacerdotes & Levitæ,

quibus

quibus non mirum ignotum fuiſſe Iohannem in montanis Iudæ enutritum, nec Hieroſolymis inter Sacerdotum & *Prophetarum filios* viſum, vel in illorum conſortio educatum, ſed intra patrii ſoli & tractus montani aſpera detentum, ἕως ἡμέρας ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ισραὴλ, uſque dum ſe populo Doctorem, Chriſto prodromum ſiſteret & præconem.

V. X[a] *Ratio ab Authoritate Patrum* & Scriptorum Veterum infirma eſt, & parum apta probando inſtituto, tum quia humana & ὑπεύθυνος, tum quia particularis, non univerſalis, varia non vniformis, dicta aliquibus, contradicta aliis, tum quia teſtimonia quædam ἀπροσδιόνυσα ſunt, quædam nullum in S. Scripturâ fundamentum habent, ſed in narrationibus duntaxat vel fabuloſis planè, vel ſuſpectis ſaltem *Nicephori, Cedreni, Sophronij*, & aliorum id genus Scriptorum minus caſtigati judicij, minus exploratæ fidei, quod à *Iunio, Caſaubono, Chamierio* & aliis Viris Clariſſimis inter noſtros abundè demonſtratum. Vnde ſingula excutere inanis operæ foret. Adde, aliam Anachoretarum primorum rationem fuiſſe, aliam ſequiorum. *Paulos, Antonios, Hilariones, Hieronymos* veteres, quos vel perſecutionum immanitas, vel hæreſium paſſim graſſantium impetus, vel ſchiſmatum & litium in Eccleſiâ flagrantium faſtidium & odium, vel quietis & tranquillitatis ſtudium, vel zelus quandoque inconſideratus, & ſine ſcientiâ in deſerta compegit, & in iis continuit, ut non laudandos eo nomine, minus imitandos cenſemus, ſic nec flagellandos acerbè. Sancta illis exercitia fuêre, mores ſancti, vita inter labores & preces & gemitus tranſacta, quamvis & inter ſuperſtitiones quaſdam jam tum gliſcentes. Animus illis mundi quidem contemptor, ſed & ordinis à Deo inſtituti, nec auſteritatis tātùm patiens, ſed & affectator, adeoque ſui plenus. Vt verò ſuperſtitio modum non habet, & novitatum affectatio, quando ſemel extra obices præfixos ſe effundere cœpit, ſenſim creſcit, vel inprimis ubi pabulum reperit & fomentum, admirationem hominum & laudem: ſic à diſcipulis & imitatoribus primorum Anachoretarum multimodis peccatum, deſerta ſine neceſſitate, ſine cauſâ habitata, corpora jejuniis ſuperſtitioſis macerata, valetudo afflicta, charitatis officia omnia neglecta, victus & amictus auſteritas inanis affectata, virtutum & vitiorum, ſapientiæ & ſtoliditatis, pieta-

tis & ſuperſtitionis fines confuſi, Dei præcepta neglecta, humana inventa ſubſtituta, in iis non gradus tantùm ſanctitatis ſed & faſtigium conſtitutum, quales fuêre *Macarij*, *Dorothei*, *Acepſemæ*, *Batthæi*, *Stylitæ*, & alia id genus ingenia, Veterum quorundam ſcriptis, ut ſupra dictum, celebrata, quorum ſuperſtitiones Deus multâ & diuturnâ, ſed & iuſtâ caſtigatione ultus fuit, dum ſingulari judicio effecit, ut qui ordinis à ſe inſtituti oſores eſſent, ſuimet oſores fierent, & duram in ſeipſos carnificinam propriæ culpæ vindices ultrò & ſtrenuè exercerent. Cui vitæ generi ingens cum tempore ſuperſtitionum variarum acceſſio facta, prout humana ingenia talium feracia potius ſunt quàm veræ pietatis, & inventis ſuis, ſemel laxatâ fibulâ, luxuriant.

VI. Inſtitutum verò hoc *Anachoretarum*, vel *Eremitarum* nec probandum cenſemus, nec excuſandum. I. Quia ἄγραφον, ſuſceptum quippe ſine mandato, ſine exemplo, ſine promiſſione, ſine fiduciâ vel approbationis divinæ, vel benedictionis, vel auxilii, adeoque vocatio ſine vocatione, & ἐθελοπερισσοθρησκεία mera, ſpeciem pietatis habens, non virtutem, λόγον σοφίας non σοφίαν, ἀφειδίαν σώματος, ſed damnatam ab Apoſtolo, inventam quippe & directam tantùm κατὰ τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων. *Coloſſ.* II. 22. 23. II. Quia hoc inſtitutum ἀντίγραφον, in eremum enim ſe abdere, & huic vitæ generi ſponte mancipare, & cum voto quidem, & laqueo conſcientiæ injecto, eſt vocationem tum hominis, tum Chriſtiani, magis Paſtoris excutere, talentum acceptum defodere, dona Dei malè collocare, *beneficentiæ & communicationis oblivisci*, ἐπισυναγωγὴν mutuam deſerere, lucem abſcōdere ſub modio, inſpectioni ſalutari, monitis utilibus & exemplis bonis ſe ſubducere, nimiam ſui fiduciam habere, ſe tentatori exponere, nec ſui, nec ſuorum curam habere, fidem abnegare, & infideli deteriorem eſſe. III. Quia hoc inſtitutum ἄλογον, ita enim vivere eſt hominem exuere, ferinam mentem cum ferinâ vitâ induere, ſe in belluarum cenſum, quas natura ad ſolitudinem damnavit, abjicere ſine causâ, ſine neceſſitate, ſine fructu. Et ſanè verè cum *Eunapio* dici poteſt, homines ejuſmodi ἀνθρώποις μὲν εἶναι κατὰ τὸ εἶδος, τὸν δὲ βίον αὐτῶν συώδη vel θηριώδη. IV. Quia hoc vitæ genus ἀσεβὲς, prout enim inſti-

tutum

tutum ejusmodi in Ecclesiâ Romanâ æstimatur, conjunctum reperitur cũ opinione perfectionis & sanctitatis peculiaris, satisfactionis, expiationis peccatorũ, immò meriti singularis, & cũ fiduciâ ὑπεροχῆς & *aureolæ* cujusdã sublimis non cõsequendę tantùm, sed & promerendę. Quæ dogmata non falsa dũtaxat, & superba, verùm etiã impia, adversa quippe Dei glorię, Christi merito, officio & modestiæ hominum, adde & saluti. Mirum quin etiam, ejusmodi vitam ἄσκησιν τελείαν & perfectionis Christianæ apicem censeri, quæ maledictionis nota, quæ judicii divini character, quæ Nebucadnezari inflicta pro pœnâ, quæ destinata belluis & Zoophytis. Mirum quoque, desertum ut minus obnoxium tentationi peti, in quo tentatus ipse Dominus, in quo tot Eremitæ à Dæmonibus, *Cassiano* teste, obsessi, flagellati, & mirum in modum vexati, in quo sanctissimus Vir *Hieronymus* inter membra sacco horrentia, cutem squalidam & Æthiopicæ carnis situ obductam, inter lacrymas & gemitus quotidianos, inter nuda & vix hærentia ossa, inter scorpionum & ferarum lustra, inter pallentia jejuniis ora, immò in carne præmortuâ ante hominem suum, continuam & importunam Romanarum deliciarum memoriam, mentem æstuantem desideriis, & bullientia libidinum incendia se sensisse ingenuè fatetur *Epistolâ ad Eustochium*. Quid aliis exspectandum, qui nec Hieronymo pietate pares, nec animi robore, nec virtutibus aliis? Mirum etiam Cœnobitas pro Anachoretarum vel Eremitarum θρησκεία disputare, quibus solitudo exosa, deserta invisa, aulæ & palatia habitata, populosissimæ urbes cum curâ quæsitæ, & conferta turba studiosè captata. Mirum itidem, Societatis Patres illud vitæ genus commendare quod *Ignatius* Pater nec sequutus, nec sequendum docuit, immò quod, si *Maffæo* testi nec exotico, nec suspecto in vitâ Ignatii cap. II. lib. III. credimus, liberè damnavit: Ignatium enim illos haudquaquam laudasse docet *Maffæus*, qui dulcedine solitudinis & diuinę familiaritatis illecti in arenam descendere, & sua primùm vitia evellere, deinde etiam proximos adjuvare negligerent. Quinimò pluribus doctus experimentis statuit tales partim Dæmonum illusionibus obnoxios esse, partim contumaces & sibi placentes fieri, nisi singulari Dei auxilio fulciantur. Mirum tandem, Eremiticam vitam ad Iohannem referri, & illius exemplo commen-

dari, quum pleræque Pontificiorum rationes, quibus probare ſatagunt Iohannem in eremo vixiſſe, ducantur à peculiari Iohannis inſtituto, cui ita vivendum fuerit, ut antitypo Eliæ, ut Legis annihilatori, ut voci in deſerto audiendæ, ut Meſſiæ prodromo & præconi extraordinario, & quæ ſunt alia id genus. Si enim illa communia pluribus, cur Iohanni velut peculiaria aſſignantur? Sin peculiaria Iohanni cenſenda, quo jure illa ad Anachoretas & ſeceſſum illorum applicantur? An perſonalia & extraordinaria in exemplum raptanda? annon realia potius & communia? An ille etiam uni glebæ, ſpecui, antro, ſaxo, columnæ, deſerto exemplo ſuo adhæreſcendum docuit, qui ἐν ἐρήμοις, *in deſertis*, pluribus utique, non uno, à Lucâ educatus dicitur, adeoque qui in tractu integro ἐν τῇ ὀρεινῇ, liberè ad tempus uſque ſuæ ἀναδείξεως non in antro uno hæſit?

VII. Nos itaque Chriſtianis ad perfectionem & verbis Domini præſcriptam, & ſanctiſſimo ejus exemplo præmonſtratam, & aliis Viris ſanctis calcatam contendentibus illam vitam vivendum cenſemus, quæ cuique ex vocatione impoſita, quæ Dei verbo probata, mandatis ſacris commendata, exemplis communita, tentationibus vel avertendis vel ſiſtendis opportuna, caſui vel cavendo vel curando accommoda, quæ hominem Deo, ſibi, aliis, publicis privatiſque negotiis relinquit. Nec etiam Chriſtianis corpus mundo ſubducendum, ſed animum mundo ejiciendum exiſtimamus, nec divortium hoc pedibus ſed mente faciendum, nec homines deſerendos, ſed vitia hominum, nec hominem exuendum præterquam veterem, nec temerario inſtituto, vel periculum ultrò accerſendum, vel laqueum conſcientiis injiciendum, vel atram bilem fovendam & irritandam, vel impuro ſpiritui ludos faciendos, cui ſolitudo, opportuna, *arida loca*, porticus, homo ſolus, obnoxius & præda. Effatum Spiritus S. veriſſimum, & omnibus hominum placitis, inſtitutis, inventis, commentationibus, opinionibus certius & ſanctius, *Melius eſt duos eſſe ſimul quàm unum. Si ceciderint, unus eriget ſocium ſuum. Væ uni quum ceciderit, non erit ſecundus ad ſervandum eum. Eccleſ.* IV. 9. 10.

Concludimus itaque, hoc vitæ genus quod revera non σώφρονα μανίαν cum *Pſeudo-Dionyſio*, ſed μανίαν potius ἄφρονα vocandum

candum censemus, excutiendum, nec Anachoretarum institutum vel sequendum, vel probandum, vel Iohannis exemplo ulli mortalium commendandum aut obtrudendum, quod erat demonstrandum. Immò periculosam hîc judicamus sapientiam, quæ auditur sine Deo, periculosam religionem, quæ fingitur sine mandato, periculosam vitam, quæ vivitur sine teste, periculosam fiduciam, quæ alitur sine promissione, periculosam disciplinam, quæ hominem non macerat, sed inflat, non deprimit sed attollit, non Dei plenum reddit, sed sui, nec hoc circo inclusum gratum facit, sed reum duntaxat, & bis miserum, obnoxium quippe peculiari carnificinæ in hac vitâ, & judicio singulari in futurâ.

FINIS.





INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ,
qui vel expoſiti, vel illuſtrati, vel vindicati *Secunda Parte* Dubiorum.

EXODI.

LEVITICI.

[illegible]VMERORVM.

DEVTERONOMII.

IOSVÆ.

mentiti sunt, & reposuerunt illud *inter instrumenta sua.* p.577

XV. 61. In deserto, *Beth-Harabæ, Middin*, &c. p.656

IVDICVM.

Cap. V. 20. *E cœlis pugnarunt*, sidera ipsa *è suis aggeribus pugnaverunt contra Siseram.* p.352

XII. 5. *Deinde mortuus Iephte sepultus est* in civitatibus *Gilhaditarum.* p.577

XIII. 5. *Nam ecce tu concipies & brevi paritura es filium, ad cujus caput nemo admoveto novaculam, quià* Nasiræus Dei *erit puer ipse inde ab utero,* p.615.616.617

XVIII. 1. Temporibus illis *non erat rex in Israele.* p.186

XIX. 1. *Fuit quoque* temporibus illis *cum rex non esset in Israele*, &c. ibid.

I. SAMVELIS.

Cap. I. 1. *Erat vir quidam* de Ramathaim. p.577

XIII. 13. *Tum dixit Samuel Sauli, stultè gessisti te, non observasti mādatum Iehovæ Dei tui quod mandavit tibi, jam certè stabilivisset regnum tuum apud Israelitas* usque in seculum. p.437

XVIII. 20. In duabus *gener meus eris hodie.* p.577

II. SAMVELIS.

Cap. VII. 14. *Ego ero illi pater, & ipse erit mihi filius.* p.503. & 521

XII. 10. *Nunc itaque non amovebitur gladius à domo tuâ* usque in seculum. p.437

I. REGVM.

Cap. II. 34. *Deinde sepultus est domi suæ* in deserto. p.656

XV. 1. 2. *Anno decimo octavo, Ieroboami filii Nebati, regnavit Abijam super Iehudam. Tribus annis regnavit Hierosolymis.* & ℣. 9. *Anno itaque vigesimo Ieroboami regis Israelis, regnavit Asa super Iudam.* p.10

XIX. 10. *Cumq; ego relictus sim solus etiam quærunt* animam *meam, ut auferant eam.* p.578

XXII. 6. *Tùm congregatis rex Israelis Prophetis suis quasi quadringentis viris, & dixit eis, utrum iturus sum contra Ramothas Gilhadis in bellum, an destiturus? qui dicebant, ascende,* traditurus *enim* est Dominus in manum regis. p.529

XXII. 34. *Quidam jaculans arcu simplici animo percussit regem Israelis inter commissuras & loricæ partes.* p.176

II. REGVM.

Cap. II. 11. *Fuit itaque ipsis pergentibus ambulando colloqui, ut ecce currus igneus & equi*

XXIX.

Cantici Cantic.

Iesaiæ.

Ieremiæ.

NAHVMI.

ZACHARIÆ.

II. MACCAB.

MATTHÆI.

MARCI.

LVCÆ.

AD ROMANOS.

I. AD CORINTH.

AD GALATAS.

AD

AD PHILIPPENSES.

I. AD TIMOTH.

II. AD TIMOTH.

AD HEBRÆOS.

I. PETRI.

II PETRI..

I. IOHANNIS.

APOCALYPSIS.

FINIS.





INDEX AVCTORVM qui in *Secunda Parte* Dubiorum citantur, & vel laudantur, vel confutantur.

INDEX AVCTORVM.

M

N

O

P

Stepha-

VOCES HEBRÆÆ, CHALDAICÆ & Syriacæ expoſitæ vel vindicatæ.

ימא



VOCES GRÆCÆ VEL expoſitæ, vel vindicatæ.

INDEX



INDEX
VERBORVM ET RERVM
Secundæ Partis.

D

Descri-

E

F

Fides

I

Jere-

K

L

M

O

P

Q

R

Sarabai-

Stella

Vocatio


FINIS.





ERRATA.

Pag.4. Funcii *pro* Funccii. p.14. Philippii *pro* Philippéi. p.20. anticipatio ducentorum *pro* fermè ducentorum. pag.20. periodi Iudaicæ 3481. *pro* 3483. p.21. & ſecundi *pro* & conſtructionem ſecundi. p.25. cap.IV. *pro* cap.VI. p.26. Solis X. *pro* IX. & Olympiadis CLXXX. *pro* CLXXXVIII. p.28. cap.IV. *pro* VI. p.34. Iulianus VI *pro* XL. p.48. ſenarium Ariſtophanicum *pro* ſenarius Ariſtophanicus. p.55. *Luc.* II.1.2.6.7. *pro* 1.2. p.61. *Act.* VIII.58. *pro* VII. p.68. Olympiadis CLXXXIII. *pro* Olympiade CLXXXIV. pag.75. in Iulianum XI. *pro* IX. p.77. Plantii *pro* Plautii. p.79. ἀλώσιως *pro* ἀλώσεως. p.100. nominabantur *pro* nominabatur. p.107. Dubii VI. *pro* XI. p.115. Dig. lib. XLIV. *pro* lib. L. & à re *pro* è re. p.152. rediri *pro* redire. p.157. ἀκρίβεια illâ *pro* ἀκριβείᾳ illâ. p.159. ſive δυσμολογία *pro* ſine δυσμολογίᾳ. pag.169. haut *pro* haud. pag.181. cap.XX *pro* cap.II. p.192. φωτισθέντις *pro* φωτισθέντες. p.194. *Lucæ* I. pro *Lucæ* III. p.199. *Ioh.* VIII.10. pro *Ioh.* VI.10. p.215. quo potuerint *pro* quâ potuerint. p.2 6. illorum *pro* illarum. p.225. probare paſſum *pro* probare poſſum. p.239. *Phil.* II.5. pro *Phi.* III.5. p.244. 1. *Paral.* XXIII.27. *pro* XXIV.7. p.249. vetut *pro* velut. p.267. hic ſenſu *pro* hoc ſenſu. p.268. ▭ משני *pro* משני. p.278. *Iob.* II.10. *pro* II.11. p.286. veritate *pro* varietate. p.346. & 414. ſeorſim *pro* ſeorſum. p.383. continentię *pro* confidentiæ. p,388. ſedecim ab Ithamaro *pro* octo ab Ithamaro. p.394. בלשבא *pro* בלשנא, & חם *pro* חם. p.424. debere *pro* deberet. p.425. negativam eſſe, Evangeliſtæ affirmativam, *pro* non negativam eſſe, nec Evangeliſtæ affirmativam. p.456. adhibitum *pro* adhibita. p.470. αὐτῷ *pro* αὐτῶν. p.486. Scriptoris ſacris *pro* ſacri. p.507. πράγμα *pro* πρᾶγμα. p.511. lib.IV. cap.XX. *pro* lib.II. cap.X. p.525. ἄφρωνα *pro* ἄφρονα. p.530. Ioſephi Barneſii *pro* Iohannis Barneſii. p.539. animos *pro* animas. p.547. רכל *pro* רחל. p.549. 1. *Cor.* II. *pro* XI. p.580. Tetrarchiam *pro* Ethnarchiam. p.581. ſecundùm quoſdam ſive potius, *pro* ſive potius ſecundùm quoſdam. p.591. elenchticis *pro* elencticis. p.614. c.I. *pro* c.II. p.637. myſtag. VI. *pro* X. p.666. δέῤῥω *pro* δέῤῥιν. p.670. bolla *pro* abolla. p.677. vel ורעים *pro* זרעים vel. p.694. animum mundo *pro* animo mundum.

Mendas reliquas Operarum Lectoris æquitati & candori commendamus.







005646181
005646180



ALLEGRI
LABORAT.
RESTAURO
LIBRI
PARMA